LN. d. 4

E. K. WATERHOUSE


ETHICVS STYLOBATES COLOSSI SANCTI CARDINALIS CAROLI MAGNALIVM PATRATORIS,

SIVE

ILLVSTRISS.^mæ BORROMÆORVM Familiæ, Elogium.

AVCTORE

D. Basilio de Sereniis, inter Clericos Canonicos Saluatoris Lateran. Titulari Archipresbytero.



Proſtat Mediolani in foro Mercatorum, ſub inſigni Agni, obtenta à Superioribus facultate, ac priuilegio.

1617

Facultas Reuerendiſs. P. Abbatis Generalis Canonicorum Regularium Saluatoris Lateranenſis.

TIbi Ven. ac Dilecto Congregationis noſtræ Canonico profeſſo Sacerdoti & Concionatori, necnon Plebis S. Iacobi Diœceſis Cremonenſis Archipresbytero Titulari Sal. Obtuliſti nobis librum nuper à te compoſitum cui titulus, Stylobates Coloſsi Diui Caroli, quem cum nos duobus è Societatis noſtræ Theologis de more recognoſcendum tradiderimus, recepimus abbrobatum quin & laudatum, quapropter liberam tibi facultatem his noſtris concedimus illum imprimendi, ſeruatis tamen ſeruandis, in quorum fid. Dat. Patauij die 6. Septembris 1617.

D. Petrus Franciſcus A. G.

D. Petrus Opiterginus, Prior & Soc. D. M.

Imprimatur,

Fr. Paulus Aegidius de Como Lector Theol. & Commiſ. S. Inquiſitionis Mediolani.

Gul. Vidonus Theol. S. Nazarij, pro Illuſtriſs. D. Card. Archiep.

Vidit Saccus pro Excellentiſs. Senatu.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS.
Domino ſuo Colendiſſimo

D. D. FEDERICO
BORROMAEO

S. R. E. Presbytero Cardinali, & S. Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo.

Don Baſilius Serenius.

Per proſperitatem temporalem ad felicitatem ęternam pertingere.

HVMANÆ artis conſummationem in magiſtræ Naturæ ſequela atque imitatione ſitam, non ſecus ac ipſa ſummi opificis famula ad archetypi illius metrum Vniuerſi partes conſonantiſſimo concentu dirigit ac moderatur, cum Philoſophiæ erudimur documentis, tum & pronum cuilibet peruidere, modo nè ingenij facultate deſtituatur; quippè tunc demum & munere ſuo functus: et gnauiter exactèque perfunctus cenſetur Artifex, ſiuè Zeuſis penicillo, ſeù Lyſippus ære, aut Polycletus celamine effingẽs; aliuſvè quiſpiam imaginum Prometheus, ſi Homini, Beluæ, Arbori quam ſimillimum & (vt dicitur) ad viuum expreſſerit ſimulacrum. Et id quidem nonnulli adeò feliciter præſtiterunt, vt non ſolum Aues, Canes, Equos, ſed

*Homines, artiſque peritia ſummè excultos, colorum fallacia, vmbrarum lineamentorumque præſtigijs fefellerint interdum, Quidam vel marmora in homines mutaſſe dicti ſunt, vel ſaxa ſtupente Natura ſpirare iuſsiſſe. Dædali et Archytæ figmenta, Archimediſque ac Procli ſpecula, quæ Solis obiectu flammas excitarent & obuia comburrerent, notiora ſunt, quam vt enarrari indigeant. Cuiuſmodi admiratus Procopius Gazæus, Hominis excellentiæ vſqueadeò creandi poteſtatem attribuit; ſed præſuppoſita materia. Verum iſthæc ſublimioribus tantũ ingenijs reſeruata, tuique ſimilibus, qui noui Cæli & Terræ nouæ imagines intellectu comprehendis: qui profunda fluuiorum ſcrutaris, et abſcondita profers in lucem: tantum dicam, quem ardens euehit ſuper æthera virtus. Ego autem cum diuo CAROLO magnalium patratori: clariſsimæque Familiæ Heroum genitrici; ſed tibi in primis ò et præſidium et dulce decus meum, ſtudium ac laborem impendere decreuiſſem: lacertoſque meos expendens, ac propriæ imbecillitatis conſcius, grande quicquam attentare vererer; nequaquam Naturæ opus auſus ſum in exemplar aſſumere; ſed fabrile ac cæmentarium imitandum adhibui: ipſumque nec quidem phyſicè, ſed ethicè ac logicè complexus, artificioſi operis ſimilitudinem, ex intelligentijs conceptuum, (*Entia rationis *dicunt) aſsiduis tandem lucubratio-*

nibus

nibus executus ſum. In quo ſimplici ſtylo narrationem virorum nominatorum conſeruandam coaceruaui (niſi fortè nitentia hæc Aſtra, atra potius inſcitiæ meæ caligine obuoluiſſe dicar) cuncta autem abſque ornamentis, ſinè pigmentorum fuco, aut quæſito nitore digeſsi, non ſolum vt tibi gratificarer, cui nihil non omninò purum, non penitus candidum probatum nouerim; verum etiam, vt cum ad plurimorum manus diuerſorum ordinum, ſtatuum, nationum hæc noſtra ſcripta deuenerint, illuſtrium generoſæ ſtirpis Heroum documenta ſincera fide, & veracibus commendata monumentis percipientes, diſcant quàm largo benedictionis imbre familiam hanc perfuderit, ac velut obruerit Altiſsimus vocās generationes ab exordio: quam miris prærogatiuis attraxerit extuleritque: & gratiarum cornucopia locupletarit; indè enim cum munificentiam cæleſtis Patris, tum filiorum præſtantiam procliue fuerit argumentari: Tu quoque quod (licet alio ſenſu) Eliphaz quondam ſuggerebat Iobo, Scies quam multiplex ſemen tuum; *ideſt, quam multipliciter donis ac bonis auctum ſemen vndè exortus es,* Et progenies tua, ſicut herba terræ; *læto ſcilicet virore herbeſcentis; nam & alibi de electis vaticinatum, quod Florebunt de Ciuitate ſicut fœnum terræ; Commentaria quippè hæc luſtrando,* Ingredieris in abundantia ſepulchrum, *quo Abam rectè factorum præco-*

nijs

nijs illuſtres longo ordine tumulantur: iucundaberisque quemadmodum cum infertur aceruus tritici, *ſicut qui lætantur in meſſe opulenta, vel exuberanti, demum* & Viſitans ſpeciem tuam non peccabis; *nempè prædicabilem ſpeciem, copioſo indiuiduorum numero refertam: vel Domum ſpecioſè ac præclarè ornatam, non intumeſces; quin magis in domino gloriabere, ſciens quod hæc eſt hæreditas ſeruorũ Dei: et ſic honorabitur quemcũq Rex honorare voluerit.*
Alia quin etiam adeſt ratio cur nudum incomptumque Elogium, nullis verborum ſtrophis, aut lenocinijs excultum, prodire & euulgari patiar; nimirũ pretioſa merx decoraque facies genuina venuſtate formoſa, minus indiget fucatis diſcoloribus interpingi. Opus autem quod tibi offero, ſatis per ſe illuſtre et celſitudini tuæ planè congruens; quod lac Iouis cẽſeri poſsit & cerebrum Regis, dignum labijs tuis ad potandum ac dentibus ad ruminandum; neque enim è tenuitatis meæ penu depromptum; ſed ex affluenti Domus inclytæ Vbertate, aureæ ſupellectilis maßam ſuſtuliſſe fateor, quam nunc ſpontè in theſauros veſtros refundò; nè diſsipatæ herilis ſubſtantiæ diffamationem ſubeam, Villici inſtar Euangelici; licet is etiam chirographorum cumulos prudenter moderatus, non modò rigidæ diſcuſsionis euaſit anguſtias, verum et placidi creditoris laudem conquiſiuit ſeculis manſuram. Vnum lubens addiderim, quo lætari

ri

ri iuuet : liceat et iugiter gloriari ; nimirum quod dū iam in hunc Catalogum digeſta ad examen reuocanda luſtrarem , eximium quiddam numine propitio me aſſecutum deprehendi, in quo celeberrimum Phidiam feliciter æmulatus, ſi non etiam ſupergreſſus iudicer ; cum videlicet eburneo Mineruæ Clypeo, ita affabrè (ſed toto induſtriæ adhibito conatu) effigiem ſuam implicuit , infixit , inſculpſit , vt opere integro nequaquam indè reuelli poſſet ; quippè et ego ſummā in te obſeruantiam meam , non elaborato artificio ; ſed velut internæ propenſionis effluxu, ſcriptitationibus hiſce ita incluſiſſe vel inſeuiſſe reperi , vt abſque totius tractatus perturbatione ; imò & mei nominis interitu aboleri nequeat . Suſcipe igitur ampliſsimè Mœcenas de manu cliētuli tui ingētis deſiderij abortum . non quaſi pretium quo me deuinctum liberem ; ſed pignus quo perenniter obſtringam . Qui de eo potiſsimum mihimet applaudere conſueuerim, quod in medio cordis, fines tuæ ditionis ac poteſtatis agnoſco.

IN GENEALOGIAM BORROMÆORVM à Baſilio Serenio conſcriptam.

Doct. Benedicti Soſſagi.

MAgnorũ monumenta Ducũ, dominataq. Regũ
Stẽmata, quæ tenebris dãnauerat alta vetuſtas,
Quæ nunc Baſilius regali nomine præſtans
Eruit è cæca nimium caligine noctis,
Aethereas properate palam prodire ſub auras,
Vos tanti generis, vos tanti ſanguinis altrix
Flagitat Vrbs Pataui, ſtudijsque immanibus optat
Tot proceres ſpectare ſuos, procerumq. parentes,
E' que Antenoreo deductam ſemine gentem.
Medoacus genitor Nympharum expectat auitos
Heroas, glaucumque caput de gurgite tollit
Impatiens tolerare moras: vos ætheris alti
Siderea de ſede vocant in luminis auras
Illuſtres animę, quarum gentilia ſceptra,
Geſtatasque humeris trabeas, curuasque ſecures,
Et claros patriæ faſces, ſacrasque tiaras
Magnaque perpetuum memoratis facta per æuum.
Tu generis Federice tui columenque decusque,
Cui deus Inſubriæ ſacras commiſit habenas,
Antiquos permitte legi, permitte videri
Sanguinis auctores tanti, ſeriemque tuorum.
Oceani ſupra metas, ſupra vltima Bactra
Aſpicies famam increbeſcere gentis auitæ,
Sublimemque domum faſtigia tollere Cælo.

AD EVNDEM ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D. FEDERICVM CARD.

Philippi Riccij Theologi.

SI tibi ſum cordi, cordis pars maxima noſtri,
Dilige Baſilij ſcripta colenda tui.
Nonnè vides quantos generis deſcribat honores?
E' que tuo quantus ſanguine ſurgat amor?
Nonnè vides proceres armis ad prælia cinctos,
Qui ſunt bellorum gloria, pacis amor?
Nonnè audis aliquem voces iactare per auras,
Talia & ad ſocium fundere dicta ſuum?
Fer ferrum, telum tolle, haſta hoſtem fode fædum,
Ictibus adde ictus, vulnera vulneribus.
Nonnè audis alium vocitantem munera pacis?
Qui victor, victo mitior, ore canit;
Pectora pectoribus ſocientur, dextera dextræ,
Pax eat, & nunquam gutta cruoris eat.
Te quoque pugnantem Federice, ò gloria belli,
Baſilius pingit, pangit & ore ſimul.
Mitra tibi eſt galea, haſta pedum, clementia telũ;
Pugna preces, ſcutum pectus, & enſis amor.
Sic omnes vincis; ſic te quoque vincere pergis,
Et niſi te vincas, nulla trophæa putas.
Te canit hinc tellus, te cœlum quærit alumnum,
Virtutesque ſtupent corda, coluntque tuas.
Vere es Dux magnus, natus melioribus annis,
Cum in terris Carolus emicuit.
Ille tibi pectuſque armauit, & auxit amores;

Ille Dei docuit ſemper adire vias.
Te ſequar, ò poſſim, hæc Præſul mea ſola voluptas,
Hæc deſiderij feruida ſumma mei.
Aſt ego qui potero tali contendere greſſu,
Qui potero talem conſociare ducem?
Tu ſtimulis me punge tuis; tu ſuffice vires;
Tu quoque da Muſæ robora amica meæ.
Feſſa iacet (cernis?) crimen confeſſa gemiſcit;
Da veniam Paſtor, nam moribunda tacet.

Eiuſdem ad eundem de Auctore.

ECce nouum Federice fero: Federice per omnes
Perpetuò Mundi concelebrande plagas.
Ecce tibi e patria clarus conſurgit Apelles,
Ecce tibi e patria doctus Homerus adeſt.
Ille tuos proceres proprijs variare figuris
Certat, & antiquum pingit in orbe decus,
Iſte tuos proceres gaudet deſcribere priſcos,
Atque animi illuſtres pangit amicus opes:
Felices tabulæ, tali ſplendore nitentes;
Felix altiſono qui canit ore duces.
Te mihi, te pingat, pangatque Serenius vnum;
Ipſe habeat proceres; ſis Federice meus.

Ad Eundem.

SEdulus illuſtres aues cum cernere libros,
Qui genus extollunt ò Federice tuum:
Hos capio, hosque lego, voluoque, iterũque reuoluo;
Miror, & admiror; mens mea fixa manet.
Cur ita? vel viſcum generis me fallit auiti,
Vel mea Baſilij lumina firmat amor.

Eiuſdem ad Auctorem

D. BASILIVM ARCHIPRESPYTERVM.

PRæclaros ſemper calamum conuertis in vſus,
Ordinis ò ſplendor clare Seregne tui.
Aurea virgineæ pangis modò geſta parentis,
Et modo fit Ieſu nomen in ore melos.
Caroli & hic, generiſque altos deſcribis honores,
Borromęorum pandis vbique decus.
Iure ſuper terram, & Cœli ſuper atria, certant
Te decorare homines, te decorare Deus.

Aliud

Ad eundem P. Seregnum.

QVam bene dulci ſonis præclare Seregne Camęnis
Cœleſtis tactus Caroli amore canis.
Grande feres (credas) tali pro munere lucrũ,
Et nimis illuſtres connumerabis opes.
Se- regnum Deus ingenti pro fœnore reddet,
Quære aliud maius ſi potes orbe decus.

DOCT. IACOBI ANT. BOSETTI
Rethoris.

AD EVNDEM ILLVSTRISS.

HEroum turbam Federice ſperſtes auitam
Cernis, & aſpectu paſcitur illa tuo.
Intereà veteris dum tu ſis æmulus æui
Cedit in amplexus priſca caterua tuos.
Ingentes animos tu mox præ greſſus auorum
Vnicus immenſum ſuppeditabis opus.

CANDIDO LECTORI

D. Baſilius Archipresbyter nuncupatus.

INcognita nequaquam diligi poſſe, tamquã Axioma celebratur penes eruditos: communi, concordi ac pleno Philoſophorum conſenſu receptum. Non quaſi notitia dilectionis prodroma; ſed quia nihil amamus niſi quod bonum iudicauimus, ex ratione formæ & imaginis quæ in nobis eſt; palam enim Verum in mente fundari, bonum verò ad quod voluntas propendet, in rebus ſitum: indèque tria illa Eſſe, Noſſe, Velle, gradatione inuariabili de Homine conſiderantur. Et hæc quidem vera citrà hæſitationem; at illud quoque certiſſimum, quod Amor omnium maximè Scientiam perficit. Nam cum amantis animus affectu, cogitatione, deſiderio, continenter feratur, atque adeò ſe ingerat rei vehementer amatæ, non falsò ecſtaſim exceſſumque pati, à ſe recedere, in eam transferri, quin et transformari enuntiatur. Propterea (vt Diuus Chryſoſtomus inquit) Amantes videmus ante cæteros eorum facta ſcire quos amant; nimirum de his ipſi ſoliciti ſunt. Id ſi alias vnquam, in ſimilitudinario hoc ædificio conſtruendo ipſe expertus ſum, qui ſola amoris prælucente lampade, tenebroſa vetuſtatis oſtia ſubiiſſe: & de caliginoſæ obliuionis faucibus viuos lapides ac multiuaria memoratu digna vindicaſſe profiteor. Quocircà ſi laudari meruit mulier, gratioſo obſequio vnguenti vaſculum effundens ſuper caput Saluatoris in Bethania recumbentis, dicente domino, Quod habuit hæc fecit. Cur illaudatus recedam, qui vel id præſtiterim quod non habebam? In vniuerſo enim Elogio quod perdius atque pernox elaboraui, nihil pror-

prorſus de meo appoſuiſſe conteſtor; cum alioqui vniuerſum meo Marte compilarim. Enimuero quicquid ad Hiſtoriam pertinet, aliundè quæſitum atque emendicatum, è libris, tabulis, membranis, vetuſtis ſchedalis ac monumentis; Inuentionem autem, ſeriei diſpoſitionem, phraſim & circumſtantia cætera; quæ videlicet narrationi ancillantur, à me ipſo excogitata non inficior. Ea verò ſi non ad Critolai librã expenſa: ſi non ad Cleanthis lucernam euigilata, non tamen cunctis (ſpero) ſordeſcent affatim, cum pro materia ipſa planè heroico Poemate digna, tum etiam pro quantulacumque eruditione, ac rerum varietate haud omninò iniocunda; nempè caſuum affectionibus, egreſſionibus, ſimiliũ collationibus, feſtiuis ſalibus, & corraſa multifariam gratiola eam ad vberiorem faciliore mque captum reſperſi: interdum nec Apologis abſtinui, ſciens quod Græcia quantũ vitanda pro mendacio, tantum amplectenda pro commento. Quodſi ea me deficit venuſtas & copia, qua nonnulli ſcripta ſua amœnis diſcoloribus auleorum inſtar, ſplendidè admodum ac luculenter decorarunt (quæ in me forſan à beneuclis deſiderari poſſunt, ſperari ex inſcitia atque ariditate mea nequaquam) Plutarchi ſuffragetur exemplum; Vt iuxta vias aſperas ac ſalebroſas, violæ floſculique nonnumquam occurrunt, ita in oratione infacunda, aliquandò & ſententiæ & figuræ occurrunt non contemnendæ. Salebroſas & aſperas *inquit, nec me piget voces mutuari; audiui enim duram & ſubagreſtem mihi locutionem exprobrari, à nonnullis; quibus ſcilicet curta nimis ſcientiæ ſuppellex: qui protritis, triuialibus ac vulgatiſſimis libellis quibuſdã contrectandis aſſueuerunt, vel ad ſummum duodeuiginti Ciceronis paginas lectitarunt, & nihil ſupra attigerunt. Hi prima fronte titulum ipſum; nempè* Stylobaten, *in*

ius

ius vocant, dictionem criminantes vel acidam, vel tetricã, vel certè enigmaticam, pro cuius interpretatione Delphos, aut Cumæam adire neceſſum. Ad quos ego, Cum turpe ſit ea carpere quæ ipſi emendare non valeamus, eia proferte vocabulum genuinum, latio oriũdum, conceptui meo quadrãs; nempè id importans quod vulgò dicitur Piedeſtallo; *quippè illud quam libentiſsimè affigam. Quod vbi minus adeße compertum ſit, explorato etiam per ſingula latibula phraſis latialis penu, cur mihi vitio detur, quod à fonte græco vndè latinitatis natalia extitere deriuandum putarim, quod præſertim nec familiaris reticuerit Ambroſius à Calepio? quamobrem nè ſingula reuocando patientia tua abutar, ab vno diſce cætera cordate Lector; ad te enim prouoco. Illud quin etiam miſerrimum duco, quod Critici quidam verbis non rebus intendentes, Scriptores omnes reſpuunt ac damnant, præter eos quos ipſi ſibi imitãdos propoſuerunt: ijs tamquam ſelectis Dijs adeò pertinaciter inhærent: tãtumque tribuunt; vt iam nihil effari liceat, quod non illi prius euomuerint. Extat Apologia Lud. Caſteluetrij, voces nonnullas ab Annibale Caro inductas expungens, quia inter Petrarcæ Poemata minus inueniantur. Sed quod ſummè horrendum, blaſphemus Catholicæ religionis deſertor Bucerus, Sacroſanctæ TRINITATIS nomen iugiter adorandum, abrogandum contendebat; propterea quod eo nuſquam vſus fuiſſet Cicero, quid ſtolidius eructetur? Huiuſmodi* Seruum pecus *Horatius nuncupat, ipſe*

Nullius addictus iurare in verba Magiſtri,

Rectè Iunius Columella, Sapientiſsimi multa ſcripſerunt, non tamen omnia. Quod vero C. Iul. Cæſar monuit, cauendum à voce abſoleta non ſecus atque à ſcopulo, mihi quidem probatur, ſed de his facilius iudicatum felici ipſius æuo,

cum

cum phaleratæ elocutionis periodos: & defæcati ſermonis merum vna cum lacte ſugebant tenelli, quam tempeſtate hac noſtra, ex quo cum Romano Imperio paulatim vetuſta dicendi elegantia dilapſa eſt; vel certè nouatis quibuſdam vocibus permixta, quæ poſtmodum vſu in morem inductæ & ſcriptis inſertæ omni eruditione refertis. Sed maximè propter diuerſas guſtuum conſperſiones; nihil tam ſuaue aut excultum, vt omnibus arrideat. Faueo itaque Fauorino Philoſopho apud A. Gellium docenti, Viuendum moribus antiquis, loquendum verbis præſentibus. *Non ego faſtidio Ciceronem, nec mihi ſicut Bruto ſtylus eius fractus, aut elumbis: neu quemadmodũ Fabio Caluo exanguis videtur aut protritus: neque ſupinus flaccus & malè coagmentatus, vt Sidonio Appollinari; quinimò eximius mihi Marcus Tullius, & planè mirandus; ſed non ſolus: illius facundiam deoſculor; ſic tamen vt nec alij Scriptores merita laude fraudentur, qui & ipſi doctrinarum domicilia dicendi vbertate locupletarunt: ingeniaque lætificarunt. Stylus meus is eſt qui ſuaptè ſpontè è varia Doctorum lectione conſurexit, & maximè* Sanctorum: *& eum ipſe vſu magis quam arte vlla ſuſtineo, quem gentilitio Sereniorum ſtẽmati ſæpè iocans perſimile dicere ſoleo; ſiquidem maiores noſtri mille antè annis, cæleſtis* Galaxis, *ſiuè* Viæ lacteæ, *inſigne extulerunt; ea porrò Cælo nocturno (non tamen nubilo) conſpicitur, quod tametſi ſubobſcurum, intermicantibus Aſtris paſſim coruſcat, Sed cum Stella diferat à Stella in claritate (alio namque fulgore nitet Sirius, alio Palilitium: alio* Regulus *atque Capella, Arcturus Fidiculauè; nimirũ plus lucis egerunt: fortiusque radios eiaculantur Sydera primæ magnitudinis, præ inferioribus ordine) Galaxim ipſam Aſtris adeò minutis conſtare perhibent Mathematici, vt eã*

ex-

exhalationem quandam Elementarem exiſtimarit Ariſtoteles potius quam de cœleſtium natura: earum inquam tenuitas, Carybdis inſtar, ingenium Ariſtotelis abſorpſit. Idem verò præciſè de conatibus meis mihi perſuadeo: maloque inſcitiam meam fateri, quam modeſtiæ tranſgredi præſcriptũ. Cæterum facile eſt aliena ædificia demoliri, meliora extruere difficillimum; Ita aliorum ſcripta reprehendere in procliui eſt, non perindè promere doctiora. Ego ſicut in reliquis ità in hoc Elogio quod velut præcurſorium ad Chriſtiani Sacerdotis IDEAM. nunc typis diſpaleſcere iubeo, ſignificantibus verbis cuncta pro virili enarrare adnitor: & voces rebus accomodare: quandoque digredior ſimilitudineſque interpono: argumentis ſuadeo, tropis vtor, exemplis atque figuris; nè clariſſimæ Familiæ encomium orationis meæ ieiunitate flacceſcat, dum virorũ virtutibus ſe attollit in Cœlũ, cuius finibus meritorum illius terminatur gloria. Itaque licet in Tantali fonte nentiquam labra intinxerim; audeo tamen ingentis momẽti materiam enarrandam aggredi; quia omninò magna ſint neceſſe eſt, quæ ſunt maximis proxima. His verò nolim primo occurſu applaudas, magis aueo vt ſedulò introſpecta animo tuo inſedeant; quia vt vulgato Prouerbio fertur: Quæ ſubito placent, non diù placent.

ETHICAE PILAE RATIONALISQVE

STYLOBATAE LATVS IMVM, & Corona inferior.

Siuè

Elogij in clariſſimam BORROMÆORVM familiam.

LIBER PRIMVS.

SOlennis conſuetudo pictoribus, ſculptoribus & id genus ſimulacrorum fabris, ſtatim atque penicillo, aut cęlatura, ſeù opere plaſtico, vel glyphico ac fuſorio, Herois cuiuſpiam Imaginem effinxerunt: eam in Foro, vel Quadriuio, loco ſublimi, edito, atque conſpicuo exponere; ſcilicet vt omnium aſpectui propalam exhibita pateat; nimirum ex eo quo quicquam eminet, maieſtatem ſibi conciliare videtur; nam & ea quæ ſuſpicimus, admirari dicimur ac venerari: vel fortè, vt ſi quid mancum in ea, imperfectumuè relictum eſt, haud ita facilè percipiatur; velut diſtantia accuratam diſquiſitionem intercipiente, næuoſque & Artificis errata ac delicta ſuffurante.

Ego ſancto Archipręſuli CAROLO magnalium patratori, iamdiù ſtatuam molior, ethicam dico rationalemque, non corporatam: neque Policleti, ſed Socratis arte S. Cardinalis CAROLVS ſiuè, Chriſtiani Sacerdotis IDEA, titulo ſignandam. Non qualem Xenophontis Pœdia (licet eodem planè ſcopo) ad optimi imperij effigiem & archetypon, potiuſquam ad hiſtoriæ fidem Cyrum inducit (neque enim qualis ille fuerit; ſed qualem eſſe deceat Principẽ, graphicè ſcienterque deſcribere noſcitur) verum ad virtutum iſtius lineamenta calamum attemperans, nullis pigmentis, nullo fuco, genuinum ipſius colorem obducendum duco; niſi quod latius meritorum eius inſignia laudumque præconia diffunduntur, quam vt meo valeant ſermone concludi: & eximium opus, longè maiorem depoſcere videtur artificem. Siquidem vir ille Deo plenus forma Gregis, normaque Paſtorum, Chriſti ſponſæ Eccleſiæ tanto vſui fuit, tantum commodi, tantum peperit emolumenti; vt verè ac ritè, illud pro eo aſſumi valeat, Epheſ. 4. quod Compactus & connexus per omnem iuncturam ſubminiſtrationis, ſecundum operationem in menſuram vniuſcuiuſque membri, augmentum corporis fecerit, in ędificationem ſui in caritate. Tametſi igitur ſtatua eius grandis & ſtatura ſublimis, non ingenio meo aut opera, ſed ſua proceritate, verticem cælo inferens, vniuerſoque iam Orbi conſpicua, nequaquam ſcabello eget, quo à terra ſurrigatur; nihilominus tamen pilam, ſeù Baſim, aut Stylobaten, eidẽ libet parare ſubijciendam;

nè

ne morem iam indè à priſcis ſeculis receptum aſper nari dicar, & ab Architectonices inſtitutis, aut præceptis abhorrere.

Quoniam veró excellentes animi dotes & prærogatiuæ, ſtudioſiſque potiſſimum actus, qui in CAROLO ſtellarum inſtar effulſere, argumentum ipſius Coloſſo ethicè conſtruendo abundè præſtant, ſimulacro autē, Stylobates ex Symmetriç legibus ad libellam congruere debet: operæ pretium me factu- rum duxi, ſi huic etiam exædificandæ, generis claritatem à proauis attauiſque traductam, lapidum ac cæmenti vice adhiberem. Tum quia inclyta Borromeorum gens, viris illuſtribus vſque ad redundantiam affluens: Pontificumque, Imperatorum, Regum ac Principum antiquiſſima memorans exordia, ſolidum, firmiſſimumque veræ nobilitati fundamentum ſuppeditat: Tum etiam quia cum ſapientum iudicio, inter huius vitæ ornamenta non in poſtremis cenſeatur ſtirpis generoſitas; nuſquam tamen locus ſe offerat, nedum in corpore, ſed nec in amictu, aut vniuerſa Sācti Cardinalis ſtructúra, quo eiuſmodi ſtemmata aptè conſerantur (fruſtra quippè ad radicem deſcendas, vbi de trunco, de ramis, de arboris fructibus fæcundè ſuppetit quod loquaris) Et eo magis quia ille immaculati Agni vellere interius, & nuptiali euāgelica veſte deforis indutus, Mundi faſtum à ſe penitus ablegarat, appoſitè ſatis ea pedibus illius ſubſternentur, quæ ipſe negligere ſe prodidit, & velut quiſquilias ac venti ſpolia peſſundare atque calcare; adeò enim adulterantem mentis

elationem eneruare didicerat, vt ad humanarum rerum deſpectum, etiam familiæ ſeſe cognomine abdicaſſet, *à Sanctæ Praxedis* titulo vnicè nũcupari gaudens. Id vero quoties cogitatione complector, eame ſubit reputatio, vt de ſpernenda gloria & diuitijs, idem prorſus enunciem, quod de proterenda ſuperbia & vitijs, magnus Auguſtinus reliquit ſcriptũ, nimirum, *Eleuabunt nos, ſi fuerint infra nos*; multo plus namque commendationis immò & admirationis, reiectæ, quam acceptæ dignitates ei attulerunt: ipſaque honorum reſignatio atque abiectio, quam ſuſceptio, ingens illi peperit decus: & ſi præclara munera, pingueſque prouentus cum obtineret, inſignis habitus eſt; ſed cũ ea reliquiſſet longè inſignior. Quale eſt illud quod ad Principiam Virginem ſcribit Diuus Hieronymus de Marcella. *Nihil in ea laudabo niſi quod proprium eſt, & eo nobilius, quod ex opibus & nobilitate, facta eſt paupertate & humilitate nobilior.* Is enim vbi primum ſancti amoris aculeos in corde ſenſit, mundani floris picturam inſtabilem, decreuit omninò contemnere (Quemadmodum & virgas Magorũ olim deuorauit Aaronis virga) Exodi 7. ſpeciem ſeculi inanem, ſpemque fallacem, & Mundi fumantis nebulas, aciem veræ theoriæ obnubilantes, acrioribus mẽtis oculis, ſpiritaliſque vnctionis ſpecillis contemplatus. Hinc quantumlibet illi vndique ſeculum arridere videretur: quantumuis mundus illius oblectationi floreret, iam planè animo eius exaruerat, quippequi Apoſtolicam recoleret admonitionem, *Qui vtuntur hoc Mundo, tamquã* non

S. Auguſt.

S. Hieron.

non vtantur; præterit enim figura huius Mũdi. 1. Cor. 7. Cuius tanto ſublimius gloriam deſpexit, quanto magis in culmine mentis agnouit, nihil eſſe quod poſſit auferri. Sic Moyſes regias Pharaonis diuitias deſpiciens, eo tandem prouectus eſt, vt Dei etiam frueretur alloquio, Exodi 2. Act. 7. Hebr. 11.

Illud itaque magnanimo Viro iudicium fuit de originis pręſtantia, quam à maioribus vena diues in eum transfuderat, vt diceret, Parum curſorio equo cõducere, quod generoſo equitio ductus, ni ipſemet validus & acer: nec maiorum ſplendore ſatis ornari quempiam, niſi propria induſtria laudem ſibi comparauerit: ſatiuſque eſſe rebus benè geſtis, quam maiorum fama niti, hæc ille frequens inter loquendum. Quo ſenſu diſertiſſimus quoque Philo aliquando ſcripſit, Nihil prodeſſe oculis orbato parentum perſpicacitatem: neque elingui paternam auitamue eloquentiam; cum nequaquam hæreditaria ſint. Laertius vero Diogenes pecudi aureo vellere redimito: aut imagini affabrè confictæ, excordi autem & abſque cerebro, comparauit Nobilem quemlibet, cuius mores ſordeant: vel in quo virtus deſideretur priſcorũ amplitudini reſpondens. Ineptè ideo quidam ſplendore ſtirpis aut loci adeò inflantur, vt veram ex virtute & factis claritatem nullo numero habeant, à bonis artibus vſque adeò abhorrentes, vt ipſas velut multum infra ſuum faſtigium iacentes, ſuperbè faſtidiant: credantque nullis vitijs auitas imagines, & vetuſtam generis claritatem inquinari poſſe. Marcus Tullius cuidam exprobrabat,

S.Car. ſẽtentia.

Philo.

Diogen.

bat,

Cic. in piſonem. bat, Obrepſiſti ad honores errore hominum: commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil præter colorē; hæc ille. Stultè inquam iſti; quippè ex veteri prouerbio. *Patrimonium virtutis eſt gloria: ſoboles gloriæ Nobilitas*. Vel ſi verba mutuari liceat ſacri vatis, *Dominus virtutum, ipſe* *Dauid.* *eſt Rex Gloriæ* Pſ. 23. Nempè quia Nobilitas cum à virtute originem ducat, non ſecus ac riuus ex puro ac perlucido fonte manans, ſi per cloacas & latrinas illapſus fluentum inquinarit, non iam limpidæ aquæ, ſed putris cęnoſæque lacunæ nomen ſortitur; ita & ingenita Nobilitas, ſi à ſua ſcaturigine; nimirum à ſtudio virtutis deſciuerit, continuo à ſeipſa recedere dicenda eſt, inque turpitudinis dedecus relabi. Non hic de Theologica diſſerimus: neu de Naturali; ſed de Politica duntaxat. Quam cum ex antiquarum etiam opum affluentia, & ex maiorum ſplendore enaſci minimè diffiteamur; illud tamen aſſeueranter profitemur, Nullam in hoc communis vitæ campo feraciorem gloriæ, nullam vberiorem felicitatis plantam, vna ipſa virtute, quæ veraciter de ſe ipſa canit.

Silius Italic.
Mecum honor & laudes, & læto gloria vultu.
Et decus & niueis victoria concolor alis,
Me cinctus lauro perducit ad aſtra triumphus.

Paterculus. Velleius vult optimum quemque eſſe nobiliſſimū: & cuiuſcumque animo virtus inſit, ei plurimum *Salluſt.* eſſe tribuendum. Quodque veram Nobilitatem melius ſit egregiè factis peperiſſe, quam acceptam corrupiſſe, diſſerit Marius apud Criſpum; quis enim

pu-

puſillum, *Gigantem* dicat, propterea quod Gigantis filius? immò quanto vita maiorum præclarior, tanto poſterorum ſocordia flagitioſior. Et genus, & proauos, & quę non fecimus ipſi; Vix ea noſtra vocat, Vlyſſes apud poetã Sulmonenſem, qui alias, *Ouid.*

Non cenſus, nec clarum nomen Auorum,
Sed probitas magnos: ingeniumque facit.

Quod eſt idẽ ac, Iuſtitia rectę voluntatis laus eſt, nõ antiquitatis. Et doctrina ingenij decus: non maiorũ. Virtutes in vniuerſum, animi dotes exiſtimandæ: nõ numerandæ inter ſanguinis prærogatiuas. Itaq; ſi quis eo præſtãtior quo propius accedit ad priſcorum ingenuorum laudem; multo certè præclariora iſtius encomia, qui maiorum ſuorum dignitati tam multum ex ſe adiecit, tantumque potiori ſummorum operum ac geſtorum radio familię clarificauit inſignia, vt ad benefactorum iubar, natalium penè claritas euaneſcat. Hæc vera Nobilitas quæ *Moralis* nuncupatur, quam tantopere euehunt philoſophi. Excellentem qualitatem in quibuſdam rationalis naturæ indiuiduis effulgentem, vnicum claritatis initium atque baſim affirmantes, ſcribente ſatyrico.

Tota licet veteres exornent vndique ceræ *Iuuenal.*
Atria, Nobilitas ſola eſt atque vnica virtus.

Cum tamen originaria quoque ac ingenita, rectè & optimo iure in numero bonorum honorabilium computetur, nempè generis præſtantia à prioribus ad poſteros tranſmiſſa; quin & maior cenſetur innata claritas quam quęſita; prçcedit namque quod

venit ab origine, id quod ſequitur ex labore: & gloriam beatius eſt habere quam quærere; vt enim docet Philoſophus, conſentaneum creditur, ex melioribus meliores oriri. Ad quod pariter trahere lubet peruulgatum eiuſdem axioma, ſcilicet. *Principia maximè valent ad conſequentia*. Nam ſi de naturalibus, aut de ſyllogiſticis vt communiter vſurpatur, eſſet accipiendum; nequaquam libris Ethices; ſed Phyſices, vel Logices potius inſeruiſſet, eximius ille ordinis atque diſtinctionis patronus. Hinc poeta ille non ineligans;

Ariſtot.

1. Ethicorum.

Si te ruſticitas vilem genuiſſet agreſtis,
Nobilitas animi non foret iſta tui.

Fauſtus. Angelus

Politianus, Ramos obliquos & ſurculos ſuapte natura tortuoſos, haud facile ad rigorem leuigando & contrectando redigi poſſe autumat, ſtatim ad naturalem prauitatem recurrentes; ſic parum honeſtè natos: parum ingenuè educatos continuò viliſſima adamare: nec in ſublime animos attollere; immo ſi etiam interdum virtutem ſibi parent; illa tamen tamquam aſcititia, in deteriorem illis partẽ ob generis humilitatem ſæpiſſimè labitur. Et licet ab vno eodemque fonte Deo omnia fluxerint, & Natura matre nemini nouerca; non tamen ſingula eodem excellentiæ aut perfectionis gradu conſiſtunt. Vita communis omnibus, dignitas non itidem, cõteſtante Philoſopho, à primo ente communicatum omnibus eſse, verum his obſcurius, illis præclarius, & quidem nil ambigendum in ipſo cuncta identificari [quæ eſt Scholæ Phraſis] ſed & ſingula ab

Boet. 3. de Conſil. Ariſt.

inuicem

inuicem diſcerni, ſi res ipſæ ſpectentur. Vti perſpicuum in lineis ab vnico centro ad circumferentiam variè protractis. Idem innuere videtur magnus Areopagita ſcribens lib. de diuin. no. c. 8. quod Deus omnibus tribuit dignitatem ſecundum propriam existentiam: & vniuſcuiuſque naturam in proprio ſaluat ordine & virtute. Nec quidem aliter ſpecierum diferentiam tradere potuit Ariſtoteles, quam quod ipſas numeris comparauit. Et hac de cauſa Pythagoras ille, noīe & re philoſophus, Arithmeticam ſibi conſtituit omnium ſcientiarum Matrem. Ad hęc, numerum ideſt diſtinctionem, creandarum rerum, in animo Cōditoris principale exemplar extitiſſe, aſſerunt Auguſtinus & Seuerinus. Vt illud corellarij vice inferri poſsit. Non quidem illuſtri editos genere ſolum, ad ingenuitatē natos, cū cunctis ſit ad laudem curſus apertus; at non æquè expeditus. Quemadmodum enim Margaritæ pretioſaque metalla ſolis radijs oppoſita, ſplendidius micare ſolent; ſic ipſa virtus, à nobilitate lucem accipiens, ſummopere rutilat. Et ſicut in ſemine, ſtirpium atque arborum, principia delitēſcūt & cauſæ; ſic maiorum ſatu, poſteris optima plerumque ingeneratur propenſio. Et ob id Apoſtolus Paulus, Tribunum Claudium Lyſiam iactantem Romani ſe ciuis iura multa ſumma conſecutum, retudit inquiens, *Ego autem & natus ſum*. Act. 22. qui & alibi de ſe prædicat; *Ego ex genere Iſrael, de Tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis*. Galat. 3. His addā ex Platone, quod Elei Piſeique, apud quos Olympia celebrari ſolita, nemi-

Dyoniſius. Pythagor.

S. Auguſt. Boet.

Plato.

B nem

nem ſe nudare ad certamen illud patiebantur; niſi qui parentes,& ſtirpem generis, docere poſſet omni labe caruiſſe. Magnum igitur adiumentum ad virtutem amplexandam, adque honores capeſſendos, claris ortum eſſe genitoribus, ſanguiniſque prꝗſtantia vel ex eo ſuſpicienda,quod nobilium virtutes aurea, ignobilium argentea, ſi nō etiam plumbea cꝗlatura incluſæ exiſtimentur. Habetur ſententia celebris primo Ethicorum: *In fortunatis virtutem maximè eluceſcere.* Valerius lib.8.cap. *1*.ſcribit, M.Æmilium repetundarum reum, propter vetuſtiſſimā nobilitatem,& recentem memoriam patris,abſolutum fuiſſe,& Cicero profitetur apertè,Omnes boni ſemper Nobilitati fauemus; vtile enim Reipublicæ nobiles eſſe homines,dignos maioribus ſuis. Olim & in Capitolio Lex illa Romuli affixa legebatur,*Patres, ſacra,Magiſtratuſque ſoli peragunto, plebæi agros colunto*. Manca igitur, & imperfecta vtcumque virtus cenſetur, ſi Nobilitate deſtituatur; quæ propterea etiam meritò expetenda; quin & magno mercāda; modo id fieri poſſet; nos enim impræſentiarum de genuina atque originaria loquimur, non de aſcititia vel ex cuiuſquam priuilegio quæſita; ſed à progenitoribus atauiſque phyſicè traducta,& carnalis propagationis ſerie duntaxat, quia vt Mantuanus Carmelita tradit: Filij indole præditi, nè degeneres habeantur, maiorum æmulantur ſtudia,adque prꝗceſſorum felicitatem aſpirant. Quippè animi,& corporis temperiem cum ſemine ſuppeditant parentes; neque enim ſola lineamenta effingunt corporis, ſed

Ariſtot. *Val. Max.* *Cicero.* *Bapt. Carm.*

&

& affectus, & morum incitamenta. Et quidem nati informantur ad artes à præceptoribus; ſed in venis & viſceribus genitorum formatur ad animi magnitudinem ſoboles; in generatione ſiquidem quædam qualitates communicantur, quæ fiunt vt in cæteris animalibus, perindè in hominibus hæreditariæ, quo fit, vt qui bonis cuiuſcumque ordinis parentibus orti ſunt, de his bonam ſpem concipiamus, volente natura, filios parentibus quam ſimillimos procreari. Hinc illud poetę Flacci, vim prouerbij fermè obtinuit. *Fortes creantur fortibus.* cui accinit atticum dictum. *Mali corui malum ouum* Verumenim animũ neque Phidias neque Zeuſis aut Polignotus. Vnquã fingere aut pingere potuerunt, cum ſola corporis cõſtitutio exprimit ac delineat, illius affectus adumbrans; tam arcta quippè neceſſitudine atque affinitate corpus animuſque copulantur, vt qui corpus ſpectet, animi vmbrã ſe videre arbitretur aut ſimulacrum, hinc attenta cuiuſquã ſpecie ac indole, Phyſiognomi ſępè de illius ingenio ac moribus iudiciũ ferunt haud erroneum. immo & cuius animantis homo ſimilitudinem, ore & vultu præſeferat, eius quoque in multis naturam imitari contendunt plerique philoſophi poſt Ariſtotelem, & omnium exactiſsimè ſicut nouiſſimè, Io. Bapt. Porta, inſigni de his edito volumine; non ab re igitur corporis figura atque poſitio communiter dicitur *Morum nuncia, Vitæ interpres, & Imago animi.* ex vulgata ſententia, *Mores temperamenti inſequuntur naturam.* Hinc formoſis, & benè concinnis corporibus, pręſtantiſsi-

Horat.
Iliad. 2.
Neapolit.

Dicearch. mas etiã ineſſe animi dotes exiſtimauit Dicearchus. & animo longè excellenti diuiniorique præditos, quorum corpora ceu animi ſimulacra pulchritudi- *Max. Tyr.* ne eminerent, cui ſubſcribit Maximus Tyrius, Quod pulchrum eſt, id neque exitioſum vnquam, neque *Ariſtot.* lubricum, neque flagitium aliquod efficit. Ariſtoteles in Politicis, eos vult ad Magiſtratus deligi, qui ſint forma decori. & in Ethicis, deformem haud ſatis ad felicitatem idoneum retur. Cepolla tractatu de Imperatore exercitus. fol. penult. concl. 10. decernit, in dubio eum indubiè deligendum, qui forma eleganti cæteros excellat. Decreta canonica inclamãt 41. diſt. §. vlt. Corporis incompoſitione, mentis *S. Aug.* ſignari inęqualitatẽ; id vero ab Auguſtino ſumpſerunt, qui & alibi dictũ illud Pſalmographi 44. Speciosus forma præ filijs hominum. ad conteſtandam Chriſti Saluatoris ſanctitatem pertinere autumat. *Plotin.* Plotinus ſtatuit omninò intus bona eſſe, quæcumq; ſint extrinſecus verè pulchra, quia ex interioris formæ perfectione atque Seminariæ rationis victoria ſuper materiam, externa proueniat formoſitas. Hoc ſenſu Ptolomęus quoque ſcripſit, quod Diuinans melius, & verius pronunciat, accipiens iudicium à ſtellis ſecundis; vocat porrò figuras, & accidentia iuncta in rebus phyſicis, *ſecundas ſtellas*. quia à Su- *Plato.* perioribus impreſſa ſunt. Plato formas minimè dari exiſtimabat niſi iuxtà merita materiei. & ingenium haud diſſimilem à corporis ſtructura. Pater quo- *S. Greg. Naz.* que Naziãzenus teſtatur, ſe Iuliani Apoſtatæ vafriciem apertè pręcognouiſſe, cum eundem lõgè anteà

Athe-

Athenis cōſpicatus fuiſſet. Virgilius de Ænea ſuo enũciat, Ante alios, pulcherrimus omnes. Et Homerus Achillē Hectoraq; inſigni pulchritudine adornare nititur. è cōtra Therſiten à planta pedis vſq; ad verticē deſcribit inſigniter deformem; quo peſſimum ingenium in domicilio condigno habitaſſe demonſtret. Et Epigrammatiſtes, Zoilum ſuſpectum habet, dum ait, *Virgil.* *Homerus.* *Martial.*

Crine ruber, niger ore, breuis pede, lumine læſus.
Rem magnam præſtas Zoile ſi bonus es.

Talia paſſim depromunt Philoſophi, qui abditarum in ipſis naturæ penetralibus cauſarum ſecreta rimantur, concludentes pulchrum & bonum conuertibiliter dici; ſanè quia à Deo vno tamquam ſigillo imprimitur rebus omnibus character pulchritudinis, quę nihil aliud eſt, niſi circulus quidam diuinæ lucis, à bono manans & in bono reſidens, per bonum, & ad bonũ ſempiternæ reflexus; diuini namque Solis perpetua, & inuiſibilis lux, ſemper eadem omnibus adſtat, fouet, viuificat, excitat, complet, ac roborat. Vndè poeta.

Cuncta fouēs atque ipſe ferens ſuper omnia ſe ſe. *Orpheus.*

Vt autem eſt actus omnium, & roborat vniuerſa, appellatur *Bonum*, vt viuificat, lenit, mulcet, & excitat, dicitur *Pulchrũ*, vt animę vires illicit in obiecta, ſic *Pulchritudo* nuncupatur. Hæc verò in eo ſecerni putantur ab inuicem, quia bonum ſit id quod placet per ſe ſimpliciter, pulchrum autem ſecundum quid; nimirum cuius apprehenſio placet. D.T.p.1.q.5.art.4.& 1.2.q.27.art.1. Et pulchritudi-

dinẽ quidẽ conueniunt Philoſophi cõſiſtere in reſplẽ dentia formæ, ac relucere in ordine, proportione & harmonia. vt Areopagita lib. de diuin. no. c. 4. humani autem corporis gratiã, conſtituunt primò in animali virtute atque præſtantia: tum in concinna linearum, colorum, ac membrorum ſymmetria, & partium ad totum correſpondentia, ac ritè compacta commenſuratione. Neque enim totum eſt ſuæ partes, ſed id quod ex partibus reſultat; Quapropter cum ſpecies nihil aliud ſint niſi contractæ quædam pulchritudines; intellectus verò ſit vniuerſalis quædam pulchritudo omnes ſpecies in ſe complicans; hinc fit, vt mens noſtra quoties pulchrum quid habuerit obuiam, ſummè iucundatur illudque cum delectatione excipit & amplectitur, hilareſcens ex ſibi ſimili. Quare Tullius lib. officiorum, pulchrum (ait) ſua vi nos trahit, & ſua benignitate nos allicit, nempè quia anima pulcherrima, diuinæque pulchritudinis ideam in ſe recondens cognato applaudit, ſiuè cognati veſtigio delectatur, è contra ſi turpe quid nacta fuerit, horreſcit continuò ac refugit. Tametſi verò interdum decipimur externis interna metiẽtes, error tamen eo excuſabilior quo ineuitabilior, cum .n. omnis noſtra cognitio ortum habeat à ſenſu, nec aliundè aditus pateat ad intellectum, quotquot vmbram hanc extrinſecamque imaginem cõtuemur, ex ea ſuſpicantes, in corpore formoſo ſpecioſum animum facilè coniectamus; ſed coniectamus inquam tantummodò; nihil enim indè neceſſario poteſt inferri. Hinc Saluator monebat Io. 7. Nolite iudicare

Dyoniſius.

Cicero.

re

re ſecundum faciem;quia deprauati animi labes aliquando illuſtris formæ ſpecie contegitur occuliturque vel petitiſſimis Phyſiognomiæ magiſtris & è contra. Hinc & Senator Martyr, Ariſtotelē refert, ſcripſiſſe. Quod ſi Lynceis oculis homines vterentur, & eorum viſus quæque obſtantia penetraret, profecto introſpectis viſceribus, illud Alcibiadis pulcherrimum corpus turpiſſimum videretur. Quāobrem ſubdit idem Seuerinus, Igitur te pulchrum videri non tua natura, ſed ſpectantium efficit infirmitas. Grauiter etiam conſulebat Varro, vt poſt occurſantem ſenſibus pulchritudinem, animus ad interiora ſe transferret ex actibus elucentem, illicque mentis oculū ſedulo exerceret; probati namque viri genus, virtutis proſapia eſt inquit Sacer Archipræſul, Verum nè in plura ſermonem laxemus, illud pronum concludere. Formoſiores meliorem habitudinem habere ad benefaciendum; indè enim legitur Sap. 8. Sortitus ſum bonam animam, & veni ad corpus incoinquinatum. licet per malitiam nonnulli à ſuperno lumine decidant, dum irrationalium paſſionum affectibus ſe dedunt. Sit igitur idem iudicium de corpore vitiatis ac turpibus quòd mox allatum eſt de ignobilibus; ſcilicet non quidem occluſum deformibus ad virtutem iter, at non perindè complanatum. Adeſt nihilominus Deus omnibus præſens, & volens, & adiuuans, vt nemo ritè impotentiam cauſetur, quin magis Biantis ſubdiderim adhortationem. In ſpeculo te ipſum ſpeculare, & ſiquidem te formoſum videris, age quæ decorem de-

Boetius.

Marcus Varro.

S. Ambroſ.

Bias.

deceant, ſin minus, id morum penſato pulchritudine. Hæc verò obiter attulimus, probantes ex forma exteriori quæ à Genitoribus traduci ſolet, propenſionem ipſam plerunque dignoſci; tamquam in corpore decus omne deliteſcat naturæ: mirum autẽ in modum ex ijs pronum fuerit clariſſimæ familiæ huius præſtantiam euincere, quę cum plurimos eximios ediderit dignoſque ſpectaculo, tum verò neminem non inſigniter formoſum protuliſſe probatur, vt autem vetus verus verſus ait.

Auer. Gratior, & pulchro veniens in corpore virtus.

Ariſt. Nunc redeo vnde digreſſus ſum, Sapiẽtiſſimi rerum æſtimatores, Auerroes præceptorque Stagirita, cum duo conſtituant genera eius virtutis quæ ad mores attinet. Ethic. 6. & 1. magn. moral. alterum ſcilicet naturale: rationis alterum, primum deſcribunt, Pronitatem eſſe ad quædam munia obeunda, quæ nobiſcum naſcitur & paulatim (niſi contrarijs actibus cohibeatur) adoleſcit, cui ſi altera, videlicet quæ eſt rectę rationis accedat, tunc verò ſtudioſus conſurgit habitus, altiuſque excipitur, & pertinacius inhæreſcit, verum & hoc alias. Impræſentiarum minimè prætereatur, quòd pręceſſorum fama viuente, poſteri mirificè excitantur ad imitationem, & ad clariſſima facta; Indè enim dictum celebratur Platonis,

Plato. *Virgil.* *Cicero.* Gloria parentum natis eſt pręclarus magnificuſque Theſaurus, & Maronis, te pater Æneas, & auunculus excitet Hector, & Ciceronis, optima hęreditas omnique patrimonio pręſtantior, à patribus liberis tradita, cui dedecori eſſe nefas & vitium iudican-

dicandum. Et Senecæ id peculiare ingenuis, ad ho- *Seneca.*
neſta concitari;nec enim quemquam excelſi ingenij
ſordida delectant. demum Caſſiodori, Similitudinẽ *S. Caſſiador.*
ſuorum felix vena cuſtodit, quando pudet delinque-
re, quia ſimilia nequit in ſuo genere reperire. Iccir-
cò perquam familiaris Oratoribus locus à præceſſo-
rum laude; vt quoties Magnatis cuiuſpiam præco-
nia edicere parent, maiorum illius cum primis me-
morent inſignia, vt inquã ad honorem præſentium
accedat dignitas antiquorum: & Patrum encomia
ad filiorum gloriam redundent. Deſcribunt porrò
eam eſſe virtutem, cum maiorum dignitate ad poſte-
ros propagatam: animi patrimonium: genuinæ
claritatis poſſeſſionem: gloriæ hæreditatem: lucem
rerum geſtarum; vt ſi egregijs parentibus orti, illo-
rum geſta ſequantur, ſeruent, imitentur, eorũ quo-
que propter maiorum ſplendorem, acta generoſa
quam latiſſimè proferantur: & clarius ad eorum vi-
tæ nitorem elucеſcant; ſin verò turpes & ſceleribus
contaminati; eorum pariter flagitia fiant longè no-
tiora: & velut antecedente face conſpicua magis.

Sed nè in Domini ſortem ac militiam iuratus,
Rethoricæ duntaxat aut humanę Philoſophiæ inni-
ti videar, ſuperſedens coaceruandis Ethnicorum ſen-
tentijs, vnico vtar Sacrarum litterarum patrocinio;
illæ enim copioſam ac multiuariam nimis ad hoc
ſuppeditant materiam; nam & generatim, Hominis
gloriam in honore patris ſui: & dedecus filij patrem
ſine honore teſtantur. Eccleſ. 3. & ſpeciatim, Beatam
aſſerunt terram cuius Rex nobilis eſt. Eccleſ. 10. re-

feruntque Moyſen de nobilium cœtu delegiſſe populi Iudices Deuter. 1. & ſingulatim, Samuelem euehunt nobilitatis nomine, 1. Reg. 3. Et Abiſai armi potentem, inter tres conſpicuos nobiliorem autumant, 2. Reg. 13. Et laudatiſſimæ Mulieris virum, nobilem prædicant in Senatorum conſeſſu, Prou. 31. Et decurionem Ioſephum ab Arimathæa, cohoneſtant titulo nobilitatis, Mar 15. vtque demum ſexcentos pręteream, Mattheus 1. propitiatoris Domini Ieſu generationem (non illam dico, qua in ſplendoribus ſanctorum, è diuino fonte proceſſit à diebus æternitatis incomprehenſibilem, ſed) qua propter nos homines deſcendit de cęlis, & filius hominis vocari dignatus eſt, à Prophetarum, Regum, Ducumque Teſſaradecadibus orditur; quaſi ex hoc æquum fuiſſe demonſtrans, vt Dei Vnigenitus & primogenitus omnis creaturæ: vniuerſęque compagis caput, etiam in corporei ſanguinis vena, illuſtrium titulorum ſibi apices vendicaret; diuinitatis enim theatrum Maria mater gratiæ, Regali progenie exorta refulgere canitur; nimirum clara ex ſtirpe Dauid. Quin & Leuita ille quo inter natos mulierum non ſurexit maior, Ioannes inquam, lucerna Mundi, par Angelis, clarior hominibus, legis & gratiæ fibula, Chriſti ſolis lucifer & præco, nuncius & teſtis, ab originis præſtantia magnificatur; Lucas enim 1. Domini præcurſorem commendaturus, genus ante extulit, ſuum vtrique parenti propriumque ſtemma connectens; virum ſcilicet de Vice Abia, coniugem commemorans de filiabus Aaron: & iuſtitiæ aſſi-

gnans

gnans vnicuique præconium; vt veluti tranſmiſsa immaculatæ puritatis hæreditas, in illo longè præcelleret. Quod nobis de ſancto Cardinali itidem procliue referre. Sed ſuo loco.

Verum cum Nobilitas (politica inquam) ex ſuijpſius terminis quos Greci *Oriſmos* dicũt, pręeminentia, aut excellentia quędam deſcribi ſoleat (vti ſupratactum) quę inſtar tumuli ſiuè ſcamni pedibus ſubiecti, hominem euehit & à vulgari plebe ſegregat, exiſtimeturq; deduci à verbo *Noſco*, vt dicatur quaſi *noſcibilitas*, aut notitię celebritas; quandoquidem eo quidpiam cognoſcibilius, quo magis aut maius eſt. ex vi Topicę Regulę quę huc haud incõmodè trahitur, *Res perindè ſe habent ad cognoſci, quemadmodum ad eſſe.* propterea enim cum Deum ſupremo loco & altiſſimo rerum cardine locemus, quia ens ſummum ac independens. quod & innuitur per vocabulum eius *Iehouah* nimirum *qui eſt*. indè etiam eum eſſe dicimus per ſe notum. & hinc eſt quod Seraphici ſpiritus *eius gloria*; ideſt communicatione ſimul ac notitia, cęlos ac terram plena eſſe clamabãt apud Eſaiam 6. Quapropter ipſi ſoli iure merito, Gloria, laus, & honor, benedictio, claritas, gratiarum actio, deberi pręditatur Apoc. 7. *Nobilis* igitur dici putatur quaſi *notus*, ac per omnium ora vulgatus; quemadmodum ex aduerſo Tullius lib. 2. ad Q. fratrem, vocat Comagenum Regem *ignobilem*, ideſt non admodum cognitum, celebrem, famoſumuè. & 7. Æneidos, dicitur Hippolitus *ignobilis*, cum tamẽ filius eſſet Theſei Regis Athenienſium, qui e genere *Cicero.* *Virgil.*

Horat. Deorum erat, ſed quia minus notus eſſet. Horatius quoque Satyra 6. appellat *Regnum ignobile*; de quo videlicet non multus eſſet rumor populis. demum *Aul.Ge.* habetur Noct. Attic. lib. 17.c.2. *Arboreta*, ignobilius verbum eſt, *Arbuſta* nobilius ac celebratius. quibus declaratur *ignobile* & *celebre*, tamquam oppoſita ſumi. Contrariorum porrò eędem ſunt differentię. Ex his Philoſophari iuuat id notius cenſeri quod quiddam cęteris amplius participat de eſſe (vt de more Scholę loquar) namque ſi *Ens* & *Bonum* cõuertuntur; vtique & *verũ*, ideſt cognoſcibile. Enimuero ſub hoc genere palam eſt comprehendi eos qui opibus, vel ſtirpe, aut Virtutibus inſignes habentur. Quo fit, *Seuerin.* vt cũ de huiuſmodi Nobilitate verba facimus, Boe- *Landul.* tio Landulfoque adherentes. Qualitatem, ſeù claritatem, ſiuè dignitatem, eam aſtruamus, quę à priſcorum ſplendore, meritis, atque laudibus originem ducens, ad poſteros continuata ſerie traducta probatur. Eauero cum nequaquam repentè emergat neù ictu oculi; ſed diuturnitate ſuboleſcat, & à tempore immemorabili, vt apud omnes in confeſſo eſt; tribus namq; ętatibus ferè pręſcribi conſueuit; cauſatur enim ex vſu tanti temporis cuius initij memoria non extet; id quippè tempus habet vim tituli, iuſtitię, priuilegij, ac veritatis. Andr. Barbatius conſ. 9. vol. 1. col. 1. Nemo pariter ibit inficias, vnicuique rei permultum ſplẽdoris ac laudis ab antiquitate comparari; immo eo quodcumque nobilius, melius & *S. Baſil. magn.* pręclarius, quo antiquius. Magnus Sermone de Ieiunio, vult vnumquodque per antiquitatem nobilitari.

Et

Et quod nunc in re noſtra eſt, Boetius in Topica Ci- *S.Sever.*
ceronis, affirmat ab Antiquitate ingenuorum genti-
litatem duci. Ennius, de vrbe quæ Orbi Imperium *Enni.*
peperit.

Moribus antiquis res ſtat Romana viriſque.

Valerius lib.7. c. 3. Lampſacum dicit vetuſta no- *Maxim.*
bilitate inclytam. Auſonius inter Mediolani Laudes. *Auſon.*

Fœcunda Virorum.

Ingenia, Antiqui mores, tũ duplice muro.& cęt.

Tacitus quoque egregium ciuem ſe ſatis extuliſſe *Cornel.*
arbitratus eſt, cum ſcripſit, Piſo habitu vultuque
moris antiqui & ęſtimatione recta ſeuerus. Licurgus *Apoph.*
ſpartanorum legislator, maximum honorem ſeni-
bus tribuit, etiam ſupra potentes ac opulentos. Sed
& Lacedemonijs lex erat quæ iuberet, alios omnes
ſenibus cedere, nec id quia ſemper meliores ſint iu-
nioribus; ſed quoniam virtus inueterata recentiori
eſt anteponẽda; nam otiari cum neſciat virtutis vis,
præſumitur cum tempore creſcere virtus, & cum ea
meritorũ magnitudinem. Iamque illud in loquen-
di vſu paſſim inoleuit; vt *Antiquioris*, vocabulum
pro potiori, digniori, vberiori paſſim vſurpetur, &
Saluator teſtimonium accipit à guſtantibus vinum,
quod dicant *vetus melius eſt*. Lucæ 5. Ergo ea Fami-
lia in nobilitate potior, quæ alijs antecellit tempore;
vt tradit Bon. de Cur. in tractatu de Nobilitate. 3.
p.nu.132. Dec.conſ.85.col.2. conſ.42.col.1.conſ.
35. col.2. conſ.174. col.2. Alexand. conſ. 6. col.2.
Iaſon. C. de edendo. §. omnium.col.54. Idem quo-
que ſtudium canonico fuit Scriptori, Iudith. 1. Vbi

heroinę

heroinæ Iudithæ filiæ Merari, Genealogiam deducit à Ruben Patriarcha Iſraelis primogenito: & Luçę 1. Vbi Ioſephum Saluatoris nutritium mirifico elogio proſequtus, eius originis ſeriem, ordine retrogrado, aduſque Adam primigenium perducit, Commendatio à vetuſtate ſtirpis ac proſapiæ, numquam non penes auctores præcipuo loco notatue. Virgilius 1. Enead. de Didone ſcribit.

Virgil.

Fortia facta patrum, ſeries longiſſima rerum,
Per tot ducta viros, antiquæ ab origine gentis.
& de Belo ibidem,
Seque ortum antiqua Teucrorũ à ſtirpe volebat.

Cecilius. Statius Thebaidos lib. 4.

Arcades hinc veteres, Aſtris lunaque priores.

Claud. Claudianus,

Mauortia Martis,
Nobilitas ſpolijs armiſque exultat auitis.

Trãquil. Suetonius, prędicat Auguſtum Veteri familia ortum, vetuſta ac locuplete. Aiax apud Naſonem, genus ſuum ab olympico Ioue ſe ducere iactat, itidem & Laertius Heros. Flaccus, Cilenium Mecœnatẽ atauis Regibus editum decantat. Apuleius præter Diogenem eodem nomine Platonem efert; quia ſcilicet Ariſtone genitus, & matre Perictione Glauei filia. Porrò Ariſtonem per Codrũ à Neptuno originẽ duxiſſe aſſerit: Maternumque ſanguinem deriuatum à Solone, ſapientiſſimo legum Atticarum fundatore. Et plena ſunt eiuſmodi deductionibus Hiſtoricorum volumina. Viceuerſa nouus homo, pro plebeio, & ignobili: & nouitas, pro ignobilitate optimis aucto-

Ouid. *Horat.* *Lucius.*

ribus

ribus haberur. Cicero in Iugurta, de anteactis temporibus loquens, Conſulatum (ait) nobilitas inter ſe per manus tradebat, nouus nemo tam clarus, vel egregijs factis, quin indignus illo honore: & quaſi pollutus haberetur. Hinc factū, vt abundè ſe quiſque conſpicuum ducat; ſi veteribus ceris: pictiſque famoſarum imaginum vultibus atria compleuerit. indè Satyricus, *Cicero.*

Sit formoſa, decens, diues, fœcunda vetuſtas,
Porticibus diſponat Auos.

Id vero ipſe minimè improbarim: neù inutile exiſtimarim, quin & laude dignum cenſeo; modo non ad vanitatem: aut ad proprij nominis decantationē excogitetur; ſed ad præteritorum honorem: prouocationemque poſterorum, ad virtutis officia & præclaras vitæ actiones.

Enimuerò eiuſcemodi calculo aut ſupputatione, ſexcentas illuſtres familias, fœcundiſſima Princepſq; Mediolanenſium Borromæorum poſt ſe relinquet, quam per tot annorum centurias, inter tot bellorum ac deuaſtationū diſcrimina, nobilitatis decus ſeruaſſe & inuiolatum traduxiſſe palam eſt; neque enim ea de generoſo hoc ſtipite proferre animus eſt, quæ de alio quoque (vt topicè aſſolet) afferri poſſe videantur, quod pariter cauet Nouocomenſis in panegyrico Traiani. aſt quoniam in vno quoque rerū genere quammaxima vocum deliteſcunt momenta: & nuſquam doctrinæ fores niſi per verba reſerantur; nomen quippè nihil aliud eſſe videtur, niſi lux quædam rem ipſam illuminans atque manife- *Plinius.*

ſtans:

ſtans: ſeu rei in vocis inuolucris latitans definitio atque explicatio; vt etymologiarum ſtudioſi vno ore teſtantur, quamplurima de puris nominibus expendentes: & rerum vim atque poteſtatem, admiranda teſtificatione metientes. *Borromæi* nomen à græco fonte deriuatum, latinis auribus id importare noſcitur, quod *Ciuis Romanus*, vel *Ciuis Strenuus*, aut *Ciuis Romanus acer*. ſiuè *Bellator fortis*. verbo tandem ſingulari *Bellipotens*, vel *Armipotens*. At verò longè altius clariſſimæ ſobolis nobis origo petenda; ſiquidem hos ipſos quos *Borromæos* citrà quædam ſecula nuncupamus, olim *Vitalianorum* cognomentum geſſiſſe, antiquitatum veſtigatoribus apertiſſimè conſtat, in primis (vt à noſtratibus exordiar) ex tabula marmorea poſita in Turre celſiori Arcis, quam *Vitalianam* dicunt ad ripas Verbani lacus, hiſce ad verbum carminibus notata.

Vitaliana vocor verbani Turris in vndis
Edita, primæuæ nomina ſtirpis habens,
Me Ludouicus ſic Borromęus in altum
Extulit, vt pateat Vitalianus honos:
Simque locus fidis, ſemper patefactus amicis,
Hoſtibus at noſtris, ſim moribunda lues.

Hos verſus clariores, verba ſubiecta efficiunt.
Si duplicis cognominis cauſam fortè requiris lector, ſcito illuſtrium Comitum Borromęorum proſapiã, à Vitaliano Patauino, olim Italiæ Rege, & Diuæ Iuſtinæ genitore ſuam traxiſſe originem. & cæt.

Adeſt & aliud monimentum in portę fornice taliter inſcriptum.

In-

Ingredere & ſpecta ò mi Hoſpes, tecũq; reuolue,
Quæ ſit in aduerſis virtus, quæcumque rigenti
Iuncta vides ſaxo, factum laudante fideli:
Heluetio, medijs Fortunæ in fluctibus egit,
Vitalianorum Ludouicus vera propago.

At nè ſaxa duntaxat in medium pro teſtibus afferre dicar: ſilicibuſque vnicè inniti, pronum eſt grauiſſimos conuectare Auctores, tamquam lapides viuos vel perennes; eorum namque ſententijs paſſim pro lateribus vtor, verborum meorum calce compigẽs, in vniuerſa Stylobatæ huius fabrica conſtruenda.

In his primus occurrit Franciſcus Philelphus, *Fr. Phil.* inter ſui temporis Oratores, vel Rethores facilè primas tenens, diù in hac Inſubrum Regia dicendi docendiq; munere egregiè perfunctus; is enim in funere ampliſſimi Senatoris Equitisque aurati, Comitis Philippi Borromæi, coram frequenti Patritiorum corona ad Franciſcanam ædem habita: à Vitaliano antiquiſſimo totius Venetiæ Rege, Vitalianorum ac Borromæorum ſimul originem manare luculenter aperuit. Idem verò haud ita pridem conteſtatus fuerat Papiæ, dum gratularetur pro ſuggeſtu ei Ciuitati ſuſceptum Antiſtitem Comitẽ Iacobum, prædicti Co. Philippi fratrem, inquiens, *Hæc familia Nobilitatis & originis ſuæ Vitalianum Regem Diuæ Iuſtinæ patrem, auctorem commemorat.* Accedit grauiſſimus ſcriptor Bernardinus Scardeonius Sacerdos & Patauinę antiquitatis Chroniſta, in ennaratione ſacri Baptiſmatis per ipſum Vitalianum ſuſcepti referens, ex ipſo Vitaliano defluxiſſe Vita- *Scard.*

lianorum familiam; nec non & nobilem gentem Borromæam, & Diuum Maximum Epiſcopum Pa-
Cornel. tauinum. Bituntinus Præſul Cornelius Muſſus, olim Minoritani Ordinis alumnus, Prædicatorũ lucifer; dum Paduæ concionatur die Dominici Natalis, idẽ
Bugat. fermè profitetur. Gaſparque Bugatus. Gulielmus
Ongar. Ongarellus, ac Paulus Morigius Hiſtorici & quam-
Morig. plurimi nec ſpernendæ fidei ſcriptores, quorum ſententias percenſere breuitatis ſtudio prohibeor. idem demum probat cõmunis & concors, & plenus, cum antiquorum, tum & neotericorum aſſenſus.

Huiuſce autem Vitaliani ſtirpem, quidam per primos illos Albæ Regnatores, & per Siluium eorum ſatorem. Genus vndè latinum
Virg. Albanique patres atque altæ mœnia Romæ,
Ingul. Ex Marone, vt eſt apud Ingulphum de Comitibus à decantatiſſimo Ænea deriuare contendunt, Hic ille.

Siluius Æneas pariter pietate, vel armis,
Virg. Egregius. De quo prędicit Anchiſæ genitoris vmbra apud eundẽ Poetam 6. Æneid. Alij verò & quidem ijs potiores meo iudicio (nam argumentis ſanè probabilioribus, magiſque rationi conſentaneis perſuadere vidẽtur) à primo Patauinę vrbis fundatore,
Titus li. (vti diſertiſſimus tradit Liuius) Antenore, eiuſdem Vitaliani originem deducunt. Porrò Antenor ille ipſe præcipuus Priamo Regi à conſilijs, & conſanguineus, de quo idem Maro poſt Troiæ excidium.

Antenor potuit medijs elapſus Achiuis.
Illiricos penetrare ſinus, Itemque

Hic

Hic tamen ille vrbem Pataui, ſedeſque locauit.

Et Muſſatus Poeta Tragicus de eadem Patauina vrbe teſtatur, *Muſſat.*

Cõdita Troiugenis, poſt diruta pergama Tellus.

Vtriuſque autem proſapiam comminiſcuntur proficiſci à Dardano, tandemque à Ioue ex Electra pellice. Quam maximus Atlas *Virg. 8.*

Edidit, Aetereos humero qui ſuſtinet Orbes.

Quæ profectò etiam ſi fabulosè conſcripta, nobis minimè prętereunda fuerunt; nam vt veriſſimè libro de officijs Sanctus Archipræſul noſter. Fabula etſi vim veritatis non habeat; tamen rationem habet, vt iuxta eam poſſimus veritatem venari. *S. Amb.*

Fuit vero Antiſthenis dictum celebre, *Prudentis lectoris munus, Triticum à Lolio ſeparare.* ideſt, Quemadmodum qui Triticum Cribro purgat, ſecernit à lectiſſimis granis purgamenta; ita vir ſplendidi ingenij, in libris legendis optima quęque ſibi aſſumere debet, inutilibus & noxijs derelictis. Poetarum namque modus; ſiuè licentia eſt, ea quæ verè geſta ſunt, in quaſdam ſpecies, obductis figurationibus cũ decore conuerſa traducere; quapropter etſi oracula ac myſteria interdum Symbolicis narrationum pigmentis veſtiunt, non ideo reijciendi; ſed vt apicula (& eſt Plutarchi exemplum) è floſculis ſuccum mellis colligit, cum alij ſolo delectentur colore, vel odore, ſic Philoſophiæ ſtudioſus, ex Poetis etiam inuenit quod ad beneuiuendum conducat; cum alij voluptate tantum deliniantur. Vndè ineptè Plato, *Apoph.* *Cheron.*

Poetas Vrbibus exturbandos cenſuit; perindè ac Licurgus Vites ſuccidendas ſanxerat, quia multi vino inebriarentur; quin potius adhibendi fontes, quatenus temperamento ſalubre efficiatur. Quibuſcumque rebus nos rectè & obliquè vti poſſe exiſtimarim, diſcrimen verò eſſe inter vtentes.

Horat. Et prodeſſe volunt & delectare Poetæ.

Dixit quidam, atuero

Omne tulit punctum, qui miſcuit vtile dulci.

Quinimò nec ipſi quidem Sancti à præclaris artibus abhorrent, teſtante Iſidoro, Dauidicos Pſalmos metrico carmine compoſitos; nam in morem (ait) Romani Flacci, & Græci Pindari, nunc illi Iambo currunt, nunc alij Elegiaco perſonant, quidam Saphico nitent, & trimetro, vel tetrametro pede incedunt, ſed Hebraicè. Cui ſubſcribit Hieronymus, Dauidem ipſum Symonidi, Pindaro, Alchæo, Flacco, Catullo & Sereno lyricis aſſimilans, quia (inquit) Chriſtum lyra perſonat, & in decachordo Pſalterio, ab inferis excitat reſurgentem. Ipſe idem aſtruit, Ieremiæ Threnos, & ex libro Iobi ſanè quamplurima natiuo idiomate, numeris & metrico pede decurrere. Id ſtudij noſtrates quoque haud raro imitatos contuemur, quos inter, familiam ducunt, Ambroſius, Damaſus, Prudentius, Nazianzenus, Proſper, Clemens, & alij Catholicæ Eccleſiæ proceres. Porrò prophani Vates (quod & Iſocrates de Homero perhibet) veritatem ſæpè diſcoloribus circumueſtiunt; vti figmentorum Lenocinio, legentem trahant ad virtutis æmulationem; ad quam ſcilicet Pieridum

S. Iſid. *S. Hier.* *Iſocrat.*

ſuaui-

ſuauitate plerique alliciuntur. Cheronęus etiam de eodem Homero ſcribit, quod finxerit Deos vti hominum conſuetudine atque colloquijs; non modo vt eiuſmodi figmenta delectarent & admirationem relinquerent; verum etiam, vt per hoc Deos rerum humanarum curam habere declararet. Idemque fermè habet Auguſtinus, vbi ait, *Homerus humana ad Deos transtulit, Diuina mallem ad nos*, profitetur tamen de Poetis in vniuerſum, *Didici in eis vtilia multa*, hæc flos ille ingeniorum. Quadrat & exemplum illuſtre Democharis medici, qui Matronę cuidam omnem aſperiorem medicinam abhorrēti Caprarum lac memoratur propinare cōſueſſe, ſed quas lentiſco paſceret; ſic Poetæ ſerij, oblectantia quædam offerre videntur, occulto tamen quodam ſapientiæ ſucco infuſa; quippè nihil intereſſe putant qua via ægri animi curentur, modò perſanentur. Accedit, quod Poetæ propè ſoli (ſi Platonē & pauculos quoſdam excipias) vltimæ antiquitatis nobis reliquias conſeruarunt. Propterea priſci ſapientes (vt refert Strabo) Poeſim haud veriti ſunt primam quandam Philoſophiam aſſerere; vt quæ ab ineunte ætate nos ad viuendi rationes adducat, mores & affectiones edoceat, gerendaque ac vitanda cum iucunditate præcipiat. Proindè ſublatis fabulis, obſcuratum cenſebant ingenij lumen; velut reſtinctis Muſarum lampadibus. Hinc Horphæus, Heſiodus, Pithagoras, Plato, alijque plurimi Muſarum cultores, humanæque ſapientiæ anteſignani, multiplicem illam totius Philoſophiæ cognitio-

Plutar.

S. Aug.

Strabus.

nem, per quædam fabularum atque enigmatum inuolucra integumentaque tradiderunt: & velut ſepibus quibuſdam cancelliſque obſtruxerunt; ne religioſa quodammodo Eleuſinarum Dearum myſteria profanarentur: & quaſi Suibus (quod dici ſolet) margaritæ obijcerentur.

Erit igitur nobis poeticum figmentum, Nidus ille auium; de quo per diuinam legẽ Deuter. 22. cauetur, vti pullis retentis, matrem incubantem ſinamus auolare. ideſt, occidente littera prætermiſſa, Allegorię tropiciſque ſenſibus intendamus. Dardanumque accipiamus à priſcis illis Pieridem alumnis, ideo patre Ioue Deo, & Matre muliere Electra ſatum effingi, nõ quo eiuſmodi ineptias hominibus perſuaderent; ſed cum ille ingenui verique Principis induat figuram & faciem, traditur enim.

Dardanus Iliacæ primus pater Vrbis & auctor.

Sapientia in diuinis, in humanis prudentia, cum ipſum tum eius progeniem, præditos prædicent ac inſtructos, eximio virtutum nitore cæteris pręfulgere: nec populis præeſſe niſi vt proſint. Maximè cum Athlanti Aſtrologiæ inuentum acceptum referatur, quod omnium primus (ſi tamen is eſt) Spherarum motus, ſyderum, ſupernarumque lationũ rationes, vigore animi ſolertiaque depręhenderit. *Iupiterque*, quaſi *Iuuans pater* optimus, maximus, Diuum atq; hominum Rex nuncupatur. Itaque qui in poetico eiuſmodi commento, commentarium non odoratur altioris intellectus, nullam mihi prętendat excuſationem, niſi ſtuporis & inſcitiæ. Longè enim aliter

ter Scipio ille qui ab Africa deuicta cognomen poſtea ſuſcepit; cum Imperatorias artes expeteret, Xenophontis libellos nunquam de manibus ponebat. Et quidem apprimè nouerat Scipio (quod & in huiuſce libri veſtibulo tetigimus, ſcilicet) Cyrũ illum non tam Hiſtorica veritate taliter exprimi, quam ad Regiæ dignitatis ſpecimen effingi; intendebat nihilominus ſcripto, in quo nullum pręter mitti Imperatoris munus exiſtimaret, & quantum verbis Philoſophus pręcipere ſtuduerat, tãtum reipſa vir ſtrenuus præſtare elaborabat. Et gnarus quilibet, fictã narrationem modò veraci ſignificatione ſubnixam, perindè legit, ac qui aurum è terrea inutili gleba eliciunt. Nam & hoc ſenſu ex lege habetur Deut. 21. vt ſi quis exierit ad bellũ, & mulier formoſa ei placuerit ex captiuis, radat illius pilos, mutet veſtimenta, abradat & vngues; ſic poterit eam aſſumere in vxorem; nimirum illuſtria profanorum exempla, apophtegmata ſẽſata, documẽta vtilia, graues ſententias, amputatis ſuperfluis, licet, quin & decet propoſitionibus noſtris accomodare. *Xenoph.*

Nihilominus id genus inuenta inanibus admixta fabellis, tametſi magnam plerumque præbent veritatis anſam, nos haud ſecus recipimus, atque aniles cantilenas, & quid dico recipimus? imò reſpuimus ac ſtomachamur. Quid paleis ad triticum? dicit Dominus in Ieremia 23. Præter id enim quod Paulus vetat intendere Fabulis & Genealogijs interminatis 1. Tim. 1. & Tit. 3. hoc fortaſſe ſenſu: qui fieri poteſt, vt claritatem nanciſcamur ab ijs quo-

rum

rum vitę impuritas ſempiterno eos addixit tenebrarum horrori? Ab immundo quicquam mundari, ducit ad abſonum Philoſophus Iſraelita, Eccleſ. 34. Palam verò quod ſolam virtutem conſequitur gloria, quorſum ergo Laus improbis ſceleſtiſſimiſque? quorum formantur obſcenitates in ſimulacris, furta mandantur imaginibus, titulātur nefanda picturis: quorum crudelitates & probra continent libri, parricidia & veneficia produnt paginæ: quorum abominandis impietatibus tragediæ perſonant? Infelix verò aſſiduèque lamentanda idololatra Gentilitas, ex quo Deum vti par fuerat non gloroficauit eiuſq; aboleuit doctrinam, tradita in paſſiones ignominię & in reprobum ſenſum; ita ſe Satanę faſcino ac illecebris ſiuit abduci, eiuſque dementari terriculamentis ac pręſtigijs; vt non modò eius tyrannidi militaret, ſed ſacrilega, teterrima, ac ſordidiſſima ſeruitute illius moueretur ad nutum: immundorumque ſpirituum pręda ſe vltro faceret: quos & cultu proſequeretur Diuino, & ſi quid in eos deliquiſſet, ſolennibus expiaret ſacrificiorum ritibus; tamquam ab eis ſeminata alitaque. Quia inquam, vt eſt in prophetia metro exarata, Homo in honore conſtitutus non intellexit, ſimilis effectus eſt iumentis ac brutis, peccati ſeruus, captiuus mortis, mancipium demonum, vitiorum verbero, criminum compeditus. Proprijs nimirum affectibus debaccando, in omnes flagitiorum Lernas ſe dabat pręcipitem, inſtar ſuis ſordeſcentis in volutabro luti. Omnes Dij Gentium dęmonia vociferatur vates Sacer Pſ. 95.

Iure

Iure igitur pudet gloriationem aucupari de ceſpite putido ac fœtulento; fuerit licet famæ ac nominis celebritate conſpicuus; vel ante mare & terras, & quod continet omnia cælum, quin potius quod ſanctus conſulit Doctor, Philip. 3. Quæ retro ſunt obliti, in anteriora noſmet extendamus: illamque à veri numinis cultoribus petamus, qui à ſeculis ſẽpiternis prædeſtinati: & ſuperna diſpenſatione vocati: perfectæque diuinæ legis ſemitę inherentes, digni facti ſunt in partem ſortis ſanctorũ in lumine: gloria, diuitijs ac bonorum omnium cornucopia, in beata viuentium terra cumulati: effectique non modo ciues ſanctorum, ſed & domeſtici Dei. Certè nulla ſocietas luci ad tenebras: nulla communicatio Chriſti ad Belial: nulla pars fideli cum infideli; vndè nihil ad nos de ijs qui foris ſunt. Nam & diuinæ litteræ cum Iobi filios ac filias ſingilatim deſcribant ex ordine; quinam ipſius fuerit genitor prorſus non recolunt; quoniam ſiuè ab Eſau ille originem duceret, ceù Hieronymus ſentire videtur: ſeù à Nachor, vt Philippo Presbytero magis probatum: aut ab alio quopiam; indubiè per Ethnicos improboſque propagatus conuincitur, ex quo Terræ *Hus*, Idumęorum atque Arabum criminibus obligatæ, incola extitiſſe perhibetur. ab ipſo autem vtpore Deum timente ac iuſto, velut primario & familiæ capite exordium ſumunt; vt in ſucceſſoribus deinceps laus colluceat, tamquam ab ipſo manans. Sic & Matthæus librum dominicæ generationis orditur ab Abraham. non ille recolit Thare,

Iobi. 1. & 42.

S. Hier.

Philip. Presb.

Matt. 1.

Nachor, aut Sarug: nec quempiam ſuperiorum. in progreſſu quoque, non Ochoziam tantum prætergreditur, propterea quod de Iezabelis filia prognatus; ſed & Ioam filium, Amaſiamque nepotẽ tranſilit: nec illibatæ ſeriei putat inſerendos. Ita & nos ab eo auſpicari iuuat, qui primus ex hac ipſa progenie Chriſto nomen dedit: & ſacroſanctæ fidei lumine perfuſus, mirandam poſteris tranſmiſit exempli claritatem; vel (nè ab aſſumpta Stylobatæ metafora recedamus) per ſacrum Baptiſma ſuperædificatus ipſi ſummo angulari lapidi Chriſto Ieſu, meruit vt nepotum ſuorum hęreditas, creſceret in myſticum domini Templum.

Fuit is VITALIANVS Iuſtinus, ſupra memoratus Patauij Rex, ſiuè Princeps, aut Præfectus, vt alij malunt. Sed quidni Regem aſſeueremus tot præſertim rationibus atque auctoritatibus ſuffulti? Et quamuis non me lateat, Romanis à Tarquinij nece perquã infenſum atque execrabile extitiſſe nomen Regium, quod omni ſtudio abolere atque extinguere adnixos non inficior; id tamen de ipſa Vrbe Roma Orbis capite affirmandum, non perindè de reliquis eorum ditionis regionibus. Quod ſi quiſpiã adhuc inſtiterit obſtrepueritque ſucclamãs, omnis qui ſe Regem facit contradicit Cæſari. Erunt nobis pręſidio libri Antiquitatum Iudaicarum, deque excidio Ieroſolymitano, per Hegeſippum et Ioſippum conſcripti, teſtantes de Herode Aſcalonita, Antipa & Agrippa; vt interim ſuperſedeam recenſenda ſcriptorum farragine, qui varijs Imperij prouincijs

Liuius. *Hegeſip.* *Ioſeph.*

Reges

Reges non conceſſos modò aſtruunt ; ſed Senatus conſulto traditos ac conſtitutos ; id enim latius cõpertum,quam vt per me indigeat probari;cum cæteroqui Vitalianus,Regios Faſces non tam delatos accepiſſe, quam hæreditario iure debitos, ſibimet aſſeruiſſe probetur; verum vtcumque ſumatur, lis eſt de nomine duntaxat,de re nihil prorſus;quandoquidem & *Regis* titulus, non niſi à regendo trahitur, quod tantundem munus dignoſcitur Principis ac Pręfecti, Corteſius de Corteſijs haud ita pridem poema edidit de Martyrio Iuſtinæ Patauij Reginæ: *lib.9.* & Fortunatus Vlmus nuperrimè tractatum cõſcripſit, de Regio Stemmate Vitalianorum ac Borromæorum:& lapis ad Sepulcrum d. Iuſtinæ:& Equilinus Epiſcopus in vitis Sanctorũ,idque ſatis. Roma verò deuicta, Hunnos,Gothos & id genus Barbaros, eo vocabulo adeò frequenter ac familiariter vſos, vel potius abuſos comperimus; vt ſimul ac quilibet non dico Regiunculam obtineret,ſed vel in exiguo oppidulo ius diceret: aut quoquo modo poteſtatem exerceret, Rex eo ipſo vocitaretur. Ipſum autem Vitalianum pręcellentem ac primarium extitiſſe, pręcipuoque apud Henetos honore habitum, nullus eſt qui ambigat. Et quidem ex hoc felix, at multò beatior ex eo, quod eum tunc potiſſimum dominari contigit, cum Sol iuſtitiæ claritats ſuæ radijs nationum populos illuſtrauit; deſtinatis videlicet per terrarum Orbẽ Apoſtolis ac Diſcipulis, ſancti Euangelij diſſeminatoribus. Inter quos Proſdocimus, à beatiſſimo Sacri Collegij Principe Petro

ſpecialiter delegatus, Patauium perueniens, cæleſti ſapientia plebem inſtruere exorſus eſt, & ſignis ac prodigijs confirmare; vt ex Patauinis Chronicis compertũ. Aegrotabat tum fortè Vitalianus morbo ſanè cruciabili. Quod non caſu, ſed diuina procuratione credendũ eſt eueniſſe; quatenus poſt inanem ac diuturnam curam, poſt certamina deſperata Medicorum, poſt medicamina ſumptuoſa permoleſtaque: vbi ars & peritia defecerat iam curantum: vbi languentis tota propè ſpes conſumpta erat ac patientia, in Medicum incideret, qui non Malagma imponeret: non Elixipharmacum recipiendum deſcriberet; ſed Dei verbi virtute id relaxaret indulgendo, quod diuina poteſtas fortaſſè ligarat indignando: & manum lapſo porrigens redderet vitæ, quem mors iam ſibi tenebat addictum.

Igitur adductus ad Vitaliani Regiam Chriſti ſeruus, cum eum de Saluatoris aduentu plenè edocuiſſet, ſalutaribuſque præceptis imbuiſſet: credentem ac paratum, cum vniuerſa familia ſacro intinxit Lauacro: protinuſque ita ſanitati reſtituit, vt priſtinum integrè illi repararet, & quaſi refunderet vigorem, nec languoris veſtigium ſupereſſet omninò. Sanè in hunc Vitalianum laudum aceruos extruunt Ongarellus, Scardeonius, Cauatius, & ſcriptorum plerique, eum ſplendore vitæ, candore & magnitudine animi, liberalitate, facilitate, clementia; tumuero maieſtatis grauitate, ingenij præſtantis vigore, ac prudentia, in explicandis cum ciuiliũ, tum bellicarum rerum difficultatibus, præſtantiſſimis

Gugliel.
Bernar.
Iacobus.

mis

mis Heroibus conferendum prædicantes: recti & honeſti amantem, ac iuſtitiæ tenaciſſimum: & his virtutibus exornant, quæ non tam è ſcholis accerſitæ, quam dè cælo profectæ: nec laboribus comparatæ, ſed quadam veluti hæreditate traductæ videantur: excelſo, infracto, inuicto animo prędituм deſcribunt: his demum commendant præconijs, quibus eximij viri euehi ſolent. Sedenim actus omnium virtutum (vt vera ſapientia demonſtrat) ex actu fidei dependent, quæ ſola intentionem dirigit. D.T. 1.2.q.63.2. ſine qua impoſſibile eſt placere Deo. Heb. 11. illa verò non niſi diuino munere cordibus illabi perhibetur; velut æterni ſcintilla luminis, humanæ ſuccendens lampadis lychnū: donumque adeò pręclarum, vt proprium videatur electis; pro comperto tamen habent Theologi, quod etiam in atra Gētium quę Deum ignorant fuligine, poteſt quis ſe præparare ad fidem ſuſcipiendam, per id ꝙ in naturali ratione eſt; vndè & illud abſque vlla cunctatione profitentur; quod ſi quis vel in Barbaris nationibus, ſuoptè ingenio, ſecundum iudicium præceptumque prudentiæ, & ex habitu virtutum moralium, actiones ſuas ita componat, vt quod in ſe eſt perficiat, Deus illi reuelabit quod neceſſarium eſt ad ſalutem: vel inſpirando, vel doctorem mittendo; vt perſpectum in Cornelio centurione: & in Eunucho Candacis Reginæ Ethiopum. Act. 10. & 8. D.T. de veritate & prima 2. q. 109. Et id profectò in Vitaliano impletum dignoſcitur; cum miſerante Deo, per Proſdocimi prædicationem, ab hu-

S. Thom.

S. Thom.

mana

mana politia, in cæleſtē ſubuectus eſt: & gratia Spiritus ſancti regenitus: tandemque ad gaudia æternę felicitatis translatus, vt piè creditum.

Ab hoc itaque Vitaliano Iuſtino, cæteris ſuperioribus prætermiſſis, generoſæ familię ſeriem inchoamus, in quo veræ nobilitatis primum claritas effulſit. Et ſiquidem ingentia penes quaſcumque nationes eſſe nominum momenta ſupra tetigimus; vt & *Plato.* in Cratylo non cuilibet facultas decernatur, recta & vera aſſignandi rebus nomina; ſed Legislatori duntaxat: & ei qui tam rei, quam nominis ideam ác notionem animo concipere probè valeat, cuius ſentētia oraculo illo, & quaſi præiudicio quodam comprobata videtur, cum Deus Adamo tamquam ſapientiſſimo, & rerum peritiſſimo, nominum imponendorum munus detulit, Gen. 2. Indè & Iuriſtæ ac ſi nomen, naturam & rei quiditatem exprimat, ex eius pulchritudine, bonam exiſtimant oriri pręſumptionem. Cynus Piſtorienſis, magnum quid reputabat, pulchrum & laudabile nomen habere, quem ſecuti ſunt Doctores in l. cunctos populos. C. de Summ. trinit. & fid. catho. vbi ideò animaduertit Salycetus, curādum eſſe parentibus, vt honeſta nomina filijs imponant; quia plerunque turpia nomina habentes, deteriorem ſortiuntur conditionem, vt ſi plurimi ſint de maleficio inquiſiti, ab eo tortura inchoanda, cui turpe nomen inditum; ceſſantibus nimirum alijs indicijs. vt per Gerard. de Petraſancta, ſingul. 75. num. 1. 3. & 7. Quod etiam nomina denotent eſſentiam rei nominatę, habetur l. Decernimus.

mus. in fine C. de Epiſcopis & Cleric. Et quod nomina non temerè ab antiquis impoſita ſint; ſed vt qualitates nominatorum quaſi per vaticiniũ futurorum indicarent; latè Tiraquell. de Nobilitate c.31.n.8. idque lucidius ex diuino eloquio; namq; *Henoch*, interpretatur Dedicatus, *Noè* Ceſſatio, *Abram*, Pater excelſus, *Moyſes* ſumptus de aquis, *Dauid* Dilectus, *Salomon*; Pacificus, & ſic millia, quamobrem adeò expetenda concludunt decora nomina, vt ſi venalia proſtarent, vel magno pretio forent meritò mercanda. Io. Andr. in c. Grauiſ. de depoſ. quem refert Gerard. dict. ſingul. 75. num.4. videatur & Anaſtaſius Germonius de Indult. Cardinal §. Ieron. num. 12. & ſeq. item Farinatius, q.52. num. 165. Quidam ad hoc etiam ſenſum trahunt verba illa ſapientis Eccleſ.7. *Melius eſt nomen bonum quã vnguenta pretioſa*, quia vi ac ſignificationis energia, mentem exhilaret; perindè ac illa nares demulcent, quæ cum liquidò conſtent, nemo pariter addubitarit permagni intereſſe, quod huic, *Vitaliani* ſimul ac *Iuſtini* nomina obtigerint. Illa porrò haud penitus ex cognatione traducta: neù ab ortu & prima lucis vſura illi indita; quin potius à ſacro Baptiſmatis fonte attributa; Tametſi nulli ſcriptorum auctoritati innitor, propterea exiſtimo, quia hunc ipſum ex peruetuſtis quibuſdã inſcriptionibus pro Vitaliano, *Vitellianum* nuncupari didicerim; ideoque in regeneratione immutatum reor.

Ritum nominum in ſacræ renouationis ſolennijs imponendorum, à priſcis ſeculis penes Chriſtianã,

Rem-

Rempub. vſu receptum nouimus; nam & qui arti bellicę ſe dedunt, vſitata phraſi, *nomen dare* dicũtur; nempè patiuntur nomen ſuum conſcribi comitiuę, & albo militiæ ſignari; propterea Conſtantinopoli- *Io. Chr.* tanus Pręſul, in Baptiſmo omnes nomina dedimus Chriſto, inquit. Et Diuus Aurelius noſter 9. Confeſ- *S. Aug.* ſion. c.6. de ſe ipſo ſcribit. Indè vbi tempus aduenit quo nomen me dare oporteret, relicto iure Mediolanum remeauimus &c. Quod Gentiles diebus Luſtraticis, perficere ſolebant; Maumethici verò, & antè eos Hebręi, ad hęc vſque tempora in Circumciſione obſeruant. Eaque ceremonia à temporibus Abrami inuecta; nam dictus eſt *Abraham*, ſimul ac eo Stigmate ſubarratus. Gen. 17. Illud certè in prõptu affirmare, vix digno pręconio attolli poſſe eum qui à *Vita* & à *Iuſtitia* nomenclationem deriuarit, *Vitalianus* enim ab Etymo, quaſi *vitam*, aut *vitalia tenens*, cõmuniter depromitur, porrò Vita eſt cauſa intrinſeca Animantibus viuendi, nutriendi, augendi, ſeſe mouendi ac ſentiendi; Hominibus verò etiã abdita intelligendi, vera loquendi, & iuſta operandi. Vita viuentibus eſt eſſe, forma & perfectio. *Artapa.* Quemadmodum enim (vti ſcripſere Artapanus at- *Plato.* que Plato) ſtatim producta materia cęli & terrę, lucem adeſſe iuſſit opifex; vt per eam horridum Chaos diſtingueret; ſic poſtquam Hominem de limo terrę formaſſet, confeſtim ſpiraculum ei indidit vitę; procliue igitur argumentari, quod eſt lumen Mũdo maiori, id nobis eſt vita. Ideircò Euangeliſta patenter, *Vita erat lux hominũ.* Io. 1. iurè ergo nihil ca

carius,

carius, nil præſtabilius: ex quo entibus nil antiquius ſui conſeruatione. Hinc & Epicurus cum Deos cō- Epicur. miniſceretur in cęlis otioſos deſidere, & valdè occupatos in nihil agendo; indè tamen beatos confitetur, quia ſempiterni ſint. Ex antiquis Auctoribus non pauci, vix Deos aliquandò compellant abſque adiecto *immortales*. Cabaliſtæ Deum vocant, *Elai*, ideſt Viuū. Et ipſemet in Scripturis ſacris ſępè iurare auditur, *Viuo ego*, ac ſi dicat, niſi fecero peream & non ſim Deus. quemadmodum enim Honor ei debetur quatenus Creator, ita Gloriam ei tribuimus ratione æternitatis. propterea Paulus cum ſcribere pararet 1. Tim. 1. *Soli Deo honor & gloria*, præmittendū intellexit, *Regi ſeculorū immortali*, & Apoc. 1. Qui eſt & qui erat & qui venturus eſt omnipotens. imò cū ipſe ait, Honorem & Gloriam meā alteri nō dabo. innuit omnipotentiam ęternitatemque prorſus eſſe incommunicabilia. Quod ſi nonnulli ærūnoſam vitam peroſi, proiecere animas, mortemque ſibi conſciuerunt; id non tam odio vitæ exiſtimandi ſunt perpetraſſe, quam vt ſe tædio eximerent; præſentem calamitatem ſperantes rediuiuo incorruptibili ſtatu commutaturos; iccircò enim & Socrates poculum lethale fortiter hauſit, & Cato ſuis ſe manibus violauit. Atuerò quiddam adhuc ſubeſt quod ſolicitius rimemur; miſerrimum enim (ait ille) ſemper vti inuentis, atque hærere in aliorum veſtigijs. num iugiter ſtudens? numquamnè reponam? Concipimus ergo id nominis *Vitalianus*, dictum quaſi *Vitam aliam nactus*. ſic quippè traduci poſſe

exiſtimamus, etymologiaque haud prorſus inele-ganti. Porrò vocabulum eo intellectu, non tam durationis perēnitatem nobis innuet, immortalitatēque qua animos (ni decipiamur, aut deſſipiamus) præditos eſſe fatemur, de qua Hebræus Philoſophus Sapien. 2. *Creauit Deus hominem inexterminabilem*. non tam hanc dico, quam vitam connotabit futuram, repromiſſam, felicitate iucundam: & ſpiritus cum è corpore euolarit beatitudinem, quæ verè vita eſt, in viſione, ac fruitione conſiſtens; à qua ſcilicet nunc alienamur ac præpedimur, vitio terrenæ huiuſce molis, coniuncti ſpiritus aciem retundentis hebetantisque; vt ſcitè ſcripſerit quidam; *Virg. 6.* quod igneus nobis ineſt vigor, & cęleſtis origo; quæ tamen noxia corporis mole retardantur, donec ſarcina hac deprimente leuemur, & abſorbeatur quod mortale eſt à vita; tunc enim cernere dabitur, & perſpicuè contemplari. Cui ſimilé quiddam experimur in Auibus; nam primo in ouis naſcuntur ſenſus expertes, prodeunt deindè vigentes ſenſibus. Enimuero quod Saluator ſe ſequētibus vitam polliceretur æternam; nequaquam ad ſpiritus incorruptibilitatem referendum; quando iuxta eam, nihil difert ſapiens à ſtulto, iuſtus ab impio; ſiquidem ipſa liquet cunctos indifferenter potiri, ſiquid habet Homo iumento amplius, vt verè habet; eo ſiquidem ſenſo diuini opifficij Chroniſta Gen. 3. Euam dixit *Matrem cunctorum viuentium*, cum alioqui præſtitiſſet dixiſſe cunctorum gignendorum in humana ſpecie, rectè autem enunciaſſe lucet, ex quo

cęterorum formas quotquot de potentia materiæ educuntur, palam eſt vna cum corporibus aboleri. Quare huiuſmodi ſpiritus immarceſcibilitas: & rationalis formæ perpetuitas, quæ principium eſt quo viuimus, varium potius ac diuerſum, vnius eiuſdemque animæ continenter vigentis ſtatum dicit, & conditionem mentis à terrenæ molis contagione ſemotæ, immixtæ ac independentis, quam aliam vitam. Et eo ſanè tendit poetæ commentum cum de Animabus Elyſium incolentibus ſcribit, *Auerr.* *Virgil.*

Quæ gratia currum
Armorumque fuit viuis, quæ cura nitentes
Paſcere equos, eadem ſequitur tellure repoſtos.

Sed hæc fortaſſe leuia, illud ſerium ac perpendendum, quod Auctores ſuppoſita hac animi incorruptibilitate, paſſim vtuntur nomine *Mortalis*, pro Homine cõnotando, nec vſquam ſubſtantiuè id vocabuli occurrit, niſi de promiſcuo ſexu Creaturę rationalis; Vt meminerit ſe morti obnoxiam, quantumlibet intellectu ſupereminent cęteris animantibus. Imò & Propheta Sanctus Pſ. 26. Confidit à ſe viſum iri bona, *In terra viuentium*, quia hęc morientium terra ſit: idemque de improbis prędicat 141. quod Mors depaſcet eos. & alius prędicit, quod *Anima quæ peccauerit ipſa morietur* Ezech. 18. non quidē ſubſtantię interitu, ſed ſempiternis adiudicabitur ſupplicijs, quę eſt mors ſecũda, Apoc. 21. nec reſurgent impij in iudicio Pſ. 1. ſcilicet ad vitam iuſtorum. E contra Saluator fons ſapientię (quod huiuſce nominis dignitatem auget atq; excellẽtiam)

Gaudium beatę viſionis, immenſę iucunditatis pelagus, inexhauſtam delectabilium affluentiam, Hortum illum domini, qui Gentilibus ex Tertulliano, Midæ Roſetum eſt, aliquandò Alcinoi Pometum, alias Theſalica Tempe, ſeù Elyſij Campi, vel Daphne Antiochena, aut Pheacum horti; ſed reiectis nugis, Statum illum omnium bonorum aggregatione perfectum, Regnum illud ſingularitate potens, perennitate felix, diuinitate fulgens, cuius gaudia cum immortali exuberantique gloria perſeuerant, aliquandò quidem *Regenerationis*; ſæpius autem *Eternæ Vitæ*, vocabulo exprimere conſueuerat. quod nil dulcius vita eſſe ſciret, nil gratioſum magis, aut deſiderabile.

Tertul.

Et quidem Mundi ſapientes Ethnicique in vniuerſum, etiam Philoſophię arcanis imbuti, ac ſcientiarum diſciplinis inſtructi, & quantalibet eruditione præſtantes; dum de rerum finibus diſceptant. Naturam ducem, eiusque tenue ac ſubobſcurum lumen inſequentes, tantillam eamque confuſam ſupernarum rerum cognitionem aſſecuti (vt ſolent interdum Dei inuiſibilia a creatura mundi per ea quæ facta ſunt intellecta conſpici) pro magno habuerunt ſeque felices duxerunt, ſi modo Deum vel per ſpeculum, aut ſub enigmate contemplari poſſe contigiſſet: nihil ſupra inquirentes; quod acumen humanæ mentis, immenſo diuini iubaris fulgore perſtringi ſentirent atque retundi, veſpertilionum inſtar. Atuerò Chriſtiani beneficio religionis confortati, ac ſummè præſentis Dei in humana forma: & oraculis

culis edocti, clariſſimoque colluſtrati lumine; quoniam in diuinorum arcanorum notitiam prouecti ſunt longè maiorem, in vitæ mortalis peregrinatione felicitatem nullam reponunt; ſed eos duntaxat ducunt felices, qui Deum ſicuti eſt intuentur; & quãuis beatos enuncient mites, ac pacificos Matt. 5. non in re tamen, ſed in ſpe; quoniam ſcilicet poſtquam demigrauerint, videbunt Deum eoque fruentur; donec tandem in reſurectione plenè perfruantur; cum mortale hoc induerit immortalitatem: & electorum ſpiritus, glorificatis corporibus vnientur; (quandoquidem *Vitam*, dicimus Animæ & corporis nexum atque compagem) ſuſcitabit quippè Regnum æternum, collectis iuſtis, traductiſque ad ſui conſuetudinem: & ad felicitatem letitiæ quæ exuperat omnem ſenſum, ipſe *apud quem eſt fons vitæ*, Pſ. 35. qui dicit, *Ego ſum reſurrectio & vita*. Io. 11. aliaſque, *Quia ego viuo, & vos viuetis*, & iterum, *Ego vitam æternam do eis*. 14. & 10. de qua, & ſenior Tobias. 2. *Vitam illam expectamus quam Deus daturus eſt*. & cæt. Hic liber ille in quo non omnes ſcribuntur: de quo & nonnulli delentur peccatis id exigẽtibus. Hæc vera, & vnicè optabilis vita, ab omni prorſus labe emundata, & condecorata incorruptibilitatis dote: quæ nec lædetur à morte ſecunda, Apoc. 2. Ab hac cui omnia deſiderabilia non valent comparari, denominari meruit egregius Heros, deincepſque propter eum generoſiſſima propago vniuerſa; Quemadmodum Romani Imperatores, ab vno omnes, & Cęſares, & Auguſti: vel Dauides quot-

quot apud Abyſſinos regnant. Quod ſi quidam à *Vite*, potius ſuſpicati ſunt id cognominis deſumptũ, ſicut qui de *Vitalibus* nuncupantur, in vrbe totaque Inſubria ſpectabiles & ingenui, *Vitis plantam* pro ſtemmate gerentes; tametſi his minimè ſubſcribimus; eſt nihilominus Vitis, arbor cum primis gratioſa atque fęcunda: antiquis libertatis ſymbolum, temperantiæ, ac lætitiæ monimentum, hieroglyphicum laboris: & arborum quæſtuoſiſſima, ex Catonis oraculis: exiguam radicem terræ infigens: & ſicut Crocodilus inter animantia, ſic illa inter ligna nullum faciens creſcendi finem: natura flexibilis, viminibus velut brachijs vlmum vinciẽs, & cõſtringens: quæ verni tempore floreat, fragret, palmites emittat: & è ſarmentorum articulis viridantia folia in vmbram: fructus ſuauiſſimos in eſcam, potumque producat: à qua tamquam gemmea fulgentiaque monilia, ſpecioſi racemi dependere videantur, vel aureo, vel purpureo colore renidentes: ijsque tandem decoctis Vinum eliciatur; quod *in iucunditatem creatum* ipſæ quoque aſtruunt diuinæ litteræ Eccleſiaſtici 31. in cuius nempè gratiam, renuit ipſa vitis cęteris arboribus dominari: cum ab eis ad Imperium euocaretur; vt eſt in apologo Ioathanis Iudic. 9. ſed & religioſiſſimis Aegyptijs olim ad ſacra accedere piaculum fuit niſi vite coronarentur, hæc verò miſſa facio; Magis enim attendendum, quod vitis ſimilitudinem ſibi adaptat diuina ſapientia; cũ ſe prædicat fructificaſſe ſuauitatem odoris, honoris, & honeſtatis Eccleſiaſtici 24. Demũ adeò officio ac

Cato.

Pier. Valer.

muneri ſuo addictum, vt ſi ſterileſcat, ad extraneum quodcumque opus penitus inutile adiudicatur, ore diuino. Ezech. 15. Alias aliasque vitis proprietates obſeruant ſcriptores paſſim; ſanè eximias, ad Tropologiam referendas, & ſenſu altiore deguſtandas, quarum intuitu (vt quidem reor) ipſe Dei vnigenitus, non modo *Vitam*, ſed & *Vitem*, ſe ſe quadam ſimilitudinis proportione conteſtaretur, Io. 15. verũ à *Vita*, verius ſatiusque quam à *Vite*, Vitaliani vocabulum deſumptum eruditiores prorſus exiſtimant, vti prædictum.

Inſuper, & à *Iuſtitia*; etenim *Iuſtinus*, quaſi *Iuſtitiæ alumnus*, commodè accipi poteſt. Iuſtitiam verò cęterarum virtutum clariſſimum iubar, Ducem, ac Reginam, cum profana tum ſacra certatim oracula ſuper ætera tollunt. Ariſtoteles, admirabilem. Cicero, præſtantiſſimam. Demoſthenes, Reipublicæ felicitatem, & mundi Animam. Et qui ab ea pariter nomen ſortitus eſt Iuſtinianus Cæſar, diuinam appellant. Ipſa qnippè pax eſt populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, munimentum gentis, cura languorum, gaudium hominum, ſolatium pauperum, hæreditas filiorum, & ſpes futuræ beatitudinis, inquit Cæcilius Afer. Alij eandẽ cõmendant *s. Cipria.* tamquam fundamentum perpetuæ laudis & famæ: diuinarum humanarumque rerum vinculum: terrę & celi amicitiam: interioris exteriorisque hominis tranquilitatem: pabulum Religionis: decus communis vitæ: publicæ demum ſalutis firmamentum. Et verè, nam cum cæteri habitus perficiant hominem

nem

nem in ſe, Iuſtitia ipſum ciuile animal dirigit in alios: in vnum congregat: ab iniurijs vindicat: ſcelera diſſipat & euertit: amore conciliat: in pace retinet: virtutibus ornat: omnium tandem præclariſſima: nec Heſperus, nec Lucifer æquè laudabilis. Quam Philoſophi, ſub legalis, & æqualis conſideratione conſtituunt; hanc perpetuam conſtantemque ac firmam in bono voluntatem deffinientes: illam ad omnia virtutum genera extendentes, ceù matrem ac nutricem; in cuius ambitu vel gyro, omnem Imperij felicitatem comprehendi aſſeuerant. quæ (inquiunt) ſi in Anima verſetur, ſapientia: ſi in corpore, bona valetudo: ſi in domo, concordia: ſi in Ciuitate, pax: ſi denique in mundo, prouidentia nominatur. Ea verò ſi in Principe dominetur, is rectè, & ritè *optimi* titulum conſequetur, & veri Principis; nempè Iuris animati: Iuſtitiæque ſpirãtis. Qualis hic noſter fuiſſe deſcribitur: & tunc potiſſimum, cum cælеſti gratia perfuſus, & Apoſtolica fide imbutus eſt. Hæc verò nomina, nimirum *Vitalianus Iuſtinus.* tametſi aſcititia, gentilitijs tamẽ proxima fuiſſe noſcũtur; Compertum namque hos ipſos iampridem *Vitellios* nuncupatos, à quibus ve-
Ingulph. lut denominatiuè, is *Vitaliani* deſumpſit vocabulum, ſeù *Vitelliani*; non ſecus atque *Sabinianus* à *Sabinis*, *Seuerinus* à *Seuero*, *Turrianus* à *Turre*. Et his conſimiles. Nam pro *Vitalianus* hodieque habent *Vitellianus*, antiquæ nonnullæ attitulationes, vti prædictum.

Accedit

Accedit quod idem Patauinis Vitalianis, & Romanis Vitellijs, antiquum fuiſſe conſpicitur inſigne; Videlicet æquoris vndę, ſiuè fluctus Maris, quale fermè apud nos gerunt D. D. Marchiones *de Abdua*, deque *Marinis*. eas namque quia Ilio conflagrante vnicũ inueniſſet Pelagi perfugiũ, pro ſtemmate ſibi elegit atque erexit Antenor, ad grati animi conteſtationem, tamquam accepti beneficij memor, quod poſtmodum imitati fatalis Vrbis conditores Rhomulus atq; Rhemus, lactantis Lupæ ſimulacrũ dedicarunt, geminis infantibus lactentibus; quod ipſos expoſitos Lupa enutriſſet. Circũfertur etiamnum idipſum Nomiſmati inſculptum, adiecta inſcriptione, *Felicitati temporũ*. Tale quid expreſſiſſe voluit eiuſdem Ciuitatis Senatus ac Populus, vbi edicto conſtituit, honorem Anſeribus perpetuò habendum; quia per earum clangorem Capitolium incolume, ſeruatum fuiſſet, cum Galli in illud noctu perrepſiſſent. Athenienſes, Mulis quibus vſi fuerant in Hecatumphilo extruẽdo, alimenta deinceps gratis præbenda decreuerunt. Superior Africanus Ennij Poetæ effigiem, inter Corneliæ gentis monimenta collocari mandauit; vt gratiam referret laudum ſuarum decantatori. Attalus Rex R.P. cui nomine beneficij accepti ſe aſtrictum noſſet, gratiam rependere cupiens, Aſiam teſtamento legauit. Pyrrus de nulla re grauius dolebat, quam ſi parum alteri in officio reſpondiſſet: dicebatque, malle ſe prę-



lio, quam gratia ſuperari. Ariſtoteles cum varijs de cauſis quorundam Deorum Fana, intrà Ciuitatũ ambitus locanda arbitretur, aliorum extra mœnia, Templum Gratiarum (inquit) omninò in media Vrbe extruendum. quò omnes intelligerent, quantum ad officia humanitatis pertineat, gratiam benemerenti aliquam referre; cuius fœnus nunquam exile extitit apud probos, nuſquã nõ locuples. Certè .n. quemadmodũ ingrati animi lues fontẽ exhaurit pietatis, ità gloriæ principiũ ex gratiarũ fonte trahitur. Verum Annæus celſiori animo ſcripſit, Gra-
Seneca. tus ſum non vt alius mihi libentius præſtet, priori irretitus exemplo; ſed vt rem iucundiſſimam faciã, Antenor non ſolum Hominibus, vel Animantibus vt prædicti; ſed rei inſenſatæ gratificari voluit, nempè Mari; vndas autem *Cæruleo* tinxit (aere interfuſo) is enim aſſuetus æquori color; ſcilicet *Cæruleus*, qui fortè hinc etiam *Veneti* vocabulum indeptus, quaſi Henetis vſualis, ſolennis, familiariſuè, dicitur verò communiter *Cæruleus*, quaſi Cæluleus, vulgo *Turchino*, quia Cęlum repræſentat, quod nõ poteſt violari: & eſt operationis ſymbolum, quia Cælum otiari neſciat.

Non hic locus diſceptationi Cęlum colore, & ſecundis qualitibus prędítum ſit nec nè; ſed quatenus ſe nobis offert; nam & olim Exodi. 24. ſeptuaginta ſenioribus, viſum eſt ſub Dei pedibus, *Quaſi opus lapidis ſaphirini, quaſi Cælum cũ ſerenum eſt*. Notũ quippè, *Colorem*, paſſionem eſſe mixti, ex perſpicuo quod lucis actu particeps eſt, tincto ac terminato

ab

ab interfuſo & admixto opaco; quale eſt aeris congeries, ſeù dicam obiectus Aer, rariorum Cæli partiũ hebetans lucem, nè ſecundum rectas lineas diffuſu excurſuque viſum feriant; quemadmodum Sydera, quæ cum ſint partes globoſæ & denſiores Orbium, cum molæ contractæ materiæ perſpicuę, tum copia complicatæ lucis, efficacius nitidiusque lumina vibrant. D. Thomas. 1. ſent. diſt. 17. q. 1. art. 1. Colorem vult eſſe lucem incorporatam, in extremitate perſpicui terminati, & Albertus Magnus 2. de Anima, dicit lucem eſſe ſpiritalem qualitatem à corpore lucido leniſſimè manantem, quæ in peruio diaphano nitorem gignit, in terminato autem colorẽ. ita vt pronum ſit colligere, quod Color eſt lux opaca, Lux vero color clarus. Mare igitur cęlo ſubſtratum, idem prorſus colore refert (indè enim libro de natura Deorum, oculi Neptuni *Cærulei* leguntur) vel *Cicero.* inſtar ſpeculi, quia diaphanum: vel (nè in re grauiſſima, & animaduerſione digniſſima, ieiunè nimium præteruehi dicamur) ob affinitatem idẽtitatemque materiei; ſiquidem conſtat Aquam cęlorum quoq; materiam eſſe, non dico mollem, fuſam aut fluentem; ſed fixam, ſolidam, concretam inſtar nitidiſſimæ Chriſtalli, quæ magna ſympathia, ac proportione, cęli ſpeciem repræſentat ſi quidpiam aliud. Nec ex hoc altercationẽ cũ Philoſopho ſtagirita mihi aſſumpſerim, qui cum Cęli, Luciſuè naturam *Ariſt.* minus fortè aſſequi poſſet: cauſasque ſtabilitatis, ac perfectionis eius contrectare, Quintam eſſe cenſuit eſſentiam: & quiddam ſecretum ac ſeiunctum, tan-

to inferis elementis nobilius ac præſtantius, quanto diſtantius ac ſublimius. Verum ſententiæ hæreo, cum antiquorum Ægyptiorum, qui cęlum humorem concretum omninò eſſe voluerunt: tum Sacrorum Theologorum, qui doctrinam non à ſenſibilibus mutuati ſunt; ſed Deo reuelante ſuſceperunt, *S. Seuerian.* inter quos diuus Seuerianus ſcriptum reliquit, Dixit Deus Fiat firmamentum in medio aquarum, nec mora, compacta eſt in medijs aquis cōgelatio quędam cryſtallina ipſum Cælum, quod dimidium aquarum ſecum ſuſpendens, reliquum infra reliquit.

Gēnad. Gennadius, Firmamentum ex ipſius rei opificio appellauit; eo quod cum prius lenta, fluxa ſolubilisque natura eſſet, ſolidã & minimè mobilem con- *Acac.* ſtipationem accepit. Acacius, Firmamenti Cælum nomen accepit, quia ex fluxu, aquarum eſſentia conſtitit: & fluxa illa ac liquida natura, denſiſſima, ac ſolidiſſima ab vniuerſorum opificè effecta eſt. *Tertul.* Tertullianus lib. de Trinitate (ſiue is liber Nouatia- *Nouat. Iacob.* no aſcribendus ſit vt Pamelio placet) Cælum quod *Pam.* in firmamentum de Aquarum fluente materia fuerat Deo iubente ſolidatum; vt glacies robuſta, aquarum terram pridem contegentium diuidens medietatem, dorſo quodam pondera aquę ſuperioris, cor- *Clem. Alex.* roboratis de gelu viribus ſuſtineat. Clemens Regnitionum lib. 1. Iamuero aqua quę erat intra mundi ſpatium, quaſi gelu concreta eſt, & cryſtallo ſolidata diſtenditur. *Cla. Mari⁹ Vict.* Claudius Victor Commentarijs in Geneſim.

Quum ſe firmiſſima moles,

Flu-

Fluctibus è medijs concreto corpore cedens
Extulit: ac latè duro ſolidata rigore,
Diuiſas ſuſpendit aquas, gelidumque profundũ
Axibus obiecit calidis, & cæt.

Hieronymus, Epiſtola ad Oceanum, Firmamentum ex aquis ſortitur vocabulum *Samaim*, & in Ezechiele Cryſtallum ſuper Cherubim videtur extenſum; ideſt compactæ, & denſiores aquæ. Cyrillus in catecheſi tertia. Magnũ quiddam eſt aqua, & ex quattuor mundi elementis apparentibus pulcherrimum, Angelorum habitatio eſt cęlum, atqui ex Aqua ſunt cęli. Iunilius in Hexæmeron. Quæ cryſtallini lapidis firmitas, quæ ſit perſpicuitas, ac puritas nouimus, quem de aquarum congregatione cõſtat eſſe procreatum, & quid obſtat credi, quod idem diſpoſitor naturarum, in Firmamentum cęli ſubſtantiam ſolidarit aquarum? Idem ſentit Magiſter Scholaſticæ Hiſtoriæ cap. 4. Idẽ Magiſter ſententiarum 2. diſt. 14. Idem Hugo Charenſis in poſtillis, Anſelmus, Hyppolitus, Beda, Procopius, Guglielmus, Steuchus, Pythagoras, atque Strabo pręter alios innumeros. Verum Sanctus Archypræſul cap. 2. in Hexæmeron omnẽ de hoc dubitationẽ excludit, reſpondetque obiectis. Auguſtinus cum lib. 2. de Geneſi ad litteram fuſè ſatis de hoc diſceptaſſet, ratione loci, ponderis, & naturæ, tandẽ capite quinto ait, Quomodo autem, & quales aquę ibi ſint, eas ibi eſſe minimè dubitamus; maior eſt quippè ſcripturæ auctoritas, quam omnis humani ingenij capacitas. Porrò ſacra eloquia cęlos ex aqua conſtare

Hieron. *Cyrill. Alex.* *Iunil. Afer.* *Auctores.* *S. Ambroſ.* *S. Aug.*

perhibent, & vbi periodus completa fuerit, de qua conditori conſtitutum eſt, ad ipſius iuſſum ſolutum ac liquefactum iri, vt habetur 2. Pet. 3. & Eſa. 51. palam autem ex 4. Meteororum, & 5. Metapheſices, quæcumque liquefiunt eſſe de natura Aquæ: ipſamque materiam eſſe omnium liquefactibilium, ſed & idem indicatur per dictionem illam *Sciamaim*, quod eſt *ibi aquæ*; imò idem argumentari fas eſt ex indeſinenti & continuo motu quo vtrumque inceſſanter agitatur; Mare etenim perindè ac Cælum ſecundum ſe totum quieſcit, perpetimque mouetur. Nec hic fluctus attendo vel vndas, quæ ab *eundo*, nomen ſortiuntur; eas ſiquidem nunquam non littus impetere & alluere, ac ſtationi perpetim illidi compertũ eſt, quantalibet malacia, aut Ponti tranquillitate, ſed de motu loquor circulari, aut gyrationis & volutationis circa Axim, ſubaudi in propria ſphera, vel loco cõgruenti; quod namquè in primo mobili contemplamur; nempè inceſſantem concitatiſſimumque motum, quo ab oriente circumagitur in occidentẽ, idem Nautæ Oceanum permeantes experiuntur; nã ſi ab Hyſpali (recens *Sibilia*) ſoluerint, & vela dederint Indicam Hiſpaniolam verſus, illud iter ſecundo Mari deuecti, viginti quatuor dierum ſpatio cõficiunt. contra Hiſpaniam repetentibus, vix quatuor ſufficiunt menſes, idque æquatis auris. Rurſus è freto Gaditano, Africæ oram, & *Bonæ ſpei* promontorium præternauigantes, vt Calicutium & Iapanias regiones adeant, etiam nullo aduerſante, imò aſpirante flatu, tardius multò ac difficilius ad-

ue-

uehuntur quam redeant. Quod ego ex plurimis artis nauticæ callentiſſimis expertiſſimiſq; ſciſcitatus, certiſſimè indagaui, cum antea theoricè & (vt aiunt) habitualiter exploratum haberem. & huius profectò occurſantis ac obſiſtentis renixus, concitatiſſimarũ etiam Nauiũ curſum inhibentis, retardantisvè, nullam mihi cauſam afferas, quam quod oceanus perpetuo, ac continente orbium cæleſtium ab ortu in occaſum motu, in eandem partem torquetur & impellitur. Quinimò idemmet obſeruat Plinius in Mediterraneo inquiens, Pontus ſemper extra meat in Propontidem, introrſus in Pontum numquam refluo Mari, videas lib. 2. cap. 97. Quod verò, in Caſpio, Euxino, aut Balthico ſinibus, vel etiam in Lacubus talẽ defluxum minus contueamur, putarim illic vim anguſtia arceri, quæ in latitudine ampliſſimè diſpenſa ſe exerit, ac proindè ſenſui patet maniſeſtius. Verum ſi quis aſſertionem hanc noſtram adhuc in dubium reuocet, ob Flumina, quæ vario diſcurſu hac illac, Terræ peragrant faciem, quid de antrogrado, retrogrado, multifarioq; orbium gyro is mihi reſpõſabit? quid de lento vnius greſſu, alteriuſque pernicitate? vtique & illa ad locum vndè exierant reuertuntur, vt iterum fluant (vt ſequenti libro dicendum obueniet) non ſecus atque in orbẽ perpetuò migrant Spheræ ſuperiores. Terra verò & Ignis, hic ſurſum, illa deorſum ſuaptè natura feruntur. Idem pariter claret ex fluxu, accretioneque ac depreſſione Gurgitis, quę ab aſtrorum lumine eleuante, & cęlo impellente cauſari putantur; nimirum

rum ob materiei ſimilitudinem; ſtat quippè Pithagoricum dogma; imò & Platonicum, *Similia à ſimilibus maximè attrahi*, quæ eſt poteſtas Magnetis ad ferrum, Succini ad paleas, vel quod ſenſatum magis; Quemadmodum experimento probatur in Lyra ſuper menſam locata, neruis prius ad rectam muſices rationem examuſſim attemperatis, ita vt nihil relaxatum interceptumuè relinquatur; ſtipula autem chordis in tranſuerſum ſupraposita; nam tunc ſi quis aliam Lyram eadem cõſiſtentia harmonica conſonantem pulſauerit: continuò quę proſtrata iacet, feſtucam mouere conſpicitur nemine tangente, idque à ſimilitudine, ac intenſione conformi euenire addubitet nemo. Sic de Cęlo ad Mare; nimirũ qui prima die lucem diremit à tenebris, idem ipſe Artifex, ſecunda die inferiores aquas diſpeſcuit à ſuperioribus: eaſdemque ſupremas & à medio remotiores, latiſſima diductione, dilatatione, ac expanſione extenuauit: & exactiſſima purgatione perpolitas, conſolidauit nè diffluerent aut fatiſcerent: firmatasque in compage diſtinctorum Orbium (propterea enim *Firmamenti*, ſortitæ ſunt vocabulum) puriſſima ac ſplendidiſſima luce perfudit, quam ibidem ſolo verbo omnipotenti accendit: effecitque ſenectutis, paſſionis, & alterationis expertes. Siquidem nomine *Firmamenti*, ſi voces ſedulò appendantur, iuxta hebraicam veritatem, & editionem ſeptuaginta Interpretum, non tantum fluidæ mollisque eſſentiæ concretio ac fixio in conſiſtentem ſoliditatem; ſed & immunitas à defatigatione, paſſione, &

mutatione ſubauditur, quia Cælum non debuit obnoxium eſſe his motibus, & affectionibus, quas perpetua viciſſitudine permutatim ſubeunt elementaria, quæ & intereunt & renaſcuntur & in alias vertuntur ſpecies: habitudinesquè mutant: & affectiones, accretionibus, diminutionibus, alterationibus, vel ordine Naturæ vel præter eum, leui occaſione & facillimè. Et hæc obiter dicta, non ab re tamen; nempè vſui erunt deinceps.

Verumenimverò Familiarum inſignia, earundẽ agnominibus adeſſe debere contenderit quiſpiam; Vti viſuntur *Cribrum*, geſtare Cribelli, *Columnam* Columnenſes, *Tres vultus* Triuultij, *Ianuam* qui de Portis, Boſſij *Bouem*, *Cratem ferream* Ferrarij, *Leonemquè cum Caſtro* Caſtiglionei, & Serenij *Sydereã Galaxim*, Cęlo ſereno conſpicuam, qualis primo Metamorphoſeos deſcribitur,

Eſt via ſublimis Cælo manifeſta ſereno, *Ouid.*
Lactea nomen habet, candore notabilis ipſo,
Hac iter eſt ſuperis ad ſummi tecta tonantis.
Regalemque domum. & cæt.

Mirum quam bellè *Aquæ*, Vitalianis aptentur; quandoquidem Aqua, non iam vt Feſto Pompeio *Feſt.* placet, dicta eſt, *à qua ſuſtentantur infirma*, ſed potius *Pomp.* *à qua viuunt omnia*, vt Iſidorus tradit. quia defectu *S. Iſid.* humidi, quicquid viuit extingui neceſſe ſit ac deleri. Id aſtruit Baldad ſuhites apud Iobum 8. negans viuere poſſe ſcirpum abſque humore, aut creſcere carectum ſine aqua. Imò ipſemet Iobus 10. cum ſe inſtar luti compactum recoleret: inquè puluerem

redactum iri, tamquam humoris defectu. Et licet hominem non iam inſtar Volucrum Reptiliumuè de Aquæ elemento plaſmatum legamus, ſed de Terra; non tamen de arida, quæ ipſius eſſe noſcitur ingenita proprietas; nam de limo terræ formatus traditur: nomenquè vt Lactantio & Ambroſio placet ſortitus Hominis, ab *Humo*, quod humorem connotat, ideſt humectum quiddam. Etenim *Terra*. vel ab eo quod teratur: vel ſignificantius quia innata ſiccitate torreat dicta exiſtimatur, quemadmodum *Tellus*, quia tollat ac portet, iuxta illud metri,

Humor Humum reddit, Terram terit vſus aratri,
Eſtque ſolum ſolidum, Tellus nos tollit in altũ.

Sed & verba libri Geneos 1. Quod in principio Spiritus domini ferebatur ſuper aquas. Magnus de mente Syri cuiuſdam, viri valdè eminentis exponit, ferebatur pro confouebat, vitalemquè fœcunditatem aquarum naturæ præbebat, in ſimilitudinem Auiculæ incubantis, vimquè impertientis, imprimẽtis ac infundẽtis. Ambroſius quoque ſcribit, Hexæmeron lib. 1. c. 8. Fouebat aquas, ideſt viuificabat; vt in nouas cogeret creaturas: & fœtu ſuo animaret ad vitam. Conſtat quippè ſuperlatas aquas in primæuo Mundi ſiſtemate toti terræ: duosque effeciſſe Orbes non dico ecentricos, ſed quorum alterum ambiret alter, nõ ſecus ac nucleum includit teſta, quod elegantiſſimè Poeta expreſſit inquiens,

S. Baſil. Magn.

Ouid.

Iam Mare & Tellus nullum diſcrimen habebãt.
Omnia Põtus erat, deerant quoque littora Ponto.

Imò

Imò & poſtquam iubente Deo Terra caput extulit ſeque exeruit & apparuit arida; cum nondum pluuia eam aſperſiſſet. Gen. 12. neceſſum fuit Fontem aſcendere, illiuſque irrigare ſuperficiem; ex cuius nimirum infuſione, omne Virgultum agri ortũ eſt; germinauitque omnis herba regionis. Quid ſi addidero quod Aqua præcipua eſt nutrimenti ſolidioris portio? adhibetur namque coquendis alimentis quę aſſumimus. Et licet coctura immiſſi eſculenti concipit qualitates; fit namque ſalſa, dulcis, accida: interdum & viſcoſitate coagulatur ſolidaturquè; non tamen ſuas prorſus exuit; quinimò viciſsim ijs inſinuat ac infigit; dum feruefacta crudas ſenſim penetrat, ſubigit, attenuat, & digerit, donec ſuperfluo humido exhauſto: craſsioribusquè terreis partibus comminutis & mollitis, vtraſque iunctas, refractas ac temperatas, in ſicciorem, ſed tenuiorem multò, atque exactius elaboratam confectamquè redigat ſubſtantiam. Quapropter cum ipſo ſimul alimento, vertitur in ſpiritus humores & membrorum eſſentiam. Verum mittamus Phyſica; illud enim magis refert, quod Saluator in Euangelio, Aquam profert viuam: ſalientem in vitam æternam Io. 4. & in Apocalypſi 22. Fluuius deſcribitur Aquæ viuæ, lignum vitæ vtrinque irrigantis. Demum Graius quoquè Poeta, Mare omnium rerum parentem appellat. *Homer.*

Ad Vitellios nunc redeo, de quorum primordijs Auctores non ſatis concordant, Tranquillus namq; *Sueton.* de Aulo Vitellio Nono Romanorum Imperatore

diſſerens c.1. Vitelliorum (inquit) originem alij aliã & quidem diuerſiſſimam tradunt, partim veterem ec nobilem: partim nouam & obſcuram. Ipſe tamen primis adheret, putatquè eos à Fauno Aboriginum Rege, Piciquè Laurentis filio ortum ducere; nimirum ex concubitu cuiuſdam Vitelliæ, quæ multis in locis pro Numine colebatur ſatos. *Aborigines* populi dicuntur qui antiquitus Regionem incoluerunt, quaſi *abſque origine*, ſubaudi aliundè deriuata; quales apud nos *Inſubres*, vetuſtiſſimi memorantur antè aduentum Sycambrorum & Gallorum Senonenſium. Romanis vero ij cenſentur Aborigines, qui oram latinam tenuerunt nondum phrygibus permixti; ideſt ante Æneæ aduentum, quos nihilo-
Dionyſ. minus Græcis enatos affirmat Halicarnaſſęus, puta Pelaſgis, qui iampridem Theſſalia prodierant; ijs itẽ qui ex Peloponeſo Herculem, quique ex Arcadia Oenotrum, Euandrumque ſecuti ſunt. Cęterum hanc *Fauni*, generationem, inter ſomnia reponendam duco: nugasuè canoras. neque *Vitelliam* recipio; quippè *à Vita*, vti præfatus ſum, non à *Vitellia*, nomen deriuatum didici *Vitaliani*, aut *Vitellij*. Quandoquidem *Vitellum*, dicimus luteam croceãuè illam Ouipartem, qua pullus in vitam alitur, ex albumine corporatus, vulgò *Torlo d'ouo*, ab etymo inquam *Vitellus*, quaſi vitam alens, Hinc legimus verbum *Vitulari*, antiquis vſurpatum, pro eo quod eſt Gaudere, Græcari, vel indulgere Genio, & hila-
Macro. riter tranſigere diem. Macrobius in Saturnalibus,
Hyllus. Vitulari (ait) in ſacris eſt lætari. Hyllus de Dijs.

Vitulam,

Vitulam, dicit putari Deam, quæ lætitię præeſt; vndè *Vitulatio*, ſacrum lætitiæ eſt poſt victoriam. hinc Poeta

Cum faciam Vitula pro frugibus ipſe venito. *Virgil.*

Feſtus etiam, Iuuencum lactentem anniculum, ideò putat *Vitulum* appellari, quia nimia in pratis hilaritate diſſiliat; eam quippè veram vitam pleriq; exiſtimauerunt (vt etiam Nonius Marcellus obſeruat) quæ cum iucunditate & commodo duceretur; *Non. Mar.* indèque manauit Adagium, *Benè viuere & lætari*. Et profecto ſi rem de ſuis terminis metiamnr, ſuſcipiendarum curarum vix alius finis eſt, quam voluptas, & libera quædam remiſſio; ſiuè cum requie, iucunda oblectatio animi; ſeù carnalis, qualis eſt illa Sap. 2. Fruamur bonis quæ ſunt: coronemus nos roſis & cæt. quæ eſt forma Epicuri; ſiuè ſpiritualis, qua delectamur in domino, & ad gaudia ſempiterna ſuſpiramus, quæ nulla ſeculorum mutatione violentur: in quibus inebriemur ab vbertate domus Dei, torrente deliciarũ eius perfruentes: Hinc vates

Pax ſumma laborum. *Ouid.*

Pax belli exacti pretium eſt, pretiumque pericli. *Sueton.*

Sed rediens, eatenus duntaxat Tranquilli ſententiam probo, quod Vitelliorum familiam, nedum apud priſcos Romanos pręcipuam fuiſſe aſſerit, ſed ſublimiori gradu locat & in capite conſtituit: in reliquis Liuio magis fidendum exiſtimo. Henetos *Titus.* namque Paphlagones, poſtquam in Italiam duce Antenore delati, Euganeos colles occupaſsent, in tantam ſobolem excreuiſſe, vt non modo extremam

ſuperi, vel Adriatici Maris regionem (quæ ab eis *Venetiæ*, aſpiratione *H*, mutata in *V*, conſonantem, indepta eſt cognomentum) complerent, ſed Troianis; nimirum Æneadibus permixtos, per omne ſeſe Latium effudiſſe, idem Titus apertiſſimè demonſtrat. Marcus quoque Tullius in Philippicis, Patauinos affirmat Romanis amiciſſimos fuiſſe: ac Rempublicam temporibus difficillimis, armis & pecunia iuuiſſe. & Foroliuienſis Flauius, Patauium affirmat Romanorum Coloniam quidem; at non eo modo deductam quo cæteræ; populis nimirum eo demiſſis; ſed datum eſt (inquit) Patauinis ius Latij, vt in deſignandis Romę magiſtratibus, ferendi ſuffragij ius haberent; tamquam vnius eiuſdemque gẽtis. Antenoridæ verò & quique primarij. Romam ſe contulerunt; ceù ad dominij arcem: orbisquè centrum: & indè inclytæ proſapiæ manarunt exordia, quæ magnopere floruit, armis & opibus ac pręclarè geſtorum gloria. Hinc eſt quod Epitome Chronicorum teſtantur, Aulum ipſum Vitellium Imperatorẽ, *Familia magis honorata quam nobili ortum*. quod eſt dicere, magis rebus geſtis: illuſtriquè propinquorum caterua vel ſatellitio; quam originis antiquitate commendatum. eoque excluditur Fauni progenies, & Suetonij opinio. Nam vti prædictum, Nobilitas, apud pleroſq;, nõ tã pro dignitate, quã pro celebri notitia vſurpatur, quale eſt illud Maronis.

Liuius. *Cicero.* *Blond. & Poli.*

Virgil. Eſt locus Italiæ medio ſub montibus altis
Nobilis.

Titus. Liuius de Strage Cannenſi, Nobilis ille locus eſt

clade

clade Romana. Martialis Leonem nemęum nobilem dicit, ex Herculis victoria. Imò & in vſu loquendi, nonnullos dicimus nobilitari malefactis. Tullius 2. de offic. refert Phalaridis crudelitatem præ cæteris nobilitatam, & Lucillius Satyr. lib. 7. Meretricē quandam Phirnen nobilem appellat. Sextiusq; Aurel. Vict. de Philippo ait. Is humillimo loco ortus fuit, patre nobiliſſimo latronum ductore, ſic ergo & Tranquillus. Quidam veterem ac nobilem, quidam nouam & obſcuram tradunt. Sic & Epitome, Familia magis honorata quam nobili. Subaudiendum in ea Regione; Verius enim accolas dixerimus quam incolas; non ergo aborigines; quin potius aduenæ. Ipſa verò præter Aulum Cæſarem, Duces, ac Conſules dedit quamplurimos, inter quos. *Mart.* *Cicero.* *Lucill.* *Sext. Aurel. Vict.*

Maximus Vitellius originariæ Patauinæ ditionis præfecturam ſortitus, Octauiano Auguſto Imperāte, adeo egregiè creditam ſibi Prouinciam adminiſtrauit, vt incredibili prudentiæ atque integritatis fama eniteret: ſummumque propterea populorum in ſe ſtudium conciliaſſet. Hic Publij Vitellij conſanguineus fuiſſe traditur, Publium dico, qui fuit paternus Auus memorati Auli, qui nonus Romanis Imperauit. Et quidem effecit (puto) ipſius humanitas, pietas, clementia, vt immodici honoris titulo ipſum omnes proſequerentur; at uerò patrio iure, toto eum animo complexi ſunt: quia dulce nimium videre ſuos; ab eo ſiquidem feliciſſimo ſolo nempè Patauino, Vitelliam, ſeù Vitellianam, aut Vitalianā, ac ſubindè Borromæam familiam, inſtar odoriferæ *Ingulp.*

Cedri

Cedri, è Regali viridario proceſſiſſe ſupradictum. Quapropter ſimile quiddam animi gratia hoc loco percenſere lubet, è Iuſtini libro 31. depromptum. Tradit clariſſimus Scriptor, quod Publio Scipione aduerſus Antiochum commiſſuro, cum Romani Aſiam ingreſſi Ilion veniſſent, mutua ingens gratulatio Ilienſium ac Romanorum fuit. Ilienſibus Æneam cęterosquè Duces à ſe profectos, Romanis ſe ab his procreatos referentibus: Tantaquè lętitia omnium fuit, quanta eſſe poſt longum tempus, inter Parentes & liberos ſolet. Iuuabat Ilienſes, Romanos Nepotes ſuos, Occidente & Africa domita, Aſiam & auitum Regnum vendicare, optabilem Troiæ ruinam fuiſſe dicentes, vt tam feliciter renaſceretur. Contrà Romanos, auitos lares: & incunabila maiorum: Templaque ac Deorum ſimulacra, inexplebile deſiderium videndi tenebat. Conſimili fermè gaudio Patauinos perfuſos exiſtimarim Maximi aduentu: gratulabundosquè circumſtetiſſe, quod pręfectum aliquandò, ſua eorum ciuitate oriundum ſuſcepiſſent, Antenorea ſtemmata contuliſſe, ora hilariter contemplatos, manus deoſculatos: ipſumquè tantundem exhilaratum, quia auita terra Vrbequè potiretur: nec quidem exuſta, deſerta, ſegete ac vepribus obſita, vt Ilion; ſed amœna, virenti, ac propèmodum triumphante. Cuilibet porrò vt ille ait.

Iuſt. Hiſt.

Ouid. Dulcis amor patriæ, dulce videre ſuos.

Omnes quippè ſiuè cultos, ſiuè Barbaros, ita affixos comperimus genitali glebæ, vt communi gentium ſenſu, ipſa ſanctiſſima parens habeatur. doctè

ideo

ideo *S*enator ille Sanctus, Aues per aera vagantes, *Caſſiod.*
proprios nidos amant: Erratiles feræ, ad cubilia dumoſa feſtinant: voluptuoſi piſces, cauernas ſuas perquirunt; ſic homines fores patrias ſuper cuncta diligunt. Duxit Maximus lectiſſimam vxorem, Martiam de Tranſalgardis, quam tradunt Romana *Ingulp.*
pariter ac Patauina nobilitate fuiſſe conſpicuam. ex qua tres memoratur ſuſcepiſſe liberos.

Iuſtinum, Veſpaſianum, & Cornelium, quem dixerunt *Augurem*, eo quod celeberrimi Templi Gerionis, in montibus Euganeis extructi Sacerdotem ageret. De quo Poeta,

Euganeo ſi vera fides memorantibus Augur, *Lucan.*
Colle ſedens. & cæt.

Vt enim prætetigimus, poſtquam rabidus ſerpés humanum genus, captioſa diuinæ ſimilitudinis promiſſione circumuentum euertit ac proſtrauit; mox calliditate eximia atque vafricie, auulſum à Deo, ac ſupernis muneribus exutum, in perpetuum exilium conijcere, atque horrendis & inextricabilibus tenebris obducere decreuit. Cumque ſenſuum & animorum noſtrorum illi perſpecta eſſet imbecillitas, reliquam quoque offuſcati in nobis luminis ſcintillam, penitus extinguere atque obtenebrare molitus eſt; quatenus in teterrimam ignorationem, omnifariũq; Dei contemptum impelleret: grauioribus ſceleribus irretiret: & nefandis impietatibus excæcaret. Specioſiſſimo itaquè ſed lōgè pernicioſiſſimo fuco, ad varia inaniaque Idola perducens, effecit vt ſummi Opificis proſpectum ac prouidentiam poſt haben-

tes, quidam Fatis ſe non tam compellari quam com pelli crederent: & ineuitabili ſerie ac diſpoſitione aſſererent omnia contingere. Alijs ingens ſuggeſſit dubitationum chaos, multiuarijsquè cogitationum procellis agitauit, nè tranquillè præſentibus fruerentur, ſed anxiè futuris inhiarent. hos irrequieto extimulauit deſiderio ventura proſpiciendi, atquè impendentia prænoſcendi; qui non ſolum ſyderibus, ventis, aerisquè mutationibus animum adiecerunt; ſed execrandis ſortilegijs, veneficijs, nefandisque diuinationibus, ac inanibus Animalium motibus, Auium volatibus, garritibusque intendentes, eouſque ſuperſtitionibus eiuſcemodi ſe committerent, vt his incōſultis nihil omninò adoriendum ducerent aut proſequendum. Porrò id genus artium peritos, Latini *Aruſpices*, *Auguresq*; appellarunt. Eorumquè dignitas penes Romanos tanta fuit, vt quaſi internuncios & interpretes Deorum, in Senatum aſcribi, & inter Patres legi fas eſſe duceretur, ea quippè Ciuitas (vt eloquentiſſimus ſcripſit eius Antiſtes) cum omnibus propè dominaretur Gentibus, cunctarum ſeruiebat erroribus: & magnam ſibi videbatur aſſumpſiſſe religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem, prouectionis ſuæ auctorem tantummodo ignorabat. Vſqueadeò à primæuo Vrbis ortu, ijdem & Reges & Augures extitiſſe inueniuntur; etenim Romulum ipſum Aruſpicinam feciſſe, & nè quidpiam decretum ratum haberetur ſinè Augurum aſſenſu & ſuffragatione ſanxiſſe, annotatum eſt. De Numa Pompilio ſuperuacaneum recenſere, cum ipſe & Sacerdo-

S. Leo PP.

Sabell.

cerdo-

cerdotia vaniſſimis deitaribus inſtituerit: & Flamines Ioui: & Virgines Veſte ſacrarit: indixeritque populis faſtos dies ac nefaſtos: & leges oraculo Egerię cuiuſdam, quam nocturnis alloqueretur congreſſibus acceptas perſuaſerit. Fabius quoque Maximus, duobus & ſexaginta annis Auguratum geſſiſſe memoratur. Sed iuuat verba afferre ipſius veteris Romanorum legis, quæ locum ſuppleant mille auctoritatum.

Prodigia & portenta ad Ætruſços Aruſpices, ſi Senatus iuſſerit deferunto.

Ætruriæ Principes diſciplinam diſcunto.

Quibus Diuis decreuerint procuranto.

Iiſdem fulgura & oſtenta pianto.

Aruſpicia ſeruanto. Auguri parento.

Hęc verò non ideò recolimus, vt commendationẽ leuiſſimæ ac diabolicæ arti conciliemus, quam execratur Altiſſimus, patenter prohibens Leuit. 19. Non augurabimini, nec obſeruabitis ſomnia: non declinetis ad Magos, nec ab Ariolis quicquam ſciſcitemini. Idem cauet libro Deuteronomij 18. Gentes quarum poſſidebis terram, Augures & Diuinos audiunt; tu autem à domino Deo tuo aliter inſtitutus es: caue nè imitari velis abominationes illarum gentium; nam propter iſtiuſmodi ſcelera, delebit eos in introitu tuo. Quin & notum, Ethnicos antiquiores ac ſaniores, ſtultiſſimam auguriorum vanitatem contempſiſſe. Marcus Varro quem prædicant vndecumquè eruditiſſimum, non ocioſos modo, ſed & ſordidos reputabat fuiſſe Deos; ſi in iecorum, & vi- *Varro.*

ſcerum ſterquilinio ſua occuluiſſent conſilia, ab in- ſanis Sacerdotibus manifeſtanda. Græcus quoque vates, Hectorem ſapientiſsimum inducit Polydamā ti augurijs territo, & ob id pugnam detrectanti ex- probrantem, aſſerentemquè vnum eſſe auguriū op- timum, & à Deo mandatum, fortiter patriam de- fendere, ijs verbis.

Homer.

Siuè dextra ſpectentur aues Phætontis ad ortum
Siuè ſiniſtra petant obituri lumina ſolis. & cæt.
Optimū id auſpicium eſt, patriā pugnando tueri.

Præmiſſa verò iccircò adnotanda duximus, vt in- noteſcat, quanti tales fecerit bruta humanitas ad di- uinum iubar caligans. Cæterum Cornelius filium genuit nomine *Candidum*, à quo familia prodijt *Can diana* pridem, nunc *de Sannutis* nuncupata, adhuc inter Venetos optimates clariſsima; quæ Duces iam quinque protulit, duos Epiſcopos, Senatores per- multos.

Veſpaſiano, quem ſecundò loco ortum memora- uimus, Oppidum planè inſigne in agro Patauino tra- didit Pater, nomine *Montem Silicis*, nunc vulgò *Monceleſe*. Ipſeque Veſpaſianus pater fuit *Egidij*, à quo familia proceſsit *Fontana* olim, poſtmodum *de Cumanis* appellata: quæ & dicti Pagi iura dominiūq; diù retinuit. Ex qua alius etiam prodijt *Egidius*, au- ctor Legis quam *Egidianam*, hodiequè nuncupant Veneti, de quo Scardeonius lib. 3. antiquit. Patau. dum de Venetiarum primordijs agit, ſcribit in hæc verba, Miſſus eſt eo vir ſapiens Egidius Fontana Ga lieni frater; qui accepta Iuris condendi facultate, atq;

Bernar. Scard.

pro

pro arbitrio ſtatuendi, quicquid conducere nouæ Ciuitati, & è Republica fore putauit, ſanxit. Tucidius quoque Fontana Epiſcopus Patauinus: & Sauinus itidem Epiſcopus inter Sãctos relatus, indè proceſſerunt.

Iuſtinus, autem horum frater natu maior, & Maximi primogenitus, ab eodemque *Altini*, & *Concordiæ* dominus conſtitutus & hæres: eleganti aſpectu ac morum ſuauitate venerabilis: magnam ipſe quoque Patauini populi, quem in defuncti genitoris locum moderandũ ſuſceperat, in ſe attraxit beneuolentiam. Obijt is non planè ſenex, ingenti ſui deſiderio & vnico filio relicto, quem & *Vitellianum*, dictũ legi, & alias *Vitalianum*, ſimul ac *Iuſtinũ*; bynomiũ ſcilicet. Quẽ ipſum fauſtiſſimo omine, & lætis auſpicijs, immortali huic Heroum ſeriei præponimus, quia fatalis, nec deſituræ vmquã nobilitatis fundamẽta iecit. *Scripta vetuſta.*

Hic VITALIANVS Generoſæ propaginis auctor, fons & origo; quia vt diximus, renatus in Chriſto, & conuerſatus in cælis, ac ſpiritali regeneratione à Deo in filium adoptatus, quantumuis enim clarus carnali cognatione, maior effectus eſt ſublimitate perennis vitæ, cum Pater Iuſtinus maturè diem clauſiſſet extremum, præfecturæ gubernacula ſuſcipiens, tanta animi moderatione, iuſtitia, humanitate, prudentia, religione: tantoquè exactæ diſciplinæ ordinæ tractauit: ſic publicis commiſſi ſibi Populi commodis incubuit, in omni procuratione ac tutela, vt ſolers miniſter, ac magiſter victus & cultus haberetur: & ex eius arbitrio, opera atque induſtria,

vni-

vniuerſa cum publica tum priuata penderent; quippè qui inuicto ſpiritu celſiquè altitudine ingenij, clementiam & ſeueritatem procul ab inuidia & odio commiſcere: ſine fuco pietatem colere: comitatem ſine dedecore: ſine faſtu dignitatem tueri optimè noſſet. Qui recondita perſpicaci indagine aſſequeretur: difficillima quæque animi vigore ſuperaret: cui vires cum rerum difficultatibus creſcerent: & conſilij lumen cum earundem obſcuritate, ſagax, pius, munificus: & ijs demum notis effulgens, quibus inter viros Principes coruſcare diceretur, non ſecus atque inter ſydera Lucifer. Contigit porrò eum tunc temporis Patauij, & circumiacentis regionis clauum tenere, cum de ſumma Imperij armis diſceptaretur; quapropter cum ſubditorum animis ſibi impensè addictis, tum auctus Romanis militibus, qui dudum Auli Vitellij Cæſaris factionem ſequebantur, eoque ſublato, in Venetiæ fines ſe receperāt: & ad ipſum ceù interempti propinquum confugerant: conſcriptis etiam auxiliaribus copijs Italorum finitimorũq;, haud difficulter ad Capitolij triũphos Orbisquè principatum (quod ad nominis gloriam augendam, adque poſteritatis ornamentum, magnopere conducere videbatur) aſpirare potuiſſet; Veſpaſiano præſertim procul agente, & Palæſtinæ expeditione detento. Verum hunc Aulo longè diſſimilem, naturæ bonitas, optima educatio, honeſti ſtudium, atquè conſtantia, ab immoderata regnandi cupiditate commoueri: aut de vera æquitatis via deflecti minimè permiſerunt. Exiſtimauit verò & ſuo

nomini, & venturæ proli facturum ſatis, ſi propriæ Ciuitatis ac ditionis, quam maiores ſui diutiſſimè legitimoquè iure tenuerant, quin & fundauerāt, poſſeſſionem ad ſe reciperet; maximè Romanis ipſis ēt facilè annuentibus; vtpotè eorum rebus iam inclinatis, fermèque ad occaſum vergentibus; imò & quia omni culpa vacare perhibetur quicūquè iuſtè agit, *Vindicationem* autem, dixere ſapientes *Iuſtitiæ adminiculum*, aut potius *Iuſtitiæ ægrotantis medicinam*. Addo, quod facta factis compēſantur, argumento legis, ſi ambo ſocij. ff. de compenſationibus. Pariaquè paribus ritè commutantur, ex regulis iuris. quare non iam aliena inuadendo, ſed occupata recuperando, pleni ac meri Patauini dominij ditionē, ius, ac faſces in ſemetipſum tranſtulit; propterea enim Regium illi titulum deferunt Scriptorum plerique vti prætulimus. *Ongare. Chroni. Vlm.*

Quantum verò Vitaliano dominante ſuſceperit Patauina Ciuitas incrementi, omninò ſuperuacaneū referre; cum populi commoda, ex Principis pietate beneficentiaquè definiantur ac pendeant: & in eius Sapientia, ſuccus & ſanguis omnis felicitatis publicæ ſitus cenſeatur. ex hoc quippè (vt quidem reor) Apollinis modulatione & lyræ concentu, antiqua Thebarum mœnia ædificata finxerunt Muſarū cultores; quò ſcilicet mortales edocerentur, virtute Principis, & conſonanti animorum concilio, perduci ad exitum, quæ maxima reputantur ac propè incredibilia. Sed hæc nihil ad rem; quare ea miſſa facio. Illud nullatenus prætereūdum, quod quia is lux fuit

in

in domino, fructum lucis oſtendit in ſemetipſo, fructus autem lucis ex Apoſtolo Eph. 5. eſt in omni bonitate, & iuſtitia, & veritate. propterea quo ipſe colluſtratus fuerat lumine, idem ad cæteros diffundi curauit; mirandum in modum enim excreuit Chriſtiana religio, animis illius exemplo permotis (poſtquã viuificam ſuſcepit fidem & cum ea ardenti Dei a-
S. Baſil. more ſuccenſus eſt) non ſolum quia (vt Magnus inquit) Quemadmodum ſuauia aromatum odoramẽta, proprium quiddam per aerem continentem ſpirant, quo præſentes recreantur: ita vir bonus, toti cõmanentium contubernio ſalutaris, & iucundus; vel quia ingens ad rem benè gerendam ſtimulus eſt, cum quod arduum videbatur, ab alio fieri cernimus. Sed
Plutar. eo maximè quia vt Plutarchus habet; Sicuti ad plurimos facilè ſerpunt à primarijs orta vitiorum contagia, ſic virtutis exemplum oppidò iuuat, ſi à claris auctoribus fuerit exortum. Et hoc ipſum aliquãdo Rex Antigonus ſcripſit Zenoni Athenienſi, Qui Regem erudit atque ad virtutem imbuit, eum & ſubditos quoque inſtruere certum eſt; nam cuiuſmodi fuerit Dux, tales vt plurimum ſubditi euadunt. Certè vt Principis vitijs populus infici conſueuit & maculari, ita & virtute colluſtrari. Arcta quadam ca-
Lypſius. tena deuincti ſumus (ſcribit quidam cui pariter *Iuſti* nomenclatio) qui imperamur cum Imperante, Princeps ad virtutem præit? ſequimur: ad vitia? inclinamus: benè beatèque agit? floremus: improſpere? labimur, aut fluimus cum illo. Quò ſpectare exiſtimatur Solis metafora quæ pro Paſtoribus atque Epiſco-

pis

pis plerumque vſurpatur; quia vt à Sole in ſubiecto hoc Orbe lux aut tenebræ, ſic à Duce ad ſubditos, laudabilia pleraque aut deteſtanda. Sed de hoc ſatis.

Duxerat ille vxorem nomine *Præpedignam*, pari nobilitatis & prudentiæ commendatam præconio; ſterilem tamen & infœcundam, quæ nihilominus (vt de Anna Samuelis genitrice legitur *1*. Reg. 1. Lachrymoſis obſecrationibus, corporis ac naturæ madefecit ariditatem: & Proſdocimi Apoſtolici interceſſione prolem à domino impetrauit: Filiamque genuit vocabulo *Iuſtinam*, quã vbi primum per ætatatem licuit, in diuinum refudit munus, ipſi Proſdocimo chriſtianis moribus imbuendam: & ſacris litteris erudiendam committens. Decemque pluſminus elapſis annis, Filiũ ei peperit, pariter *Iuſtinum* appellatum. Vitalianus verò coniux, bonis operibus indies cumulatior: & ſeipſo melior euadens; tandem ætate confectus deceſſit, non ſinè ſanctitatis opinione, Filio quartum, Filia quartumdecimum annum agente. Floruit Imperatoribus Caligula, Claudio Nerone, Galba, Othone, Vitellio, Veſpaſiano; demumque ſub Tito, non tam de vita, quam ad vitam migrauit. *Chron. Patau. Ingulp.*

IVSTINA Vitaliani ac Præpedignæ primogenita, per ſanctiſſimum virum Proſdocimum viuifico abluta Baptiſmate: chriſtianæ religionis præceptis, conſilijs, ritibus inſtructa; quin & de ſacratioribus ſecretioribusquè myſterijs apprimè edocta: vtroque orbata Parente; cum voto nuncupato, virginitatem ſuam Deo conſecraſſet: viceque Iuſtini *Scarde. Ongar. Cauat.*

germani adhuc infantis, paterni ſuſcepiſſet Regni gubernacula (hinc enim Scriptores nonnulli, & nuper Corteſius tragico Poemate, eam *Paduæ Reginã*, compellarunt) Mundi ſpretis illecebris, formam corporis, animi pulchritudine ſuperare: & nobilitatem generis, Chriſti humilitati ſubijcere contendebat: aſſiduis orationibus ac ieiunijs corpus affligebat: opesquè per inopum manus in cæleſtes theſauros tranſmittere properabat; in primis verò ſubditorum ſacroſanctæ fidei rudimentis inſtituẽdorum: animarumque Deo lucrandarum ſatagebat impensè. Hæ illi artes erant.

Cort. de Cortes.

Sed cum ſceleſtiſſimus Domitianus Veſpaſiano genitus ac Titi frater, Imperij clauum obtinuiſſet, maxima in Chriſtianos ſæuijt perſecutio: quæ diligentiſſimi Scardeonij relatu, Mediolani potiſſimum ac Patauij graſſata eſt; vtrobique ſcilicet altas fixerat radices: grauique fruge ibat Euangelij viuifici ſemen; ſolertia nimirum atque aſſiduo labore Agricolarum Barnabæ ac Proſdocimi. Deſtinauerat eo tempore Cæſar Domitianus, Venetę Prouincię Proconſulem Maximilianum quendam immaniſſimũ, eiuſquè farinæ hominem, cui in mandatis dedit, vt Iuſtinam præcipuè, vulgusquè vniuerſum, à Chriſti cultura ad Idolorum ſeruitutem reuocaret, isquè clã ac repentè Patauium aduenieus, rerum facilè potitus eſt, fauente in primis quæ adhuc ſupererat, haud inualida Paganorum infidelium manu; Iuſtina interim de cæleſti, potius quam de terreno regno ſolicita. Mox edictum de Imperatoris Romani nomine

Bernar.

pro-

promulgauit, vt quiſquis Chriſtum confiteretur, cõfeſtim ad ſupplicia raperetur ac necem.

Morabatur tunc fortè Iuſtina cæleſtium rerum contemplationi vacans, apud ſuburbanum quoddã Prædium; quod vitæ ac geſtorum ipſius compilator (qui & ſe teſtem de viſu aſtruit apud Boninum Mõbritium) tunc *Vitellianam*, vocabulo refert dici conſueſſe; poſtmodum verò, & adhuc nuncupatur, *Turris diuæ Iuſtinæ*, adhuc Dominis Vitalianis ſubeſt: cũquè Patauium ſe conferre decreuiſſet, confirmandis (puto) & in certamine roborandis credentibus, nè è glorioſa confeſſione deficerent; audierat enim quantum calamitatis Chriſti cultoribus immineret, Maximilianus redeunti inſidias tetendit iuxtà mœnia. Iuſtina milites cõcito gradu, iamq; cominus accedere conſpicata, & caſtitatis verita detrimentum: auerſo curru fugam arripuit; ſed prohibita eſt Ponte curuo, (nunc vulgò *Ponte coruo*) armato milite completo, quamobrem cum nullum ei ſupereſſet effugium, illicò rheda qua vehebatur diſſilijt: procumbensquè in genua, virginitatem ſuam quam cæleſti ſponſo iam pridem obtulerat, obnixè commendauit. Mirabile dictu, ceſſit ſilicis rigor ac durities tenellis genibus, & tamquam cera liqueſcens, eorum ſe ſiuit informari veſtigijs, miranda inquam ſpiritalis interni ignis actiuitas, lapideam etiamnum firmitatem emollientis. Eoque fortaſſe inditio ſignificauit Deus illius preces intra ſacrarium exauditionis admiſſas: ſeù ipſam iunctam verę petræ Chriſto: ſortitamquè lapideam fortitudinem. Viſitur ad hanc diem Venetias

Bonin.

tranſlata, ad diuæ Iuſtinæ Oratorium, Petra foſſulis impreſſa: ac velut inſculpia genuum illius ſigna exprimentibus. Idem fermè legitur apud Diuum Bo-
S. Bona. nauenturam in geſtis Franciſci Seraphici; nimirum quod cum eum aliquando Diabolus impegiſſet, dediſſetque alta rupe præcipitem, adhæſit lapidi genuũ atquè cubitorum illius figura, tamquam cælo affabrè exculpta. Comprehenſam igitur Virginem cum ſatellites Iudici obruliſſent, præfectus de religione eam percontatus, Chriſto medullitus inherentem reperit. Extant in actis mira eius ad Præſidem reſpõſa; nimirum non poterãt deficere de ore eius ſermones, in cuius corde reſidebat verbum Dei; nam ſi ſapientia requieſcit in corde cuiuſquam, vtique & prudentia in ſermone oris illius: quæ linguas etiam infantiũ facit diſertas. Dabitur vobis in illa hora quid loquamini, ſpopondit Veritas fidelibus. Matt. 10. quare blandis ſermonibus minacibusquè variè tentatum, vt à propoſito dimoueret; vbi ſe præfectus incaſſum verba proijcere cognouit, ira ſuccenſus, virile Virginis pectus gladio transfigi iuſſit. Sic Iuſtina candidum pudicitię florem, martyrij cruore purpuratum, ſponſi thalamo intulit, ab ipſo miraculis plurimis illuſtrata. Corpus eius extra mœnia iuxtà campũ Martium, quem dicunt *Prato della valle*, per eundem fidei illius magiſtrum Proſdocimũ tumulatum eſt. illicquè ſubindè Eccleſia in honorẽ ipſius extructa, Apoſtolicis Clericis, quos nunc *Regulares Canonicos* dicunt, commiſſa fuit; vt adnotaui in Apparatu Bullarij Canonici, & in Appendice ad Auguſtini canonem.

nem. ad quam poſtmodum translata ſunt corpora Sancti Matthiæ Apoſtoli, ac Sancti Lucę Euangeliſtæ. In qua & deinceps; de anno ſcilicet 1410. Don Ludouicus Barbus Venetus eiuſdem ordinis Canonicus, titularisquè Sancti Georgij de Alga Venetiarum, pia in Almificum Benedictum eiuſquè Regulam deuotione permotus, ipſius Ordinem temporum iniuria collapſum excitauit: Congregationemquè inſtituit religioſiſſimorum Monachorũ, ab ipſo inſtaurationis cœnobio, *Sanctæ Iuſtinæ* nominatam: quæ procedente tempore *Caſsinenſis* dicta eſt: morum ſanctitate, & virorum illuſtrium numero celeberrima: quæ & nuper prædictum diuæ Martyris tẽplum, adeò magnificè ampliauit exornauitquè, vt inter ſplendidiora totius Italiæ poſſit iuremeritò computari.

Iuſtinam ipſam Venetorum Senatus ac populus, Patronam ſibi delegit inuocatquèTutelarem; ex quo potiſſimum in eius feſto, ac ipſiuſmet (vt piè creditur) interuentu, ingentem ad Echinadas Chriſticolæ reuexerunt de Turcica claſſe Victoriam. anno ſalutari 1572. propterea enim & Numiſma de ipſius nomine & eius numini, ad rei geſtæ monimentum perpetuò cudendum ſanxit.

Sunt hi Patauinæ vrbis Triumphi, ob oculos reuocandi iugiter; etenim laudes ſtrenuorum ciuium, lumina quædam ſunt atque ornamenta ciuitatũ; alioquin obſcura cenſentur oppida, ſi monumentis, & indigenarum municipumuè facinoribus minus illuſtrentur. Verum licet priuata encomia nunquam non toti commanentium Vniuerſitati decus afferant

ac

ac nitorem; nemo tamen iſthæc diffiteatur peculiaria inclytæ gentis Vitalianorum & propria. Quam meritó admirabundi ſuſpicimus, quaſi Triumphis adeò aſſuetam; vt etiam in ſexu fragili, martyrij palmam obtinuerit; velut inſeparabile ab ea, Victoriam de certaminibus reportare. Iamverò ſuperædificare properemus fundamento taliter conſtituto. Paſſa eſt circà annum ſalutis noſtræ octuageſimum octauũ. ſecunda Chriſtianorum perſecutione. Domitiano Romanorum ſceptra tenente. Venetam verò prouinciam adminiſtrante Maximiliano Proconſule; non quidem Cæſare, vt quidam ex ſimilitudine nominis allucinati putauerunt, cęcutientes in æquiuoco; cum à Domitiano Principe ad Maximilianum (qui fuit Diocletiani collega & natione Mediolanenſis: qui & Fanum Herculi conſtruxit in eadem Inſubrum Regia, nunc Diuo Laurentio ſacrum) pluſminus ducenti anni interceſſerint. Sed fortè cauſam lapſui præſtitit, præter nomen, ambiguitas titulorum; quandoquidem exercituum Duces, & id genus Prouinciarũ præfecti. *Imperatorio* nomine cohoneſtati ſæpiſſimè leguntur.

Hactenus de Viragine Iuſtina Baſiquè ſubſidente.

Illuſtriſſimo Domino ſuo Colendiſſimo

C O M I T I

CAROLO BORROMÆO,

D. Baſilius Serenius,

Felicem vitæ decurſum, mox Euge ſempiternum.

ITalicæ Philoſophiæ Princeps ſolertisſimusquè abditorum indagator, Pythagoras ille, qui ex Naſoniano Elogio,

Mente Deos adijt, & quæ Natura negabat,
Viſibus humanis, oculis ea pectoris hauſit.

Præcellentem Hominis ſtructuram contemplari adorſus, dum eam de principijs, partibus, ac paſsionibus metiretur, vaſtæ vniuerſi huius moli ſympatica quadam analogia mirum in modum reſpondere deprehendit. Inter cætera autem, quatuor Anni temporibus, varias humanæ ætatis habitudines perquam appoſitè repræſentari (vt eſt apud Laertium Diogenem) pueritiam ſcilicet oſtendens nitenti efflorescentiquè verno aſsimilandam: Aeſtiuo Adoleſcentiæ feruorem: Virilitatem Autumnali vtpotè frugibus referto: gelido tandem Hyberno ſenium. De quibus vt nemo ambigere queat comprobante experientia; quoniam tamen perpetuo ſibiquè coherente & inceſsanti fluxu, ac perenni circulo, prædictæ temporum varietates ſibi inuicem ſuccedunt;

ita

ita vt Hyemis extremitati nunquamnon Veris initia ſubrogentur, Philoſophi ſententiam de homine, contractè potius quam indiuidualiter verificari compertum; ſiquidem ſingularia paſsim interire palam eſt, atque affatim aboleri: Vadam et non reuertar, dicebat Iobus. Et Thecuitis ſagax, Omnes morimur & dilabimur inſtar aquarum quæ non reuertũtur. Quamobrem circumſpectius Salomon, in ſuæ Concionis exordio, ſpecificè enunciare maluit inquiens, Generatio præterit et generatio aduenit; non ſecus atque Sol oriens & occidens, ad locũ ſuũ reuertitur. At quorſum hæc præſtantiſsime Comes? Primordialia Gentis ac Familiæ tuæ initia ſeù dicã, incunabula, in Ortiuo hoc Stylobatæ laterè imperitiæ meæ ſcalpello effigiata, vel rudi penicillo adumbrata; dum tibi ac Orbis Theatro luſtranda offero, nolim ita concipi, quaſi Maronis dictum mihi aſciſcam. Iam noua progenies Cælo demittitur alto: nec quaſi tunc primum in lucem prodierit, cum nullo loco pridem haberetur aut numero; etenim conſtat (quod & priori libro tetigimus) inclytam propaginem plurimis anteactis ſeculis celeberrimam extitiſſe; ſed quia veræ lucis nitore tum primum inclaruit Chriſtum induta: et in ſplendoribus ſanctorum longè micantius effulgere viſa eſt. Hinc nemini conuenientius quam tibi vni titulari poterat hic liber, vbi de Iuſtino potiſsimum

mum agitur; qui toti proſapiæ ceù lumen de lumine inſigniter præfulſit, non ſolum ob nomen, quod (nil vereor) diuino inſtinctu ſortitus es; namquè Carolus, *quaſi* Cara lux, *dici creditur: non ſolum quia tu Renato genitus; perindè ac ille Vitaliano, quem ex aqua & Spirituſancto renatum enarrauimus antè cæteros omnes gentis ſuæ; ſed quia ambo propè acciſis propagandæ familiæ ſpebus ſuccurriſſe exiſtimemini; Nempè is Præpedigna editus adeò ſterili; vt non pauci eant inficias filium enixam; Tu verò cum ipſa domus iamiam interitura timeretur; propinquis ſcilicet ac conſanguineis longo ordine abſque ſobolè decedentibus continuò opem attuliſti: vnoquè & alio pignore ſuſcepto cum Renatum tuum, tum Gibertum magni S. CAROLI genitores renouando ſuſcitaſti. Ex quo igitur, pro Patribus tuis nati ſunt tibi filij: et Deus inſtaurauit quod abierat, in ſpem aſſurgo, vt religioſiſsimæ proſapiæ, iucundiſsimum propitius vernale tempus aſpiret: & bonorum affluentia circumuallatam, fauſtam ac ſoſpitem ad maiora indies prouehat: idemquè & deprecor ſupplex et depoſco.*

AD EVNDEM GENEROSVM COMITEM

BENEDICTI SOSSAGI DOCT. EX COLL. AMBR.

VT genus antiquum regali fronte fateris !
Vtq; tuo vultu plurimus exſtat auus !
Qualiter in varias operoſo pollice formas
Fingitur artifices cera ſequuta manus :
Non ſecus ad patrios componis pectora mores,
Laudibus Heroum degenerasq. nihil.
Ergo alios ſurget tua gens rediuiua per annos
Carole, & in tanta fronte ſuperſtes erit.

PHILIPPI RICCII

Concionatoris ſummi.

CArole præclari clariſſima gloria Pindi,
Pierij Princeps Aonijq; chori.
Accipe quæ pangit reſonante Serenius ore,
Accipe quæ grato pectore dona refert.
Hic celebrata tuæ conſurgunt germina gentis,
Hicq; Patrum mirus ſurgit ab ore decor.
Has Gibertus amet mammas : has ore Renatus
Hauriat, has natis detq; Iſabella dapes,
Hæ pueris Violæ ſerpant per tempora molles,
Lambat & hæc Flauas aura ſerena comas.
Hic quoq; Pierides dant plenis vbera riuis,
Quæ benè docta premit, dextera Baſilij.

ELO-

ELOGII
LIBER SECVNDVS
ET STYLOBATÆ FACIES ad Orientem ſita.

ANtiquitatum exemplorumquè memorabilium habere notitiam, nunquam non vtile, decorum, laudabile; imò & propè diuinum cenſuit Oratorum Princeps. Syraceus quoque noſter Eccl. 39. dum viri cordati ac ſapientis ſtudia, mentiſque effigiem coloribus ſuis delineat, inter cætera minimè reticendum putat, quod Narrationem virorum nominatorum conſeruabit. Iccircò Iobus 12. in Antiquis ſitam eſſe aſtruebat ſapientiam: & in multo tempore prudentiam collocabat. Nec certè coarguendus quaſi nimium tribuerit ætati; neque enim dixit *in Senibus* (tametſi ipſi ſenes cum diutius vixerint, plura etiam vidiſſe ac didiciſſe creduntur) ſed *in Antiquis* ait, quiputa optimè intelligeret, Adoleſcentes etiamnum, qui virorum illuſtrium exempla in promptu haberent & ad manum; Vndè quæ iudicanda, quæ timenda, quæ ſectanda, quæ cauenda, ex præceſſorum actis depromere valerent, ipſis vel quantumlibet longæuis ſenibus multò præferendos (maximè cum vel vnam diem ex veræ philoſophiæ præceptis tranſmiſſam, etiam immortalitati peccanti anteponẽdam aſtruãt Sapientes. Et Seneca, nihil turpi ius (dictare ſoli-

Cicero.
Ieſ. Syd.
Iobus.

tus fuit) quam grandis natu ſenex, qui nullum habet aliud ſuæ vitæ argumentum, quo ſe diù vixiſſe prodat præter ætatem] Huic autem Hiſtoricorum potiſsimũ lectio medetur. Hiſtoria quippè ex ignauo ſolertem, ex ſtolido prudentem, ex in diſerto facundum, ex fracto denique & abiecto, fortem reddit hominem, & inuictum. Ipſa eſt præceptio vitæ, ſpeculum conſuetudinis, & imago veri; ſeù vt ſcripſit Marcus Tullius, Teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Vel demum vt Chriſtianus Doctor, Multorum in vnum collecta prudentia, & conferta quædam ſapientia, verè Regia poſſeſsio dicta, quæ humanam excitat ſocordiam, communit aduerſus pericula, bonos euehit, deprimit improbos, inflammat ad deteſtanda vitia, adque capeſſendum honeſtum; vim tandem eximiam in animis legentium exerit ac exercet. Mouet, docet, delectat, & ſenſibus animiſq; ingerit quæ plena ſunt iucunditatis, admirationis, fructuſque incredibilis. Et quidem non me clam eſt, Philoſophiam animi eſſe ſanitatem, conſilij robur, rationis præſidium, ducem vitæ, virtutis indagatricem, expultricem vitiorum, inuentricem legũ, magiſtram morum ac diſciplinæ; tandem & gloriæ pabulum. At uerò præcepta tantum inſtruunt, exẽpla etiam mouent: illorum hebes, horum acris eſt auctoritas; ſicut non tam alliciunt quæ ſono per aures feruntur, quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus. Itaque omnis artis inſtitutio eiuſmodi eſt; vt hians videatur & diſſoluta; niſi exemplorum vinculis

Cicero.

S. Greg. Naz.

lis

lis conſtringatur; vt enim ſinè validi corporis admi-
niculis, animus nihil grande præſtare poteſt, ita
præcepta virtutum, ſinè exemplis iacere videntur.
Præter id quod nullum eſt tanta aſperitate aut fuli-
gine obuolutum præceptum artis, quod non exem-
pli igniculo eluceſcat & molleſcat. In ſumma cum
à fine vnumquodque denominari iuſtum ſit, tãtum
eſt in hiſtoria vtilitatis, quantum in veritate, quæ il-
lius ſcopus eſt; dempta enim veritate continuò nar-
ratio omnis inutilis efficitur ex Polibio, non ſecus *Polib.*
atque animantium corpora effoſſis oculis. Itaque
vt diſertiſſimus Patauinus teſtatum reliquit, Operę-
pretium eſt in voluminibus Hiſtoricorum cuiuſque *Tit. Liu.*
exempli documenta, velut in monumento inſigni
poſita contemplari. Eatenus inquam Iobus in anti-
quis reponebat ſapientiam; nam & Cicero Nihil ea- *Cicero.*
rum rerum ſcire (ait) quæ antequam naſcereris fa-
ctæ ſint, hoc eſt ſemper eſſe puerum: è contra iuue-
nes hiſtoriarum periti, etiam anteactis ſeculis vixiſſe
videntur & cum gratia iuuentutis, quandam præſe-
ferunt vetuſtatis auctoritatem.

Nolim verò quempiam ſuſpicari, me Hiſtoriam
condere velle aut vendere, dum eam laudo; cũ enim
id nominis à verbo Græco, *Hiſtorin*, deriuatum noſca-
tur, quod importat *Videre*, vnde nonnulli eam reli-
quis ſcientijs quæ auditu præcipiuntur, pręferre non
dubitarunt; quia ſcilicet pręſtantiſsimum ſenſuum
depoſceret: & olim nemini Hiſtoriam ſcribere fas
eſſet, niſi vel ipſemet vidiſſet, vel ſaltem à narranti-
bus fidis & occulatis teſtibus accepiſſet. Cur mihi
onus

onus gratis aſſumam, cui indubiè non ſim ferendo? tantum quippè abeſt vt ipſe viderim quę ſcribere paro, vt in eorum aſſequenda vel tenui confuſaquè cognitione, haud parum mihi fuerit laboris impendendum, obſiſtente antiquitatis nebulâ; nam ſi rerum corpora longiuſculo locorum interuallo diſſita, vix oculis licet exactè conſpicari; ſi quid potiſſimum caliginis medio fuerit interfuſum, nil mirum ſi intellectus effugiant aciẽ, nec planè comprehendi valeant, quę tot ſeculorũ intercapedine notitiam noſtrã pręceſſerunt: adeoquè iniquorum temporum ſpatijs intercludũtur. Accedit, quod tametſi nihil falſum afferre omninò profitemur, aut ſuſpectum, (quod Hiſtoria execratur) non tamen ſingula quę vera ſint (ad Regulæ eiuſdem pręſcriptum) fas nobis eſt coaceruare; ſed propoſito & inſtituto noſtro deſeruientia tantum. Quocirca vereor nè ſi quę pręſenti compendio tradimus, ad Hiſtorię libellam expendantur, in multis ſuperflua iudicentur, longèque in pluribus deprehendantur imminuta, ſubiecti huius ratione id exigente: etiam ſi per Hiſtoricorum leges minus liceat; magnam ſiquidẽ partem eorum quæ ad generoſę proſapię decus congerimus (ingenuè fateor) ex fama potius tradita & per manus, vel ex ſyngraphis & Tabellionum narrationibus, tum ex annotatis & actis quorundam Oppidorum Ciuitatũque, ſeù & aliarum familiarum annalibus obiter adiecta: priuatisquè ſchedulis multo ſudore eruta atquè emen-

dicata, potiuſquam certorum Auctorum Chrono logijs: aut elaboratis referantur traditionum monumentis (ſi tamen vetuſtos Vitalianæ ac Borromeæ ſtirpis Arbores excipias) vt iure præcelſi Heroes conqueri poſſint, glorioſis eorum geſtis defuiſſe Præconem, qualem ſe Achilli inuidere prodidit Macedo inclytus, cum in Sigęo ad eius tumulum aſtitit inquiens.

Felix Eacida cui tali contigit ore. *Silius Ital.*
Gentibus oſtendi, creuit tua carmine virtus.

Rectè quidã, Vixere fortes antè Agamemnona multi; eorum tamen fama obliuione deleta eſt, quod buccinatore caruerit & vate facundo. Id derimenti perpeſſam Vitalianorum gentem, alioqui felicem ac fortunatam haud poſſumus diffiteri: & eo maximè quod ipſa Patauina Ciuitas, varijs cum externorum bellorum, tum inteſtinarum ſeditionum cladibus, à ſtirpe propè exciſa: & haud ita pridem Baſilicæ ſeù Palatij totius Italiæ ampliſſimi conflagratione, Tabularijs (Archiuia dicunt) exuſtis, antiquitatum luminibus planè orbata eſt; ſuperfuerunt tamen Deo beneuolente nonnulla Chronicorum volumina: exceptorijquè actorum libri, quibus illud Threnorum 3. perbellè aptetur, *Miſericordiæ domini quia non ſumus conſumpti*, à quibus non pauca elicere datum eſt. Sed quiſnam primus facem nobis prætulit tam cęcum laberynthum ſubeuntibus? Quoniam nemo ſua laude fraudandus eſt: & primos rerum Auctores ſumma veneratione percolendos Phi-

loſo-

Ariſt. loſophus autumnat primo Metaphyſices, non ſolum ob inuentorum vtilitatem, ſed tamquam ſapientes ab alijs diſcretos. Egregius Doctor Ingulphus Comes nobilis Patauinus, dum moralem Philoſophiam in hac vrbe publicitus ad Canobianas Scholas profiteretur; vt præcellenti viro Comiti Renato Illuſtriſſimi domini mei Federici germano gratificaretur, omnium primus quos viderim, Vitalianæ ſobolis originem proceſſumquè compilauit; nimirum geſta quædam exarauit eorum, qui in pictis Arboribus ab immemorali, nominetenus extabant. ab ipſo (inquam) me de eius ſeriei exordijs primitus, cum voce tũ ſcripto edoctum conteſtor. Vtebar quippè conſuetudine viri meliorum artium peritia eminẽtis, quoties per occupationes licebat: expoliabanturquè ſtudia noſtra mutua communicatione. Quoduerò me clariſſimæ familiæ impensè addictum intelligeret, ſæpius de eorum primordijs ſermonem miſcebat, quem auribus meis noſſet periucundum: idquè adeò frequens, vt vix ſuſpicari deſinam, eũ aliquatenus pręſciſſe, mihi [tunc temporis nihil tale prorſus cogitanti] aliquando hocce munus iniungendum. vtcumquè ſit, permulta ſanè cum iucunditate ex eius fonte hauſi, quę illi ſummo labore cõſtiterant, de vetuſtis Vitalianis inquam, De Borromæorum autem ortu; ideſt qualiter eorum germina, Borromæorum titulum adepta ſint, nõ multum ei curę fuit perſcrutari, quiputa ſe officio functũ exiſtimabat, ſi antiquiora elucidaſſet, quæ

am-

amplius quiddam induſtriæ depoſcunt in indagando; cùm recentiora magis ſint in promptu, quapropter né ſcripto quidem ſuo, lineam prætergreſſus eſt Vitalianorum Paduæ degentium: ſatisquè ei viſum eſt truncum enarraſſe, ramorũ germina quæ aliorſum ſe extenderant vix attigit; fortaſſe arbitratus ea notiora eſſe & in claris. Verum & hæc valdè implexa manebant, licet non adeò difficilia explicatu. QuareVenerabilis Sacerdos Pater Daniel Vitalianus cultioris litteraturæ candidatus, tametſi ſub pulla veſte; nimirum Caſſinenſis diſciplinæ ac profeſſionis alumnus, eam ſibi Prouinciam aſſumendam putauit, quam & ſtrenuè admodum obiuit (penſata rei difficultate ſinuoſiſquè anfractibus) qua in re iuſtum volumen conſcripſit, quod demum Illuſtriſſimo Cardinali Domino meo Federico obtulit. Vterquę horum mihi Tiphys in vndoſi Pelagi huius nauigatione, in qua cæteroqui tam facilè deficere poteram, quam qui Athlanticum Æquor exili cymba percurrere attentet. Sed enim adhuc inſurgebant vndę dubietatum contradictionumquè procellæ: nec planè abſceſſerant caligines, aſsiduis lucubrationibus indefeſſoquè ſtudio mihi opus fuit, euadendis mendaciorum vorticibus, ſternendis aggeribus oblocutionum, & inquirendis rebus fermè imperueſtigabilibus: multum iuuit per litteras eruditiſſimos viros conſuluiſſe, cum Patauij, tum Piſis, Senis, ac Romæ; donec extricatis ambagibus, profligatibusquè falſis opinionibus: veritatis in ſe conſiſtentis colluſtratus radio, ad eam certæ vel euiden-

M tis

tis ſcientiæ lucem aſſurexi, quam probus ac integer rerum æſtimator vnuſquiſque recognoſcet.

Voti igitur diuino munere compotes effecti, manum operi admouentes, aliò & nõ planè modo, methodo, vel ritu rem nauare: ſolidamquè ex auita ac perpetua nobilitate Baſim conflare: ſeù potius com pingere atquè conſtruere adorſi ſumus; quæ Sancti Cardinalis magnalium patratoris Statuam ferat: & quaſi candelabrum coruſcæ rutilantiquè lucernæ parare, vt micantius adhuc illuceat; ipſam verò *Elogij* nomenclatione titulare libuit; quatenus inuentario & contemplatione præceſſorum, poſteri ad præclara incitentur. Cum enim honoris & gloriæ cupiditas, præ cæteris affectibus et latius pateat, & humana vehementiùs corda extimulet; ita vt plerique nedũ voluptatibus ſibi interdixerint, diuitiasquè honoris ergó contempſerint; ſed et vitę ipſi minimè pepercerint, mortemquè vltrò oppetierint, nè illius iacturam perpeti cogerentur: nec aliquis iam reperiatur tam rudis aut incultus, qui non gloriæ deſiderio tangatur; quo tamen quiſque maximè generoſus perhibetur, eo ipſo honoris expetentiſſimus eſt; Agreſtem namquè illam tetricamquè ac ſæuam, magis quam ſeueram, Stoicorum & eorum qui de Zenonis porticu ac diſciplina prodierunt ſententiam, qua de gloria contemnenda pertinaci ſuaſione contendebant, nuda horridaquè virtute contenti, Mundus iam planè reiecit, atquè adeò exibilauit, tamquam auſteriorẽ, humanoquè generi exitialem; quia dum eiuſmodi cẽſoria lege ingenia fructu meriti honoris fraudant,

ho-

homines ad præclara facinora natos, ab inuictę virtutis actibus, & ab honeſtis laboribus exantlandis auertunt ac deterrent, eoquè potiſſimum, quod vt Marcus Tullius optimè animaduertit, eandem proprij nominis celebritatem ipſimet toto adnixu; tametſi obliquo quodam viæ compendio aucupari conuincuntur, in eo quod librorum ſe ſe produnt Auctores: & inſulſa quadam vafricie, quod verbis & ianua excludere ſimulant, re & poſtico appetenter admittunt. Nec quidem Ariſtoni Chio fauemus, docenti omnes ſudores in hoc conferendos, vt laudem ſibi vnuſquiſque compareret; hoc enim aliud extremũ eſt, ac proindè damnandum; ſed iuſtæ laudis deſiderium, prę ſertim extrà vitæ huius inuidiam, poſt obitum cumulatè obuenientis, minimè explodendum arbitramur; cuius flagrantiſſimam cupiditatem, hominum animis inſeuit ipſe rerum Opifex, nè difficultate à virtutis ſtudio retraherentur. Et quidem virtus ſibiipſi per ſe ſufficiens, nec externorum indiga præmiorum; nihilominus id agit & in eo tota eſt, vt emineat, vt in ſummo gradu conſpiciatur, vt in pretio habeatur; & eo ſanè pretio tamquam excitamẽto, animos ad ſe conſectandam allicit: quo ſpectat & peruulgatum apophtegma, *Honos alit artes*, tum & illud Silij: *Italic.*

Abripuit traxitquè virum fax mentis honeſtę
Gloria.

Quam acriter Milciadis trophęa, Themiſtoclis præcordia pupugerint: Quantum Achillis pręconio ſe concuti peſenſerit Alexander: Quantum ipſi *Val. Max.*

Cicer. *Ariſt. ex Dio.*

Cæſar. Alexandro fauſtum Caius Iulius nomen inuiderit; & Alcibiades Pericli, ex eorum monumentis notius eſt, quam vt refricari indigeat. Sed & in diuinis voluminibus, prçter Syraceum Eccleſ. 44. Matathias quoquè ſanctus extremum ſpiritũ ducens 1. Mach. 2. obtendit filijs glorioſos viros, Abrahamum, Ioſephum, Phinçam, Calebum, Dauidem, Heliam, Danielem & eiuſmodi. Iccircò & nos cum magnanimæ ſtirpis heroica geſta commemoramus, ſucceſſorum corda, tamquam admotis igniculis vrgemus iuflammamusquè; ad ſimilem enim gloriam aſpirare, niſi ſimili virtute, paribusquè vitæ lineamentis nemo niſi ſtultus inſtituit.

Itaquè poſtquam originem ac fontem, ſeù fœcundæ huius arboris radicem, aut magnificæ ſtructurç baſim (conſimilibus quippè ſimilitudinarijs locutionibus cum profani Scriptores paſſim, tũ Eſaias quoque ſacer vſus videtur; illic prçcipuè, vbi poſt Euiratum & impotentem ad generandum, demortui ſtipitis nomenclatione expreſſum, confeſtim trãſit, çdificijquè arripit metaforam inquiens. Eſa. 56. Nõ dicat Eunuchus ecce ego lignum aridum; quia dabo ei in domo mea, & in muris meis, locum & nomen, melius à filijs & filiabus) Magnum VITALIANVM poſuimus, eiuſquè primarium germen cõnotauimus Diuam Iuſtinam, tamquam ipſius ceſpitis ſeù fundamenti decus, ornamentum, atque coronam, (neque enim in carnali propagine ſiuè trunco referenda; ſed ad familiç ſplendorem duntaxat memoranda alma victrix, quç & intus per cçlibatus ar-

ma

ma de naturæ fomite triumphauit: nullisquè cedens illecebris, omnia tela nequiſſimi ignea extinxit: & foris gloriosè in agone decertans, candidam ſtolam profuſo ſanguine purpurauit: ſexumque cum ſeculo vincens, virginalem aureolam inclyto cumulauit martyrij ſerto) ſupereſt vt iam tandem Fluuium felici vena manantem, in riuos diductum contemplemur: eximięquè Arboris ramos, quaſi in ſeries quaſdam diſtribuamus: & rationalium lapidum ſtruē, non tam trulla aut lituris, quam calamo litterisquè erigere properemus.

Iuſtinam ſororem nouum canticum cum ſuperno incontaminatorum ſodalitio indeſinenter modulantem vt habetur Apoc. 14. Genitoremquè Vitalianum, qui proprijs effulgens & tanta prole beatus, primus ampliſſimæ vberrimęquè ſegetis iſtius ſemi-
II. na iecit, *IVSTINVS*, antè alios excipit, in exorientis familiæ principio tenella ætate ſuperſtes. Hic paternorum ſeruorum cura & induſtria ſeruatus atquè educatus, Altini quidem & Concordiæ ciuitatū paullò poſt poſſeſſionem inijt, non tamen Patauij; quandoquidem ciues occaſionem nacti, ſeipſos in libertatem aſſeruere: & pulſo Maximiliano multis criminibus obnoxio (vt ex eorum Chronicis ſatis conſtat) ex ſuismet Conſules elegerunt; plurimarū videlicet aliarum Ciuitatum exemplo permoti, ſtudentes alioqui paci & amicitiæ cum Romanis retinendæ. Huius nomen nempè Iuſtini, quidam abolere nituntur & eradere de linea; natum quippè inficiantur; quò maiorem Iuſtinæ ortui admirationem

con-

concilient; mendacio autẽ ſuo illud prætexunt, quod quotquot fermè vteri ſteriles Deo miſerante fœcundati leguntur, ſingulos protulerunt: nec ad ſecundos peruenerunt fœtus, idque inductione contexta probare laborant, ex Iſaaco, Gen. 21. Sãpſone, Iudic. 13. filioquè magnę Sunamitidis apud quam Eliſeus hoſpitabatur, 4. Reg. 4. & Chriſti Domini Baptiſta, Lucæ 1. forſan & alijs, At uerò vt iſtud in multis verum aſſeratur, non tamen in vniuerſum; ſiquidem & Rebecca ſterilis Coniuge deprecãte geminos profert, Gen. 25. & Anna Helcanæ, cum pręter Samuelem, tres mares enixa fuiſſet, duasquè femellas, gratias agit lætabunda & laudans; nec ſatis putat metaforico plauſu, *Famelici ſaturati ſunt*, niſi palã proprijsquè notis conduplicet, *Sterilis peperit plurimos*, 1. Reg. 2. Certè nihil eiuſcemodi cautela inanius; etenim Hęreditas domini ſunt fructus ventris, filij vel filię quanticumque enaſcantur, Pſ. 126. & Deus qui bonorum noſtrorum non indiget, multò minus mẽdacibus nugis gaudet gloriam ſuam magnificari; quinimò falſi teſtes Dei eſſe inueniuntur & conuincuntur, quicumque miracula prędicando venditant minus vera. Nec mihi obijciatur, quod nonnulli ex Scriptoribus hunc prętereunt; inanem quippè iſtiuſmodi machinam, leui deijciet haſta, quicumque meminerit, Quam parum, nè dixerim quam nihil momẽti aut ponderis habeat argumentum ab auctoritate negatiuè ſumptum, per regulas Topicas, Plinius non diſſerit de piſce *Echino*, ſiuè dicatur *Remora*, ergò nõ datur in natura rerum hem ineptiam, apagetę mihi

cum

cum iſtiuſmodi illatione hiulca; nimirum ſi penes quempiam Auctorum omnia haberentur & ſingula, inutiliter ſcripſiſſent reliqui, non omnis fert omnia Tellus. Negatiuam non poſſe probari niſi per aſſertionem, demonſtrant Iuriſtæ paſſim, videatur Alphanus L. Actor. C. de probationibus num. 582. Bart. in l. ſi conſtante. num.7. ff. ſoluto matrimon. Doctores in l. ſi emancipati, & Cagnolus num. 16. C. de collationibus. Satius igitur exiſtimarim Proſdocimum, Præpedignæ ac Viro eius benè præcatum verbis illis Helij Sacerdotis 1. Reg.2. Reddat vobis dominus ſemen, pro fœnore quod commodaſtis domino.

Iuſtinus nō admodum quidem robuſtus habitus eſt aut pugnax; at valuit intellectus vigore, liberalibus ſtudijs non vulgariter delectatus, & meliorum artium diſciplinis perpulchrè inſtructus. Ipſe à veteribus acceptum Vitelliorum ſeu Antenoreum ſtēma, (*Schemma*, dici mallet Alciatus noſter, Parergon lib.2.c.3. Sed vtor communi vſitatoquè vocabulo) tribus permiſcuit, ſiuè diſtrinxit virentis terræ portionibus, aut littoribus vel herbidis areolis. Quia ſator ipſe glorioſę ſtirpis Antenor, per Pelagi freta diù deuectus, & ponti ſinus errabundo emenſus diſcurſu, Heleſpontum, ac Egęum, Adriaticumque; penitioribus tandem ſe Mediterraneis ingeſſiſſet: Illiricosq; & Italicos aditus peruaſiſſet. Ea verò palam eſt prętęritum, & anteacta tempora ſpectare; ſiuè dicamus, quod in hoc ſortem ſuam præſagire viſus eſt Iuſtinus; nomen ſcilicet ſuum, ad tempus ignotū

fore Scriptorum vitio (vt diximus) ſeque de albo propè eraſum iri; quemadmodũ ſubterranei Aquarum meatus humani obtutus effugiunt aciem, quin & maius quiddam portendiſſe exiſtimandus; nempè Omen quod ſobolem maneret poſt aliquot ſecula: de quo in Septentrionali. Vel tandem penſato ingenij acumine quo Iuſtinus à natura inſtruſtus: & induſtria qua exactè inſtitutus fuiſſe perhibetur, illud pronum videtur ſtatuere, quod gentilitio auitoquè Scuto corrigendo animum intenderit; cumquè interminatis diffuſi Pelagi fluctibus, vaſtum potius denotari Oceanum animaduerteret, illos littoribus cohercere, ac Mediterraneo deſignando, Phrygias, Graias, Africas, Italicasque oras præterlabenti, quas Princeps olim perluſtrarat Antenor, figurare vel cõcinnare adnixus eſt. Quin & illud exacto eius acumini aſcribendum duco, quod dum Æquora interiectis ſecuit; ſed verius ſepſit concluſitque repagulis, eorum leuitatem notare viſus eſt ac refellere, qui Oceanum ſibi confingunt immenſum, Terras vndecumque ambientem ac circumuallantem, nullo mortalibus comperto fine diſtentum; adeòque vniuerſa Terræ ſuperficie latius ac diffuſius protenſum, vt ſuper illo alij poſſent Mundi conſidere. Terram verò opinantur eſſe inſtar pilæ natantis in pelui, ac nutantis ad ſyderum attractionem aut impulſum: vel in modum Gibbi cuiuſdam exurgentis emergentiſque. Cuiuſmodi nimirum deliria, totius diſciplinæ theoria ſtomachatur; eò quippè ducimur ac docemur germanæ Philoſophiæ atque Geographiæ methodis,

terram pondere ſuo niti, medioquè Axe libratam; quam licet Pythagoras, Timæus Locrenſis, & Plato *Cubum* dixerint, ob eius ſtabilitatem vel grauedinem, quia immota in centro quieſcat, quemadmodum Cubus in omne latus iacet immobiliter; figura tamen orbiculari conſtare palam eſt, (non pyramidali vt ex prælatis chimeris conſequitur) & ex vtriſquè, terrarum videlicet & aquæ ſuperficiebus æqualem, complanatamquè, ac concentricam ſphęram conſtitui: idquè inferioris orbis ſiſtema. Nec cuiquam ſcrupulum inijciat Montium eminentia, aut Vallium depreſſio, neù mirabiles elationes Maris, ſubitauè eorundem fluctuum demerſio; parum enim aut nihil æſtimandum, præ latiſſima Orbis amplitudine; Montes quippè *Lunæ*, *Caucaſum*, aut *Olympum*, & ſi qui dentur his editiores ac celſiores: ſcrupulos, nodulos, vel tuberculos dixeris, reſpectu eximiæ planitiei, quā Ariſtoteles lib. 2. de Cælo, vigintiquatuor milliarium millibus æſtimauit. Et quamuis eum fefellerit ſupputatio; quemadmodum recentiores ſolertioresquè Geometræ demonſtrant Ptholomæum inſecuti; Hi enim (vt ſunt mathematicæ demonſtrationes omnium ſenſatiſſimæ atquè infallibiles) ex Cæli luminibus, vmbris, & greſſibus, inferioris Mundi Diametrum ſedulò emenſi, vno & ſex millibus quadringentis nonaginta milliaribus protendi deprehenderūt. 6491. Compertum autem experientia magiſtra, Circulum, metiri conſueſſe tribus Diametris, & ſeptima parte vnius Diametri; qualem ſcilicet proportionem habent, vigintiduo ad ſeptem. Non enim

N po-

poterat Cælorum machinæ nobis conſtare menſura, aut Aſtrorũ decurſus & reuerſiones niſi ratio aliqua adinuenta fuiſſet, qua circularis figura ad rectam cõpararetur; huic autem inueſtigationi, numerus duorum ſupra viginti, appoſitè admodum deſeruit, nec alium mihi dederis æquè idoneum. Quapropter citrà quamcunque ambiguitatem illud neceſſariò euincitur, vt quadraginta milliaribus ſupra viginti mille, vniuerſæ ſpheræ grauitate præditæ ambitus conſtet. Montium autem nullum mihi dederis tribus milliaribus elatum, rectà inquã, & (vt aiunt) perpendiculariter, propinquæ vallis decliui ſupereminentem; quantumlibet ſexaginta peragrandi ſint in aſcenſu; nempè diuertendo, perque anfractus ac meandros. Hinc ſicubi legeris de quibuſdam Montibus, quod præ celſitudine, *Columnæ cæli* nuncupentur: Athlanticumquè notanter *Cæliferi* titulo inſignitum: totũ hyperbolicè enunciari nè dubites.

Nam miranda canunt, ſed non credenda Poetæ.

Quod ſi obijciatur, Prophetam quoque ſanctum eadem phraſi vſum fuiſſe, vbi memorat *Montes Dei*, Pſ. 35. Quamuis ſacræ Scripturæ auctoritates nouerim timoroſa potius veneratione meditandas, quam interprætandas, vel procaci auſu extorquendas; nè cum Oza, Arcam quamuis nutantem ſi attigerimus percutiamur. Fidenter tamen dico, eiuſmodi locutiones tropicè accipiendas, non ad litteram leuiter abſorbendas; nam & ſæpè impegeris in *Volucres cæli*, vel *Imbrem, ac Pluuiam de cælo* deſcendentem, & id genus; imó idem Pſalmographus alibi recolit *Cedros*

Dei Pſ. 72. *Myoſim*, appellant ipſum Schema, quod Hyperbolem ſapit & Catacreſim. Idem aſſerendum de ſpumantibus Pelagi ventis agitati vorticibus; tametſi videantur aſcendere vſquè ad cęlos, & deſcendere vſque ad abyſſos; vix enim (vt etiam tradit Chriſtophorus Clauius ſæpè à nauigantibus experimento comprobatum) vſpiam Mare duo milliaria habet profunditatis, vel ibi altiſſimè demergi exiſtimatur; A conuexo autẽ Orbis terrarum, ad cõcauum Lunæ, quam nouimus infimum Planetarum, intercapedinem, triginta quinque millibus, & trecentis inſuper quinquaginta milliarijs, protendi docet præcipuorum Aſtronomorum calculus. Videantur quæ de Spherarum latitudine, Bernardus Fratigianus compilauit cap. 48. Cum uerò Sapientum omnium ſententia, quælibet pars Orbis, ita ad vniuerſi perfectionem & decorem concurrere cenſeatur, vt nihil addi poſſit, nihil adimi: neceſſum fuit taliter Colles in tumorem exurgere, tum aridæ irrigandæ gratia, tũ etiam continendo Aquarum lapſui, nè diffluerent vt olim, vniuerſamquè obrueret terræ faciem. Cæterũ Terræ molem, ipſo fluxo elemento longè maiorem, fatentur Plato, Ariſtoteles, Auerroes & meliores; quamuis enim ab initio, Aqua vt eſt rarior ac leuior, naturali inſtinctu, vniuerſo ſupernataret globo terreſtri (non loquor de Catacylſmo, ſed de Chao) humidusquè circulus ſiccum vndequaquè ambiret; non tamen admodum alta extitiſſe perhibetur; ideſt non multum habuiſſe profunditatis. Addo quod tenuis, leuis, ac vaporabilis, & in ſimilitudinem nubis diſpã-

Chriſt. Cla.

Bernar. Fratig.


ſa, multum fortè occupabat ſpatij, ſpiſſata autem ad iubentis nutum ac ſolidata, congregata eſt & valdè contracta; proindè nõ leuiter volitans ſed grauius fluitans cępit in maſſas glomerari, pondereque depẽdens ac deorſum vergens, in cauernoſi terræ viſceribus: inquè abyſſi voraginibus conſtipata eſt. Verumenim ad ornatum mirandi huius opificij quædã partes iugiter ſupernatare debuerant, ipſas aquarum congregationes appellauit *Maria*, terræ nihilominus aggeribus circumſepta & littoribus concluſa; Hinc ad Scopulorum differentiam, & marinorum Montium, quos vnda circumcircà alluit, quoſque *Inſulas* appellamus, reliquum terrarum ſpatium notamus vocabulo *Continentis*, non quia perpetuo ac nuſquam interciſo tractu continuetur; ſed quia inſtar Labri cuiuſdam ingentis æquora contineat: ad quod etiam Propheta Poeta alludere viſus eſt, vbi de Omnipotenti cecinit, Cõgregans ſicut in vtre aquas Maris Pſ. 32. aliasquè, Statuit aquas quaſi in vtre. 77. & filiorum eius, imò hominum ſapientiſſimus, Pro. 8. Circundabat Deus Mari terminum, nè tranſiret fines ſuos: & certa lege ac gyro vallabat Abyſſos. & Alcimus lib. 1. de Origine Mundi.

Iam Pater omnipotens librantis pondere verbi,
Vndiquè collectis diſcreuerat arida lymphis:
Littoribus Pontum conſtringens flumina ripis.

Quod enim Aquæ cum rariores ac tenuiores exiſtant, de propijs ſedibus deturbatę ſint, & ad ima pręcipiti delapſu ruentes, in depreſſioribus ſubſidere coactæ: Terraque viceuerſa adeò extumuerit, vt eas

hiatu

hiatu ac ſinu ſuo complecteretur, reclamãte, Natura quæ leuiora ſurſum ferri, grauiora velit vergi deorſum. Rurſus quod cum Maris vndę vehementiori impetu ſeipſas vrgent atquè impellunt: cum fluctus exurgunt, & iactatione reciproca inſtar Montium eleuantur; Mox verò vt ad littus alliduntur velut eliſi in ſeipſis, ſedata procella conſident: & qua ratione exilis arena, margo ſit tali ac tanto elemento, totũ ex Dei ordinatione pendet: hæc ſunt Oſtia hi Termini ac Vectes, de quibus frequens mentio in ſacris eloquijs: hoc Præceptum ineluctabile, quod pręuaricari nefas. Nam & Dauid inter miranda Dei omnipotentiæ opera illud recenſet, quod fundarit terram ſuper aquas. Pſ. 135. non quia Terra omnium grauiſſima, alterius elementi adminiculo innitatur, quam ſuper nihilum appenſam aſtruit Iobus 16. ideſt nullo prorſus fulcro ſubnixam, præter ſtabilitatem ac pondus ſuum duntaxat; ſed quia aquas iuſſerit illi ſubſidere: & intra illius viſcera peruagari; quod nimirum quamquam coactum videri poſſit, ſi in naturis ſuis elementa penſentur, verumtamen prout Mundi fabricæ deſeruiunt, omninò naturę quadrat, nec poterant aliter compingi.



Idemque innuiſſe voluit Iuſtinus noſter ingenioſo excogitato Emblemate, quo Maria terrarum confinio coherceri, earundemquè interiectu diſtingui apertiſſimè conteſtaretur. Quod verò non tam aceruis lapidum, cõfragoſisvè rupibus, aut arenarum cõgerie, Mare ſeiunxerit à Mari; verum placidis amœ-

amœniſquè Areolis, molliter eminētibus: ac velut per ſulcos prima germina proferentibus, viſum recreantibus, feracitatemquè promittentibus: ad ſublimioris cuiuſdam Philoſophiæ intelligentiam mentes intuētium prouocauit; nimirum typum quendam compendio expreſſit, eius rationis, qua Dei prouidentia, omni carni eſcam ſubminiſtrat, & alit in vitam. Didicerat quippè Moyſe docente, vbi Mundi geniturā exequitur, 1. quod ſtatim atquè in maſſas Aquę coierunt, & Arida emerſit: Eadem tertia die, videns ſummus Opifex quod eſſet bonum, commodum & gratum, ſubiunxit; non tam præcipiendo quam fœcundando, ac ſemen velut irrogando ad quodlibet vegetabile, *Germinat Terram herbam virentem*, vel iuxta Hebraicum, *Herbabit terra germen*. quæ accepta prolificandi virtute, haud mora erupit in herbas & arbores: protulitquè folia, flores, ac fructus, in eſcam hominibus ac iumentis, quam idem Chroniſta c. 2. refert lætificatam irrigatione fluuij: deincepsquè fontiū ſcaturigines è mōtibus ebullierunt; vndè effluunt riui & amnes, qui per alueos decliues perpeti meatu ad humiliosa feruntur; donec ad imas vallesvndiquè confluxerint: ſicquè perennantur Maria.

Sed adhuc quiddam ſupereſt quod ſolicitius ſcrutemur in hoc Mari, ad obiectorum ſirtes declinandas: vtque Iuſtini acumen amplius innoteſcat: ac eiuſdem ſtudium, in reformando potiſſimum Scuto gentilitio reddatur illuſtrius. Notum illud ex 1. Metaphyſices quod *Propter admirari, cæperunt homines philoſophari*, Portò ſciſcitantibus qui fieri poſſit vt

Ariſt.

Pon-

Pontus ipſe, tot tantorumquè gurgitum acceſſione non exundet: paulatimquè campos ſupergrediatur, ſtante regula Topica, quod *Omne quantum additum quanto, facit illud maius.* Rurſum vndè Montibus tanta vis aquarum, quantam indeſinenter euomunt? Ariſtoteles ſatisfacere putauit, ſcribens 2. Meteor. quod ex vaporibus humidis qui intra Montium concauitates eleuantur, & in aquas conuertuntur: tum ex aere viſceribus & cauernis terræ incluſo, aquarum copia generatur, quam ſucceſſiuè erumpere neceſſũ, et denatare ad conualles. Contra in Pelago, ex vi ac nimio ſolarium radiorum calore, iugiter fieri reſolutiones aquarum in aerem; quo fit vt minimè exundare valeat Salum, aut ſupereffluere. Quæ tamen reſponſio ſi res ſeriò examinetur, manca nimium dignoſcitur ac inſufficiens; Eſto enim fiant reſolutiones aeris, & vapores in aquam eliqueſcant, pauxillũ tamen aquæ ex his coagulari poſſe euidens eſt; cum vix guttulam aquæ ſtillare experiamur, ex aeris longè tenuioris maſſa, nè deſupla quidem portione; alicubi porrò, è Monte etiam haud ita grandi, Fluuius ſanè ingens erumpit: qui nec imminuitur vel maxima ſiccitate vrgente. Sit exemplo Mons inter Alpes Italiam à Gallia ſeiungentes, vocabulo *Adula*, indè enim quatuor ampliſſimos Amnes manare nouimus, Rhenum qui in Oceanum Borealem defluit: Danubium qui in Pontum Euxinum: Rhodanum qui in Mediterraneum: & Ticinum qui Inſubriam præterlapſus, infuſusquè Eridano, ſuperũ ſiuè Adriaticum petit, & vndè quæſo Adulę patet acceſſus tan- *Ariſtot.*

tæ

tæ aeris congeriei? & qua facultate cum digeri contingit, vt tam vbertim fluat? Idem de ipſius lymphæ attenuatione & conuerſione in aerem; vt enim eiuſmodi reſolutiones fieri vltrò libensquè concedã, non tamen eam Phębi crinibus tribuo intenſionem aut efficaciam, vt dum in Pelagus vibrantur, tantum aquarum abſorbere valeant, quantum vaſtiſſima flumina, aſsiduò horriſonoquè impetu in eos refundunt. Quod ſi quis dicat Maris ſalſedine cõſumi dulce fluentum quodcumque ei fuerit infuſum, is certè mentis inopia laborare ſe prodet. Aſt dato quod magnæ fiãt reſolutiones ob qualitates ſymbolas, ac iugales horum elementorum; ſed interdiù ac tempore æſtiuo: et vbi Sol ipſe verticaliter imminens, perpẽdiculariter aut rectà radios dirigit, quid autem noctu? aut hyeme? vel in hyperboreis vbi vix vmquam glacies ſoluitur, tantum abeſt vt toruo illo ac obliquo retortoquè Solis obtutu, algida tepeſcant & attrita craſsitudine, aqua in aerem euaporet? Si verò dixerit quiſpiam, Aquæ fluuiales modicum quid reputandæ ad Oceani amplitudinem. Tum ego, quid de Mari Indico & Caſpio, quæ in morem ſtagni vel peluis, Montibus circumcircà clauduntur & obſidẽtur? & cum nuſquam Oceano communicent: ſatisquè anguſtę capacitatis eſſe noſcãtur, complura tamen, eaquè latiſsima flumina ſinu recipiunt. Quid de Euxino Thracico, in quod Ægeum inceſſanter effluit per Helleſpontum ac Boſphorum, vt Plinius obſeruat ſupra citatus? Satius igitur fuerit Salomonem conſulere; quiputà ſuperna illuſtratione perfuſus, cer-

Plin.

certius rei iugulum peruadat, monente eruditiſsimo Steucho in ſua Coſmopeia, Ad fontem ſacrarum ſcripturarum recurrendum; ipſum enim portum in omni difficili aſperaquè iactatione ac tempeſtate reperimus tutiſſimum. ſcribit autem ipſe Sapiens ſub libri Eccleſiaſtici initium, Omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat. illicòque ſubdit, quaſi rationem aſſignans. Flumina vndè exeunt reuertuntur, vt iterum fluant. Quod eſt dicere, Circularis & continuus aquæ motus, in cauſa eſt vt Salum quo ad partes formales non excreſcat; etenim aquæ in eo nequaquam otiantur aut feriantur, ſed ſuoptè motu indito, ſubmerguntur in occultas venas terræ; cuius dum viſcerales meatus penetrant craſſitudinem incoctilem exuunt atquè ſalſedinem, & ex frigiditate dulcorantur; proindè taliter per ſubterranea ſerpentes, iterum de matrice abyſſo ebulliunt in fontium capita; naturali enim motu per æquilibrium tantum poſſunt aſcendere, quanta eſt altitudo ſuperficiei Maris; imò adhuc amplius, quia dum per ſuccutaneos meatus egreſſæ colantur ac defecantur, leuiores euadunt. Hinc eſt quod non modò iuxtà fontes & flumina, ſed vbilibet effoderis (plus minusvè pro varietate ſitus; niſi aditus alio accidenti obſtruantur) aquæ protinus erumpunt, quemadmodum in corpore humano, quod eſt Mundi maioris Epitome, præter venas præcipuas, quas dicunt *Cauam & Portam*, aliæ dantur miſeraicæ ac minuſculæ, per ſingula membra, & vſque ad extremos digitorum articulos diſcurrentes. Nec putes naturæ iura violari dum *Augu. Steucho*

Aqua ſurſum ferri; aſſeritur quin potius Terra aquis prorſus ſubiacere deberet, vt prædictum; niſi eam ſuperferri iuſſiſſet Omnipotens. Quare Moſes profundiſſimo intellectu, de his aquarum portionibus quæ ſupereminent & ſimul cum terra ſphæram cõficiũt, pluraliter enunciauit, Congregationes aquarum appellauit *Maria*; ſingulariter autem de tota maſſa aquarum, congregentur aquæ quæ ſub Cælo ſunt *in locum vnum*. Gen. 1. quia licet varios contuearis Amnes paſſim ac Riuos: licet Maria ab inuicem inuenias ſeparata: licet multi offendantur Lacus, Paludes, ac Stagna; omnia tamen vnam obtinent ſphæram; nimirum per ſubterraneos copulantur & continuantur meatus; etſi noſtris ſenſibus indeprehenſos. Et omnis aqua homogenea vbilibet ac ſimilaris: quæ per terræ venas velut rimulas ſe inſinuans ac ingerẽs (vt eſt exemplum de ſanguine, teſtante Chryſoſtomo. Quod in Animali, id etiam cerni poteſt in Mari) ſicubi cataractam nacta fuerit, protinus exilit, pondere eam deorſum perurgente, (cum cæteroqui Elementa in proprijs ſphæris nec grauia ſint nec leuia) vndè in locis depreſſioribus Lacus ebulliunt, in editioribus verò Fontes erumpunt. Quod innuiſſe voluit Propheta inquiens, ſuper Montes ſtabunt aquę Pſ. 103. Et ſic præter id quod priori libro experientia probatum retulimus, in motu Oceani ab ortu in occaſum primi mobilis inſtar; Aqua etiam ſecundum partes pergit in orbem circulumquè peragit: cuius dimidium; nempè forinſecus, à Monte vel Fonte, per plana decliuia, vſquę ad vallem infimam:

reliquum per abyſſales ſpecus diſcurrit ac ſerpit, donec iterato erumpat. Non ergo ex vaporibus condenſatis, aeriſuè tranſmutatione; ſed ex permeantis ſcaturigine, Fontibus copia ſuppeditatur aquarum: idque luculenter eadem promit littera Gen. 2. vbi legis, Nondum adhuc pluerat ſuper terram, ſed Fons aſcendebat de terra, irrigans ſuperficiem eius. En terræ irrigatio ex fontis aſcenſu: non ex vapore coagulato, vndè imber. Verum idem Sapiens loco citato; Velut excuſans Philoſophos, qui de eiuſmodi Naturæ abditis rationes afferre nixi, minus fortè quam par eſſet cauſas aſſecuti ſunt, ſubdit, Cunctæ res difficiles, non poteſt eas homo explicare ſermone. Non ſatiatur oculus viſu: nec auris auditu impletur. ac dicat, Nil mirum ſi hæc difficilia ſint explicatu; nam exploratu propè imperuia probantur; quandoquidem viſus cuius potiſſimum vſus in acquiſitione ſcientiæ quæ per inueſtigationem generatur, nequit exhaurire recondita iſthęc. Et auditus qui deſeruit nanciſcendæ ſcientiæ quæ per doctrinã vel à Doctore ſuſcipitur, non poteſt his repleri. palã autem, omnem cognitionem humanitus inuentã, ex ſenſibilibus ortum habere. Quę quidem licet nõ aduerſentur Naturę; quin potius totius Orbis conſtitutioni mirificè deſeruiant: & ſint de perfectione uniuerſi, quia tamen attentis partium ipſarum proprietatibus, quiddam pręſeferunt, quod pręter Naturę ordinem uideri poſsit; iccircò in Dei omnipotentiam totum refudimus: cui & alludere uoluit Angelus ille Euangelium ęternum deferens, Apoc. 14. dũ

Salom.

uociferatur, Adorate Deum qui fecit Cęlum & Terram, Mare, & *Fontes aquarum*, cũ cęteroqui receſſere potuiſſet Hylen, Ignẽ, Aera, Æthera, Sydera, & alia. Sed de hoc ſatis hucusq;. Talia (vt quidẽ reor) hisq; ſublimiora meditatus eſt, ſecũquè reuoluit Iuſtinus; dum iuuenili ętate otio frueretur iucundiſſimo: tranquilláquè omni externa cura vacuam vitam duceret, ſtudiorum amore, Muſarumquè conſuetudine impensè delectatus; habetur enim 7. Phyſicorũ quod in quieſcendo & ſedendo Anima fit ſciens ac prudens. Iuuat porrò hanc ei deferre laudem, quipura ad perficiendum condecorandũquè generoſæ familiæ ſtemma, recolendumquè ſimul ac ſemel inclytæ viraginis Iuſtinæ germanę ſuę triumphũ, fœmineas ipſi Scuto adiecit Comas. quod ipſe certiſſimè didici ex membrana ad me dudum tranſmiſſa, cui (tametſi auctore anonymo) vetuſtas fidẽ conciliabat. Sed Hieronym. de Scioffis Potẽtianus Abbas Caſsin. affirmat, vidiſſe ſe ęneum eiuſdem Iuſtini nomiſma Venetijs haud ità pridem repertum, cui vnà cum Marinis vndis, inſculptum agnoſcebatur muliebre Càpillitium: hodiequè frequenter occurrunt, noua & antiqua Vitalianorum inſignia, Equoris fluctus cęrulęi, tribus interſecti terrarum plagis virore nitentibus: ijſquè ſuperſtratę totidem Comę, Flauo mirum in modum colore recreantes, velut Humo herbido amictu fœcunda: & ad ornatum interſerto redimita capillitio Pelagus diſſecante, ac viuificę Fidei trophęum, dudum per almam Martyrẽ



da

de forti cruentoquè certamine relatum, ad memoriam reuocante. Vndè etiam vel obiter ac fortuitò, plurimum dignitatis acceſſit Vitalianorum inſignibus; ex tribus nempè coloribus, quos Ficinus ac Rhodiginus ſummis de mente Platonicorum attollunt præconijs, Vniuerſalesq; & totius Mundi præcipuos autumant, *Viridem*, Veneri ſacrum atque Lunæ, qui & Cereris, ideſt Terræ ornamentum præſefert ac feracitatem: viſumque gratiſſima delectatione perfundit ac recreat. *Cæruleum*, ac Saphirinum, qui ſereni Cæli ſpeciem exprimit ac pulchritudinem, vti prædictum: reuerentiamque intuentium animis ingerit: & eſt color Iouis termaximi. *Flauum* denique, qui aureo perſimilis eſt omnium gratioſiſſimo, putredinis neſcio, ac lucis ſymbolo. *Aurum* enim ab *Aurora* dici putat Iſidorus: nec ritè ſplendor lucis (primigeniæ ſcilicet omnium creaturarum quæ poſt Chaos prodierunt) niſi auri fulgore pingi aut exprimi valet; proptereáque Phœbo conſecrarunt antiqui, cuius Comę coruſcantibus radijs componuntur ac effinguntur; indè ſiquidem *Aureus crinitus Apollo*, ſæpè occurrit in lectione Poetarum. Nec temerè profectò aut importunè; imò grauibus de cauſis, Iuſtinus fidelis ac pius, gentilitio proſapiæ ſuæ inſigni, implexos adiecit Heroinæ villos; nam Mulieribus vt Magiſter docet Gentium 1. Cor. 11. Capilli pro velamine dati ſunt, ad eas cohoneſtandas; nec modo fœminis, ſed & viris olim decorum habebatur Comatos incedere, & Cęſariem alere ſpecioſam. Quo nomine ſolet Homerus laudare Græcos; nam Agamem-

Marſil. Fic. Cal. Rhod.

S. Iſid.

Homer.

memnona à capillorum pulchritudine commendat: Achillem Flaua coma præditum dicit: Menelaum quoque Flauum appellat: Hectoris comam cæruleam memorat: Euphorbi expirantis nihil præter comam deflet: Vlyſſem ſcribit ferugineos geſtaſſe capillos: Ioui ipſi comam *Ambroſiam*, ideſt ſuauiſ-
Timæ. ſimum affingit capillitium; Timæus etiam Hectorem inſignem deſcribit, quod capillos poſt terga luxuriantes deferret: qui mos fuit & Lacedemonijs
Herod. vſitatiſſimus; nam teſte Herodoto lib. 7. commiſſuri cum Dario Rege, dum eum appropinquantem op perirentur, intereà vacabant pectendæ ac cõponen-
Pollux. dæ Cæſariei. Pollux Euboicos oblungi prolixique capillitij ergò, *Epiſthocomas* nuncupatos aſtruit. Tonderi autem turpe ducebatur & ignobilitatis atque ſubiectionis inditium: debellatorumq́ue nota; vndè de Scipionibus dictum.

Iuuen. Sub quorum titulis Africa tonſa iacet.

Ad quod refertur & illud Eſaiæ 22. cum dominũ comminatur vocatum ire Ieruſalem ad luctum, & planctum, & Caluitium; nimirum ob vitium, aliaſq; ablaturum crinem, nudaturumque crimen filiarum Sion. Iobus etiam 1. ærumnarum mole præſſus, tonſo capite corruit in Terram. & Heſter Regina 22. crinium laceratione populi ſui calamitatem deplorat. præter millia locorum quæ prudens pertranſeo. Demum.

Ouid. Turpe pecus, mutilũ, Turpis ſine gramine cãpus,
Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.

Sed quicquid ſit de antiquioribus, illud citrà plurima

rima ſecula compertum (quod & Syneſius Cyrenen- Syn.Cir.
ſis, de Caluitio diſſerens teſtatus eſt) eos ſcilicet qui comam nutrirẽt, effęminatos ac meretricios haberi, ob morum imitationem; nempè is fœmineus ornatus, fœmineamque redolens mollitiem: & ad venuſtatem comparatus affectatam, ex Charilao atque Lycurgo. Tullius quoque lib. 2. in Catilinam, Capillo Cicero.
pexo nitidos cenſoriè ſubnotauit. Quod ſi Accidentia per Ariſtotelem, magnam partem conferunt ad Ariſt.
cognoſcendum quod quid eſt; Et Syraceus vult occurſum faciei & amictum corporis, enunciare de homine, Eccl. 19. multò certius dignoſcetur ex compoſitione capillorum, qui iccircò *Crines* dicti ſunt, à verbo Græco *Crino*, quod eſt Iudico; quaſi procliue ſit ex illis argumentari ac iudicium ferre; vel quia *crinibus & criminibus*, quiddam exiſtimetur affinitatis intereſſe: & omne excrementale ad impuritatem ſpectet & immunditiam. Quamobrem ſi dicam quod ſentio, eiuſmodi capillorum luxum, omninò viros dedecere exiſtimarim, Chriſtianosque potiſſimum, qui ſunt genus electum, apud quos eſt regale Sacerdotium, gentem ſanctam, populum acquiſitionis, & licet Clericis duntaxat præcipere videantur Canonica Decreta 23. diſt. extr. de vit. & honeſt. cleric. c. ſi quis. & 24. diſt. c. pen. Eos tamen tamquam exemplar proponũt fideli populo: quos & cupiãt formam fieri, ac ſeipſos normam ac metrum exhibere gregi credentium; quatenus pia plebs eorum modeſtiam, morumque ſuauitatem æmulando, ad perfectũ contendat. Cum enim Mundi contemptum aſſeclis

ſuis

ſuis indixerit: pompiſque & inordinatis affectibus interdixerit, humanę ſalutis Aſſertor; profectò ſuperfluitatum, ac petulantium motuum reſecatio, noxiarumque cupiditatum abdicatio, ipſa crinium tonſura maximè omnium deſignatur; quæ ſenſuum pariter denotat eleuationem: & pręparationem mentis ad cæleſtia contemplanda. Iccircò diuinis myſterijs addictos, omninò detonſo capite ſacrificare monebat vſqueadeò & Pythagoras. Enimuerò Chriſtiana Eccleſia idipſum in morem induxit, ad capitis ſui ignominiam ſymbolicè recolendam; quia nimirum Dei vnigenitus, pretioſi ſanguinis ſui effuſione madidus, acutiori paſſionis nouacula in montis cacumine decaluatus ſit. ſubindèque pręcipuo eius Diſcipulo ac Vicario, Antiochię ab improbis caput abraſum fuit, vt deriſioni pateret ac ludibrio; tunc, inquam Tonſura ab Chriſticolis recepta eſt, Clericisque potiſſimum, qui pręcipua cenſentur portio Regni ipſius Meſſię in terris. ſicque quod probro dabatur ac ignominiæ, deinceps honorificentiæ attributum: & ipſi etiam funes ceciderunt in præclaris, iuxtà quod infame olim Crucis patibulum, omni nũc Adamante aut Smaragdo fulget auguſtius. Habeat igitur implexi crines, vulgò *Treccie*, eò loci, ornamenti vel trophęi, potiuſquam inutilium excrementaliũque pilorum interpretationem. Quemadmodum autem odoramenta, lapillique pretioſi, pluris ęſtimãtur vbi naſci minimè conſueuerunt; auget quippè gratiam rebus inuſitata nouitas: & peregrinę arbores, his in locis plus habent dignitatis, in quibus eas

Pytha.

natura

natura gignere nequaquam aſſolet, aut alere. Ita pluſquam maſculæ virtutes: & pluſquam viriles in fœmineo pectore, magis magisque admirandæ: Mulierisque fortis, procul & de vltimis finibus pretium, ipſe proteſtatur Salomon Prou. 31. Nec illud prætereundum, quod Enigmatum ſcrutator quiſpiã, ſeù Emblematum indagator, Crines ipſos auulſos, nullo incommodo poſſet ad cælibatus & continentię ſymbolum referre; quaſi Germanæ ſuæ virginitatẽ Iuſtinus Hieroglyphicè deſignaſſet, illius Comis in ſolo extenſis, propter ritum Veſtalium in earum ſacris; mandabantur ſiquidem capillis detonderi, & præſegmina terra obtegi; vt etiam in Noctibus Atticis notatum. C. Plinius quoque, 16. ad Veſpaſ. meminit arboris *Lotos*, quod *Capillata*, diceretur; quoniam Virginum veſtalium ad eam capillus deferretur. Hæc ſubteximus, ne ſubticuiſſe dicamur. Verum abſit opinari, pijſſimum Iuſtinum Ethnicorum ſuperſtitionibus vllatenus intendiſſe, quin potius quia id moris ſit religioſa clauſtra ingredi͂etibus, ad ſuperfluitatum abdicationem etiam typo deſignandam. *A. Gell.* *Plin.*

Sedenim adhuc morari iuuat, rimarique ac mirari inuerſum ordinem rerum; de Abſalone namque legimus tradente ſacra hiſtoria, 2. Reg. 14. quod cũ caput attonderet, ducentis ſiclis Cæſariem ponderabat; nempè muliebribus corymbijs concinnandis exornandisque; hic autem fœmineo capillamento, Scuta ac Inſignia ſua decorari geſtiunt viri illuſtres Heroesque, vt litteraliter almæ Martyri huic, illud

Canticorum congruere cenſeam *Coma tua ſicut elatæ palmarũ,* Can. 5. Palma incorruptibilis: quæ flecti, aut ponderi cedere neſcit cui non decidunt folia, quæ eſt Belli, & Victoriæ ſymbolum: Solis, diuturnitatis, ęqualitatis, iuſtitiæ, conſtantiæ, ac innocentiæ ſimu-
Valer. lacrum; vt fusè ſatis Pierius enarrat. Nec vacat allegoria, quod Capilli à mollitie ac ſubtilitate, à copia, á cultu, ab ordine, & nitore commendari ſolent, & colore, Flauoque potiſſimum; ſiquidem ingenioſũ notat ex Phiſiognomis, quodque religio Nazareorũ in illis eſt. Num. 6. & fortitudo Sampſonis Iudic. 16. Cui etiam inermi tantum ex capillis robur inerat, quantum illis ademptis tota nequiret conferre vis
Syneſ. armorum. Memoratus Cyrenenſis orationem ſuã de Caluitij, laudibus, ab eo orditur, quod Dion, aurea præditus lingua, librum de Comæ laudibus ſcripſit, adeò luculẽtum, vt neceſſe ſit virum caluum, ob eius
Dion. ſermonis dignitatem rubore affici. Dion hic Philoſophus ac Rhetor, apud Suidam ac Philoſtratum celeber. Sed ad rem Iuſtinumq; ipſum redeamus, quem quod Scriptores quidam minus recolant, ego eam cauſam libens attullerim; quia vt ad Solis iubar claritas euaneſcit ſtellarum, ſic ſuppreſſerunt infantuli famam, iugiter recolenda inclytæ viraginis acta. Fortè enim is adhuc vagiebat in cunabulis, cum Iuſtina vbique prædicaretur: tamque amplam Chronographis ſuppeditaret ſcribendi materiam. Poſtmodumque ei delitescendum fuit, & cautè agendũ, nè eandem ſubiret cum Sorore ſententiam. Indèque factum eſt, vt nulla propèmodum extent de ipſius

gestis

geſtis monumenta; eius tamen mentio habetur penes Bernardinum Scardeonium: itemque Chronica Veneta: & in Arboribus gentilitijs vbique. præter ſyngraphas ac manuſcripta ſanè plurima, quibus sũmopere innixum ſe profitetur Ingulphus. Ijs (implicitè ſaltem) adſtipulantur cæteri ſcriptores quicũque clariſſimam hanc progeniem à Vitaliano deriuant, ſeù prouenire fatentur; qui enim fieri poteſt vt ritè primigenius aſtruatur, & ſobolis origo, quem conſtet maſculina prole omninò caruiſſe? Ongarellus cum nullum Vitaliano tribuat filium; de Maximo tamen Epiſcopo, & Iannuſio Rege poſtmodum differens, affirmat eos Vitaliano prognatos. quis non videat in hoc aſtrui opus, perſonam negari? ridiculum verò actiones eſſe niſi ſuppoſitorum ſed fortè quis ſomniarit Vitaliani progeniem ex Iuſtina propagatam, at hoc aduerſatur Eccleſiæ, cuius eſt auctoritas irrefragabilis; ipſa enim prædicat Iuſtinã, Virginem indubitanter deceſſiſſe, quantum porrò antiquæ traditioni: & inueteratæ gentium opinioni tribuendum (quæ pro comperto habent hanc lineã taliter à Vitaliano continuata ſerie traductam) ſuperfluus dicar ſi adiecero. *Notorium facti*, appellant Legiſtæ cum populus id ſibi perſuadet, Ant. Butr. in c. Veſt. de cohabit. Doctores paſſim in l. 3. §. 1. ff. de teſtib. & l. quod maior. ff. ad municip. & c. ſcelus 2. q. 1. Imò aſtruunt quod in factis antiquiſſimis, quia ſunt difficilis probationis, ideò non immeritò admittuntur & fidem habent, teſtimonia etiam leuiora Iaſ. conſ. 65. col. pen. lib. 3. Bal. in l. cũ ſuper.

Ingulp.

Gugliel. Ongar.

C. de rei vend. & in auth. quas actiones. circa fin. Innocent. c. Veniens. de verb. ſignif. Alex. conſ. 87. col. 2. lib. 2. Pariſ. conſ. 52. num. 50. lib. 3. Amplius ijdem Iuriſtæ volunt ſufficere coniecturas vice plenarum probationum; in his videlicet quæ ſunt difficilia venatu, quod notanter aſtruunt de probandis deſcendentijs. Pariſ. conſ. 23. num. 237. lib. 1. Corn. 113. col. 3. Alex. conſ. 24. col. 3. lib. 2. Bal. l. Quicũque. col. pen. C. de ſer. fugit. Iamuerò illud tota Italia vſu receptum, vt Nobiles appellemus *Gentilhuomini* quod non temerè aut inſulsè, imò recta ratione fieri oſtendit Budęus, in ſuis annotationibus ad Pandectas l. final. in fin. ff. de orig. iuris. Vt autem colligitur ex Marco Tullio lib. de Oratore, & in Topicis, Gentiles ij dicuntur qui inter ſe eodem nomine ſunt (vt Vicecomites, Sfortiadæ, Triuultij) & qui ab ingenuis oriundi ſunt, & qui imagines generis ſui proferre poſſunt. & eo modo palam eſt in ijs Vitalianorum nomen conſtare: idque perpetua, nuſquam interrupta ſucceſsione; porrò ex denominatione ſufficienter probatur identitas ſanguinis & familię Bal. conſ. 7. lib. 4. Alex. conſ. 125. col. 2. lib. 7. Bar. l. ſi in rem. ff. de rei vend. Quamobrem quid de hoc ſentiendum ex prędictis, viderint Sapientes. Tametſi autem complures dedit ipſa familia Iuſtinos, tum ſucceſſiuis temporibus tum & retroactis; vt non abſurdè pro ea vſurpari poſſit Prophetæ dictum, quod dominus in generatione iuſta eſt, Pſ. 12. hunc tamen *Primum*, connotandum; quia Vitaliano pariter primo fatus, ex his nempè quos verę vitæ liber excepit, licet Se-

Budæus *Cicero.*

cun-

cundus à primo in ordine perſonarum. Sic enim ſingulos cognomines; qui ſcilicet in trunco cenſentur, (ſecus enim de lateralibus) numerali diſtinctione, velut propria face aut charactere ſignãtes, (quod etiam in ſerie Põtificum, Imperatorum, Regumque vſu receptum contuemur) certò rectoque itinere pergemus, omni ambiguitatis confuſione ſemota. Nã & Plato ſciſcitanti cuidam, cur Homo eſſet animalium omnium Sapientiſſimum, reſpondiſſe fertur, Quia ſolus ſciret numerare. Quantum autem Iuſtinus opibus ac potentia valuerit, quamque latè eius patuerit dominatio, facilè conijcient qui Chronica Altini legerint, quoſvè illius Ciuitatis amplitudinẽ, vbertatem, dignitatem, ex Geographia Ptolomæi, Strabonis, aut Plinij diſcere non pigeat. Situm eius, Baijs Campaniæ comparat Epigrãmatiſtes inquiẽs. *Plato.* *Martia.*

Æmula Baianis Altini littora Villis.

Eam Antenor ipſe quondam fundarat, mandaueratque *Antenoridam* dici; decurſu verò temporũ corrupta voce, ex *Antenoride*, paulatim vt in pleriſque perſpicimus, *Altini* vocabulum conflatum eſt, Hanc Orbis chriſtiani clades Athila Hunnorũ Rex, quod eius furori diù obſtitiſſet; vtpotè in Italiæ veſtibulo poſita, funditus poſtmodum euertit, incolæ autem qui ſoſpites euadere potuerunt, Venetias commigrãtes, Portarum illius nomenclationes, quibuſdam nouæ vrbis inſulis, ſeù vicinijs indidere; vt Veneta monumenta indicant. Concordia adhuc extat, non tamen adeò florèns, ſed hæc loco ſuo. De Iuſtino memoriæ datum, quod duos genuerit filios, pacifice-

ſicèque vixerit & obierit.

Maximum vocari voluit Iuſtinus primogenitum ſuum, de nomine Proaui; ſecundum autem, *Vitalianum*, de nomine Patris. Nempè religio quædam ſaltem in moralibus exiſtimatur apud omnes ferè nationes, ſi cognationum vocabula ſeruentur, & à præceſſoribus ad ſucceſſores tranſmittantur. Hinc inter percurrenda geſta euoluendasq́ue memorias, cũ Vitalianorum, tum Borromæorum Patauinorum ſiuè Noſtratum, appellationes Antenoris, Vitaliani, Ioannis, Federici, & Iuſtinæ ſæpiſſimè occurrunt. Verè autem maximo multiplicique decore enituit Maximus, ſanctis ſtudijs impensè deditus, in quibus eſt naturæ nobilitas, morum honeſtas, & laus diſciplinæ: demum ea eminuit vitæ probitate, ea ſcientiarum peritia, prudentiaque in agendis; vt defuncto Proſdocimo, Patauij Antiſtes ſalutari mereretur, eiuſque ſolium proximè conſcenderet. Rexerat porrò Eccleſiam illam Apoſtolicæ memoriæ Proſdocimus, totos tres annos ſuper nonaginta; obijt enim Imperante Aurelio Antonino Pio, annos natus, Centum & quatuordecim, ſuccedente Maximo vti prædictum. Fuerunt hi ambo Populis viæ ductores, vitæ magiſtri: & quaſi duæ Oliuæ, ac duo Luminaria in quibus verus effulſit Sol oriens ex alto: gentique Venetorum per eos primum illuceſcere cępit. Cumquè apprimè noſſet Maximus, quantoperè pręceſſorum exempla conferant, ad animos prouocandos inflammandosque in paria ſtudia, ſcripſit Sanctorum res geſtas, illorum inquam qui ſub naſcentis

Ec-

Eccleſiæ primordijs: primitias ſpiritus hauſerant; & cum primis Diuæ Iuſtinæ amitæ] ſuæ. Sic ſatagens ſtimuli bonæ æmulationis immittendi plebi ſibi diuinitus commiſſæ: vetuſtumque Pontificem Aaronẽ imitari cupiens, qui hac ipſa de cauſa, iuſſus eſt nomina Patriarcharum Rationali inſcribere ac circumferre. Exodi 28. Vt enim poſtea tradidit Egregius Doctor à Grege nuncupatus, Cum priſca patrum geſta commemoramus, ad noſmetipſos nos reuocamus: & tamquam in ſpeculo noſtros cõtemplamur vultus, hæc ille. Edidit eas Maximus latiari phraſi, à Romani eloquij puritate minimè aliena, vt quidẽ fertur. Cæterum ipſa eius ſcripta deſiderantur, deperdita videlicet Barbarorum vaſtitate, qui mox Italiam vniuerſam depopulati ſunt. Quinque & viginti annis Patauinam Eccleſiam adminiſtrauit, magno Animarum creditarum emolumento; prędicatur enim quod vita eius fuerit quoddam cęleſtis conuerſationis indicium, Chriſtianæ religionis exemplum, documentum Fidei, inſigne pietatis, virtutum ſchola, ſanctæ profeſſionis forma; iuſtitiæ norma. niſi ꝙ tempus edax rerum prę clara illius facinora lachrymanda obliuione deleuit. Claruit miraculis viuus ac mortuus, quorum intuitu, ſed potius innocentis vitæ, inter ſanctos Confeſſores meruit referri. Eiuſque corpus, Athila haud multò poſt Ciuitatem inuadente, deuoti quidam piè in ſanctum Paſtorem affecti, occultandum curarunt, quod demum anno ſalutari milleſimo quinquageſimo tertio, ſedẽte Epiſcopo Bernardo Maltrauerſo inuentum eſt, vna cum

S. Greg. PP.

aliorum

aliorum Sanctorum pignoribus, quæ in celebri ſanctę Iuſtinæ templo honorificè condita ſunt. vt ex tra-
Auctor. ditionibus Eccleſiæ Patauinæ. Huius mentio habetur in Chronico Athilę: meminitque Bernardinus Scardeonius, & Cauatius, in vita Diuę Iuſtinę. celebratur porrò ipſius feſtum, quarto Nonas Auguſti.

III. Cum primum VITALIANVS (ſecundus dico, Iuſtini filius, diuique Maximi Frater) Altini & Concordię Regulus, Principatum inijt, Prouincia bellicorum quidem tumultuum quorundam turbine, vel potius apparatu concuti viſa eſt, ac tantiſper agitari; breui tamē acquieuit omninòque ſedata eſt, reſtinctis commotionum incentiuis. Quare vbi cū externis ei minimè confligendum fuit, paci ſtuduit imponere morem: ſubditoſque ſic amore ac officijs pauit, ita legibus & inſtitutis temperauit, vt aurea illis exiſtimaretur reuexiſſe ſecula. Adęoque exactè veri Principis munia obiuit, vt non de ſeipſo ſolum verę humanitatis ſpecimen pręberet, ſed vel improbos ac ſceleſtos frugi redderet ac populares; quiputa admirabili iudicio clementię ſeueritatem, ſinè odio atque inuidentia commiſceret: ſine fuco pietatem coleret: abſque deducore placidam cunctis exhiberet comitatem: & dignitatem procul ab omni faſtu tueretur. Hic verè Altini & Concordię caput (ſi de vocabulis expendantur & alluſione) ſub quo fixit radices tam altas concordia, & Pax, quę deſcribi ſolet, Tranquillitas ordinum, mutuuſque obedientium cum imperante conſenſus: qua res vtcumquè paruę creſcere & multiplicari cernuntur. Filium procreauit

nomine Zilium, ſuæ ditionis hæredem. De ipſius *Auctor.*
autem Vitaliani actis, penes Chronica Altini, vel ẽt
Athilæ, memoratumque Scardeonium, vix pauca
memoriæ prodita inueniuntur, quod vitam ſumma
temporum tranquillitate, aut ſilentio tranſegerit.

Quantum ſub toga Genitor, tantundem famæ in *IIII.*
ſago ZILIVS filius ſibi parauit. Etenim euocatus à Marco Aurelio Cæſare aduerſus Aquilonares Barbaros dimicaturo, adeò ſtrenuè opem operamque ſuam illi præſtitit; vt ingenti edita hoſtium ſtrage: aceruiſque interfectorum proculcatis, tantum gloriæ conſecutus ſit, quantum poteſt in animis omnium capere Herois bello inclyti virtus. Referuntur paſſim ab Auctoribus variæ leges de illorũ præmio ac dignitate, qui certando ac ſtrenuè dimicando plures hoſtes interemiſſent; ſicuti de Spartanis, Perſis, Thracibuſque: Scythis, Macedonibus & Gallis: de quibus Ariſtoteles in politicis. Iberi (ſubdens) gens *Ariſtot.*
admodũ bellicoſa, tot erigere Obeliſcos circa ſepulchrum conſueuerunt, quot ex numero hoſtium necarunt, (ſunt ij inuicti Hiſpani, armorum gloria cæteris præcellentes, Europæ & Americæ dominatores, Aſiæ & Africæ domitores; ſed pietate ac veri Numinis cultu longè adhuc inſigniores) Carthaginenſes pro expeditionum numero in quibus meruiſſent, annulorum numerum retinebant: quo factum eſt, vt complures tunc maximè inſignes ſint habiti, qui animo acres atque feroces, multos in prælijs obtruncaſſent. Sed & inter Romanos, Africanus Scipio apud Ennium magnopere gloriatur, quod per *Ennius.*

ſanguinem hoſtium ac ęquos, ſibi iam ſibi ad cęlum ap-
ruiſſet inquiens:

Si fas cædendo cæleſtia ſcandere cuiquam,
Mi ſoli Cęli maxima porta patet.

Firmia. Hæc tametſi Lactantius, damnat probriſque inſe-
ctatur, ceu ſceleſta & impia; libuit tamen adnotaſ-
ſe quatenus ſtudium quarundam Nationum innote-
ſceret, in conſtituenda & augenda diſciplina milita-
ri; vt è ſtragibus ac cruore, ciuium animi magis in-
caleſcerent inclareſceretque gloria bellica. Cæterũ
Zilius ad propria reuerſus tandiù ſubſtitit, donec
Commodo atque Heluio pertinace ſublatis, Didius
Vitę Im perat. Iulianus natione Mediolanenſis; tametſi iners ac Im
perio ineptus, omnium tamen locupletiſſimus, &
auita, propriaque nobilitate clarus; qui putá Prouin-
cias anteà gubernaſſet: exercitibus præfuiſſet: Magi-
ſtratusque & Conſulatus egregia cũ laude geſſiſſet;
Imperium tum fortè venale, inexplebili ſcilicet Prę-
torianorum militum auaritia ſibi coemit: indeptũq;
impotenter admodum & indecorè, execrante præ-
ſertim populo adminiſtrauit. In tanta enim rerum
turbulentia Zilius Septimium Seuerum, recens ab
exercitu Regionibusque inauguratum, adhuc intra
Poloniæ fines agentem adijt, affuitque illi in Italiam
contendenti. Cuius gratia electo Imperatori iter pa-
tuit in Alpium tranſgreſſu, nemine prorſus obſiſten
te, aditumuè intercludente. Quinimò Zilij hortatu
validiſſimæ Seuero adhęſerunt Italorum copiæ; qui-
bus auctus, concito curſu Romam pergens, compe-
titorem Iulianum, præfractum, excordem, deſola-

tum-

tumque, facilè oppreſſit. adeunto vitas Imperatorũ, ac Bonifacij Chronica, necnon & Altini. Zilius vnicum ſuſcepit filium, nomine PRANDVM, *Autio*

Qui cum ſæpè pręclaris conatibus, tum maximè in Concordiæ defenſione, paternę virtutis ac bellicę glorię ſe prodidit hęredem. Inerat quippè illi maſcula quędã animi virtus ac membrorum rigor, qualis deſcribi ſolet in veterum Romanorum illorum iuuentute, agreſtibus operibus exercitata: & ſubdialibus laboribus durata, nullique prorſus addicta mollitiei; quæ iccircò bellicos tumultus, martioſque congreſſus facilè ſuſtinuit: & aduerſus externos hoſtes ſemper victrix, ſemper inuicta ſurexit. Eius porrò ætate cum ſceleſtiſſimus ingratiſſimusque Maximinus, domino ſuo Alexandro Seuero, à quo honoribus cumulatus fuerat interempto: immenſisque comparatis copiis, in Italiam iter maturaret, bellum Romanis cominus illaturus, Aquilcia atque Concordia illius furori reſtiterunt: foribusque præcluſis aditum obſtruxerunt & audaciam repreſſerunt. quas ille obſidione cinctas, validis impreſſionibus frequẽs adorſus eſt, & machinarum impetu pertinaciſſimè oppugnauit, at fruſtra; ſiquidem Aquileiam ex Romanis Senatoribus duo, Criſpinus & Menephilus, illuc adid deſtinati. Concordiam verò Prandus Toparca, adeò infractis animis ac viribus propugnarũt, Italici vigoris ſpecimen ipſo in limine hoſti experiũdum prębentes; vt concideret corde inuaſor, tabeſceretque, Imperij potiundi ſe ſpe fraudatum animaduertens. quem paullò poſt illudente Fortuna, ipſi ſui

 mi-

milites impetu facto cum Filio in tentorio conſidentem trucidarunt. Fuit is annus à redempto Orbe quadrageſimus ſupra ducenteſimum. Eorum capita Romam tranſmiſſa, vrbem gentium Reginam incredibili lętitia perfuderunt. & hæc colliguntur ex vitis Imperatorum: tum ex Chronicis Altini ac Bonifacij, Prandus poſt tam admirandum conſtantiæ facinus. Fato cedens filium ſucceſſorem reliquit.

VI. Cui CANDIDI nomen obtigit, repetitum (ni fallor) à Cornelij Auguris filio, Clariſſimę ac Senatorię Sannutorum domus auctore, vt ſupra memoratum. Aſſidua eidem & multijuga opus fuit ſolicitudine, labore indefeſſo, & inconniuenti vigilātia pro tuendis paternis laribus; ita vt per totam fermè ętatem, vix vmquam à tractandis armis feriari potuerit, inſatiabili militarium ordinum auiditate paſſim debacchante, poſt Papienum, Balbinum atque Gordianum enectos. Cumque aliquandò Candidus ipſe (vt erat eius ſtudium ardens in honorificandis viris principibus) pro ſibi innata magnanimitate ac humanitate Philippum Cęſarem gratāter excepturus adijſſet. (Hic Philippus ille qui primus Romanorum Imperatorum viuificam fidem ſuſcipiens, Saluatori domino nomen dedit. Et quidem ſcio Tiberium, relatu nonnulla de Chriſti diuinitate didiciſſe; *Cornel.* vt etiam in hiſtoria Tacitus tetigit: additq; Florens in Apologetico, eum pœnam comminatum, ijs qui *Tertul.* Chriſtianos temerè accuſaſſent: cupijſſe inſuper vt inter Deos admitteretur: idque ad Senatum detuliſſe cum prærogatiua ſuffragij ſui; non enim cuiuſcūque

arbi-

arbitrio ſtabat Deorum receptio, ſed Senatus populique Romani duntaxat, legibus reſeruatum noſcitur, iuxta quod in libris Pontificum digeſtum eſt. *Separatim nemo ſit habens Deos nouos, ſiuè aduenas; Niſi publicè aſcitos priuatim colunto*. Scio item ex Lampridio Hadrianum de Chriſto adorando cogitaſſe: eique Templa condere inchoaſſe. Sed cum audiſſet, ex eo futurum vt omnes ad Chriſtum conuerterētur: reliquorũque Numinum aboleretur cultus, mutata ſententia, Chriſticolas affatim execratũ acerrimèque inſectatum. Addam & de Alexandro Seuero, quod Chriſtianis haud parũ fauiſſe memoretur: Chriſtiq; numē in ſacrario ſuo inter maximos & ſelectos Deos habuerit. Verum numeroſæ Deorum turbæ addicta Gentilitas atque diſtracta, non potuit ad eum pertingere qui vnus eſt, nulla ratione diuiduus, ſed impartibilis, infinitæ ſimplicitatis motu, tamquam fœcundiſſimo progreſſu & bonitatis effuſione pluralitatis chorum producens. Romani autem præcipuè, in propè innumerabilis Deorum multitudinis culturã proni fuiſſe inueniuntur; quippè non intelligebant, quod cum plures neceſſe ſit ab inuicem ſecerni, id in quo alius ab alio diſtat, vel perfectio erit vel certè imperfectio, ſi primum, qui perfectione deſtitueretur vtique & Deitate: multo magis ſi reliquum, cum totum quod imperfectionis eſt abſoluta excludat Dei excellentia. Sed de hoc alias. Philippus igitur antè quemlibet alium Imperatorum Pauli Oroſij, & Euſebij Cæſarienſis teſtimonio, fidem viuificam ſuſcepit & ſalutari intinctus eſt lauacro; cui cum officij

Aelius Lāprid.

Oroſ. *Euſeb.*

gra-

gratia Candidus occurriſſet, inſeruiſſetque obſequijs gratulabundus) cruentas ſacrilegasque parricidarũ, qui legitimum ac perbenignum Principem interfecerant, vix effugere potuit manus, Decijque ſucceſſoris ſæuitiam. Proindè tamquam periculo ſuo cautior effectus, ſtatuit nemini deinceps Imperatorum plus iuſto adhærere; ſed tantis diſcriminum exurgentibus procellis, ſibi rebusque ſui cautius proſpicere. Romanorum namque legionibus vltrò citròq; permicantibus, haud parum moleſtiæ illius ditioni effrenis ingerebat militaris arrogantia. Tum verò maximè virtus eius enituit, cũ numeroſiſſimis ſimul ac tumultuoſiſſimis, truculentiſſimisque Germanorum phalangibus repentè in Italiam irrumpentibus, (tãto armorum ſtrepitu, hominumque terrore, vt nemine aduerſante per Forumiulij vulgò *Friuli*, vniuerſamque Venetiam, & aduſque Rauennæ portas ſeſe populabundę effunderent, cuncta diripiendo ac euertendo,) ipſius fortitudine atque prudentia effectum eſt, vt eius Oppida ac rura; quantumuis obuiam, & in proſpectu ſita, fermè illæſa ſeruarentur. De eo habetur penes Auctores mox citatos. Exploratũque quod deceſſit ſeptuageſimo ſecundo anno tertij ſeculi à partu Virginis, aliquot filiorũ prole fęcundus.

Quorum tamen res geſtas; imò nec nomina quidem, vel adhibitis indaginis exquiſitæ ſpecillis, atra temporum illorum fuligine obducta eruere nequiuimus. Vnius ac ſolius ANTERII vtpotè primogeniti ac ſucceſſoris vixdum emerſit notitia. Huic memoranda victoria, qua Claudius ſecundus, in or-

VII.

dine

dine trigeſimuſquintus Romanorum Imperator, du centa propè Germanorum millia fudit ad Benacum lacum, *Gardæ* dicunt, egregiam inclytæ virtutis peperit laudem; Ipſe enim ducendis cohortibus à Cęſare euocatus, ingenio vigilanti, atque acuto, tum etiam firmiſſimo corpore ac pręualidis viribus, funeſtam præ cæteris intulit genti Barbarę cladem, antè alios ipſe acerrimè depugnans; vt non obiter aut immeritò *Anterij* nomen ſortitus videretur; ſemper enim antecurſor: ſemper hoſti proximus: ſemper ex ſua peculiari diſciplina ita progrediebatur, vt maturè obuenientis victoriæ fructum propè ſolus delibaret atque inde totum perciperet: ſuos adhortatione animans, exemplo accendens: aduerſos voce terrens, traijciens ferro, donec deficeret manus eius & obrigeſceret cum gladio. Genitore autem interim defuncto, iam penè pro hereditario Principatu capeſſendo ad propria redierat; & ecce Sarmatæ ac Marcomani, ſęuum ac immite hominum genus Italiam inuadere nunciantur, ille collectis auxiliaribus copijs, fulminea celeritate accurrens, validiſſimè obſtitit; nimirum ſtrenuè admodum dimicando multos concidit ac deleuit: fugauit terruitque plurimos: ingentem edidit hoſtium ſtragem. Verum enim proprię ſe exhibuit vitæ prodigum, potius quã virtutis auarum; ingruentibus recentibus planè innumerabilibus, conferta aduerſariorum multitudine velut incluſus ac oppreſſus, viciſſim hoſtilibus telis locum præbuit: adeoque immanè ſauciatus pedem retulit, vt propè exhauſto ſanguine, non niſi

vigenti animi conſtantia, Altinum ſe curandum reciperet. Horum inditia partim ex vitis Imperatorũ colligas. partim ex chronico Altini ac Bonifacij. Filium genuit vocabulo *Galienum*, ſui haud quaquam abſimilem. Cumque iam ſenio confectus bellicę arti nuncium remiſiſſet: tranquilloque otio velut exactæ militię pręmio potiretur, denuò quin etiam arma arripere compulſus eſt. Tyranno Maxentio Cęſaris olim Maximiliani filio, Latium fermè totum per uagante ac diripiente, iamque Ciuitatibus ſuis imminente. Cui validum pectus ceù murum æneum pugnaciſſimus vir opponere nil veritus eſt. tandem fortiter geſtorum gloria cumulatus diem clauſit. anno ſalutari tricenteſimoquartodecimo.

Aucto.

Quo tempore Conſtantinus, cui ex pręclaris eximijſque facinoribus, ac pia potiſsimum in Chriſtianam religionem propenſione, *Magni* cognomen acceſsit, accepto cęlitus ſaluificę Crucis ſigno, impium Maxentium Imperio depulit: fataliſq; & ſemper augustę vrbis ſceptra indeptus eſt, GALIENVS quem
VIII. nonnulli Galentium, quidam Galaſſum nuncupant, patrimonio ſuo in opulentiſsima rerum quiete potitus, magnanimo ipſi Cęſari inter primos carus extitit: plurimumque apud eum gratia valuit & auctoritate. quo vita functo, Galienus ſtetit è Conſtante Catholicę fidei propugnatore, cui & Italię dominiũ obtigerat: maximiſque armatorum turmis pręfuit, in eo pręſertim certamine, quo Conſtantis exercitus, Conſtantinum eius fratrem Ariana hęreſi infectum, tumultuſque perperam ambitione molientẽ contri-

uit

uit atque diſiecit, in ipſis Aquileiæ & Concordiæ finibus. & ſiquidem hoſtis opprimitur viribus, non vincitur niſi arte & conſilio. Galienus verò aduerſarios dolis, ac vafricie præoccupare atque eludere apprimè nouerat. Fama eſt Conſtantinum Galieni potiſſimum ſolertia circumuentum irretitumque; vt illi fermè accepta eius ſumma Victoriæ referatur. Ageſilai celebre dictum ad omnium iam ora manauit. Fidem frangere impium; inimicos verò fallere, non modò non iniuſtum, ſed etiam honeſtum, & quæſtuoſum & iucundum. ac diceret, Nemini fraus irroganda quicumque ille ſit, Verſutijs tamen hoſtis cõſilia eludere & elidere conatus, maguo emolumẽto contingit ac ſolatio, quin & laudi dandum, quamobrem idem ipſe Lacedemoniorũ Rex, moraliſque ſapientię Choriphæus, de ſeipſo fatebatur; quod vbi non poſſet Leonis pelle indui, Vulpinam aſſumere conſueſſet. Licurgus quoque ſummus ille legum Atticarum conditor, Prælium initurus, Marti Vulpem pariter immolabat, in acie verò conſtruenda, mactabat Bouem; quod aut vi, aut dolo expugnandus ſit hoſtis. Conſtante tandem Maguentij illius factione, qui maximam Italię partem ſubitario impetu occupauit, ad Pyrenæos anno Saluatoris quinquageſimo tertio ſupra trecẽteſimum, militari ſeditione interfecto, Galieni opera id effectum eſt, vt Forumiulij, Iapygia, Sclauonia, Dalmatia, Græciaque à Conſtantio minimè deficerent (vt eſt Ingulphus auctor) totiuſque vitę decurſu, ipſis Paleologis quam ſtudiſiſſimè adheſit. Deceſſit regnante Iuliano Apoſtata: *Ex Apophtegm.*

R mo-

morienſque Principatum Liberis diuiſit; primogenito ſcilicet quem *Valerium* appellaret, Altini; ſecūdo autem quem de nomine proaui ſui Zilio geniti *Prandum* dixerat, Concordiæ iura conſtituens.

Qui ſanè præceſſorum ſtudia impensè æmulatus, imberbis adhuc, ita militiæ poſuit tyrocinium, vt adoleſcens martio ſpiritu vndique fulgurare videretur: ſummumque ingenij illius acumen, indefeſſas vires ac immodici animi audaciã Fortuna obſequenter diù comitata eſt. Implacabilis illi cum finitimis Taruiſienſibus ſimultas, quos ſerpendo ac vrgendo in magnas ſæpè coniecit ærumnas, Arce iuxta eorum ditionem extructa, quã de nomine ſuo *Pranduinam* nuncuparat, irruptionibus opportunã, hoſtilique agro imminentem. Ciuitati quin etiam ſupremam propèdiem Cladem illaturus. Sed quia nimium fortaſſe propriæ ferocitati fidebat, opibuſque & florenti ætati, dominus non tam illi indignatus quam miſertus, benignè corripuit. Caſtigante ſiquidem ſimul & vocante Deo, in morbum incidit adeò grauem, vt manibus pedibuſque attractus, & propè luminibus captus, in ſummo verſaretur vitæ
S. Aug. diſcrimine. Legislator noſter Auguſtinus, de his incōmodis diſſerens quibus ſæpè mortalium corpora affligi ſolent, quo pacto eorum cauſæ à diuerſis, pro variarum diſciplinarũ principijs accipiantur, Aſtrologi (inquit) & hi qui Chaldæi vocantur, omnes morbos atque calamitates, ſyderibus ac cælo adſcribunt: Philoſophi autem Phyſici & Medici, hæc eędem ad Naturæ vires & Maieſtatem referũt; Theologi

logi autem vni Deo eiuſque poteſtati, quam imperare omnibus, & regere omnia meritò exiſtimamus. Idem videre eſt apud Doctorem Adamantium vbi *Origen.* de rerum principijs agit, vterque imprudentiæ ac mẽdacij illos accuſet, qui non omnia ad vnius Dei poteſtatem atque numen referunt. Prandus poſtmodum, ſuperueniente diuo Liberali, qui per id tempus aduerſus Arrianos diuini verbi gladio conflictabatur, eius interuentu ſic ſanitati reſtitutus eſt, vt nulla remaneret laſſitudo: ægritudinis veſtigium penitus nullum. Quis hic opus non recognoſcat eius qui nouit deducere ad inferos & reducere? ſenſit Prandus diuinæ manus contactum: percepit inuitantis domini vocem, & toto cordis affectu Dei ſe ſe illicò addixit ſeruituti. Sola vexatio intellectum dabit auditui, ſcripſit Eſaias 28. Dauid verò Pſ. 118. metafora ſumpta à canibus venaticis, palam profitetur Tribulatio & anguſtia inuenerunt me. Idem moralis intelligebat Annæus, cum teſtatum reliquit. Nolite expa- *Seneca.* ueſcere, iſta quæ Dij velut ſtimulos admouent animis: calamitas virtutis occaſio eſt; illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimia felicitate torpeſcũt, quos veluti in Mari lento tranquillitas iners detinet. Pauci admodum ſecunda flante aura & fluentibus ad voluntatem rebus, dominum agnoſcunt: aut bona illi accepta ferunt: opemvè eius implorant, proſperitas quippe (magiſtra experientia) mentem diuino timore plerumque ſoluere conſueuit. Quemadmodũ de fonte quodam in regione Cirenaica legitur, quod *Pomp.* noctu ferueat, frigeat interdiũ micante Sole; morta- *Mella.*

lium enim quamplurimi calamitatum nocte, in Dei adiutorium intendentes, eius amore incaleſcunt: ijdemque è conuerſo algent ſi fortuna arriſerit. Addam & illud haud prorſus indignum notatu, quod caſtigationem opportunè interdum Deus ingerit, cũ videt peccaturos; vt Medici ſanguinem aliquandó prouidè eliciunt, non quia æger ſis, ſed nè ægreſcas. Sic ille affligens perſæpè quædam nobis adimit quæ alias materia forent ac fomes vitiorum. Excitante igitur domino (nam opera Dei reuelare & confiteri Raffael Angelus aſſeruit eſſe honorificum Tob. 12.) Prandus velut graui ſopore expergefactus mundani faſtus vanitatem expendit: & quaſi non habens hic manentem Ciuitatem, futuram omninò decreuit inquirere. nè verò ſereret inter ſpinas, ad virtutum Regnum aſpirans, prorſus excutiendũ duxit regnũ vitiorum. diſsidiorum cauſas ablegauit: munitionemq; Pranduinam quam in vicinorũ perniciem iampridẽ erexerat, ocius dirui mandauit: & cum primis funditus deleri, cuncta demum quæ minus licita putaret à ſe proiecit. Et cum ſpiritalem negociationem didiciſſet á ſeculi contemptu initium ſumere: Chriſtique militiam, non niſi à ſuimet victoria inchoare, ſtatim atque Cordanus eius filius adoleuit, aptusque viſus eſt regimini, haud mora illum Concordiæ Ciuitatis clauo admouit. Et quandoquidem veram abrenunciationem, Magnus deſcripſit eſſe, Traductionem cordis humani ad conuerſationem cæleſtẽ, ſe in Monaſterio, iuſſu & impenſis ſuis ędificato abdidit: Vbi ieiunijs, flagris, & id genus ſpontaneis ma-

S. Baſil. Magn.

macerationibus, in ſeipſum ſæuiens, vitam traduxit. Eius habetur mentio in priuatis duntaxat ſchedulis; Galieni verò genitoris: necnon & Cordani ipſius; filij meminerunt abundè Chronica Altini, ac Bonifacij: inſuper & Chronicon Athilæ; atque Io. Baptiſtæ Pignæ. Prandum, vel in eo felicem arbitramur, quia morte præuentus, Principatus ſui excidiũ: Italiæque totius deſolationem non vidit, haud immiti certè fato anteuertente: illumque ab Hunnorum ferocia eripiente, quam ſi experiri contigiſſet, facto virtutis ac diſciplinę periculo, anteparta belli gloria ſpoliare, de animi ac virium fiducia deijcere, deque fulgore nominis multum detrahere potuiſsēt. *Auctor.*

Querantur meritò antiquitatum ſtudioſi: quibuſque Virorum illuſtrium narrationes conſeruare curę eſt, ſi *Cordanum* fortiſſimum hæroem prætercam, etiamſi in Genealogię ſerie minus cenſeatur, quemadmodum nec eius genitor Prandus Galieni filius, ſed à latere notentur duntaxat; nimirum quia propinqui, eodemque ſtipite orti, & præclarè geſtis conſpicui. Is enim aduerſantis & iniquiſſimæ Fortunæ ſi quis alius vnquam tela excepit; quiputa in ea lamentabilia tempora incidit, quibus infamis ſeculi peſtis, Athilæ Hunnorum Regis flagello, Regina regionum Italia attrita atque omninò deuaſtata eſt. Et quidem triennio fermè aduerſus eum dimicauit inclytus vir, ſæpius expetitis, ſed fruſtra expectatis ſuppetijs Imperatorum; quibus ſcilicet minus decoris occupationibus detentis, per internuncios conteſtabatur, niſi maximo eorum potentiæ adnixu, immenſæ

menſæ Barbarorũ Colluuiei reſiſti nequaquam poſ-ſe; numquam enim ab vlla annalium memoria, aut numero plures, aut audacia inſolentiores copiæ in Italiam irrupiſſe narrantur. Vt mirum videri poſſit prodigioq; proximum, quod præpotentem ac ferociſsimum exercitum truculentiſsimumque Regem, qui feritatis, ac ſæuitiæ nomine Europam omnem ſuſpenderat: cuius nedùm impetum, ſed nec aduentantis famam Regna tremefacta ferre poterant: qui tot Oppida incendit, tot Vrbes diſſipauit, tot Principes proculcauit, vnius Concordiæ Regulus, non tam delecto militum præſidio, quam infracti robuſtiſsimique animi conſtantia ſuſtinuerit: Ciuitatemque ſuam, non vna oppugnantibus illata clade, tamdiù propugnarit; tametſi deſperatis auxilijs, annonæ penuria, & defenſoribus aſſidua inceſſantique defatigatione laſſatis, tandem hoſtilibus armis longè prępotentibus cedere compulſus eſt, qui Ciuitate potiti, tam immani eam rabie deuaſtaruit, vt repente conuulſa iaceret, quæ inter præcipuas habebatur, inſignis diù Romanorum colonia, & regionis Forijulij citrà Tagliauentum caput atque princeps. Ab his; Prando ſcilicet & Cordano, originẽ duxere Illuſtres Domini Comites Prandicini, qui etiamnum Taruiſium incolunt. Eorum verò geſta fuſius inuenias penes citatos Auctores, ad quos te remittimus; quod inſtituto noſtro prohibeamur à Vitalianorum trunco recedere.

IX. Altinum VALERIVS Prandi frater & natu maior à Galieno genitore ſupremis tabulis accepit, vti

præ-

prædictum: militarique laude vſqueadeò enituit, vt inter famigeratos Italiæ Duces, *Bello inclytus* audiret. cuius præconia tum ſupracitati Scriptores, tum & Scardeonius ſtylo ſuo proſecutus eſt. Hic cùm aliquandò Rusſiæ populos Gothis fęderatos, in Gratiani atque Theodoſij Romanorum Cæſarum exitium conſpirantes: Imperijque Prouincias, inimicè potiusquam hoſtiliter diripientes (fuit is ſalutaris annus quartus & octuageſimus poſt trecenteſimũ) attrito eorum exercitu debellaſſet, id ex ea victoria cum immortali trophæo retulit cognomenti, vt *Ruthenus*, vna omnium voce nuncuparetur; magni videlicet Scipionis inſtar, cum *Africani*, titulum promeruit à deuicta Carthagine, idverò agnominis penes ipſius hæredes diù perennaſſe compertum eſt. Ætate immatura in viuis eſſe deſijt; ſi tamen deſijſſe dicendus, qui poſteritatem bello paceque clariſſimam reliquit, ſuique perſimilem, in qua quodammodo renatus, ipſe immortalitatis fructum perciperet. Siquidem cum adoleſcens, adhuc ſolutus, *Iornandum* ſuſcepiſſet, ſubindè ducta nobili coniuge cui *Lauinia* nomen, legitima maſculina fœmininaq; prole fœcũdatus eſt, & huic *Iocundæ* illi TANNVSII vocabulum impoſuit; tametſi eũdem quidam Scriptores *Lelium*, alij *Zilium*, nõnulli *Lilium*, aut *Ianum* appellaſſe leguntur. *Bern. Scard.*

Ipſe hæreditario quidem iure Altini dominatum inijt; ſed virtutis ergò Patauij Princeps; imò & Rex inauguratus eſt, iuxtà quoſdam ſcriptores inter quos Ongarellus, Athilæ Chronicon & Ingulphus, nec X. *Auctor.*

deſunt

deſunt qui aſſerant, ſenſiſſe Ciues (licet ſerius quam opportuerat) res ſuas cum publicas tum priuatas iugiter in deterius labi, ni germanorum dominorum ſe ſubderent commendarentque clientelę (Vitalianos porrò fundatoris Antenoris propaginē eſſe prætulimus) Cęterum quæ de tali traditione circumferuntur, Veritati conſonent necnè, haud parum ambigo; neque enim ſingula reſpondent. at illud compertum, quod cūcta eius placito ſteterint, velut vniuerſa in eius ſinum collata Ciuitate; quipputà comitate, clementia, iuſtitia cæteriſque Regijs artibus, Proceribus Dynaſtiſque longè emineret: tum verò præſtantis animi vigore, altitudineque ſolertis ingenij: & omni laude quæ armis aut ciuili diſciplina quæritur: ac eximia in rebus gerendis prudentia, repellendis hoſtibus, pacique fouendæ, maximè omnium idoneus haberetur. Nec quidem concepta ſpe vllatenus fraudati ſunt; quando eum ipſum & perhumanum Ciuem, & ſanctiſſimum Principem, & acerrimum Ducem ac propugnatorem experiri licuit; ſęuiente pręſertim Italicæ gētis lue, ſanguinario Athila, eiuſque copijs vndique circumfuſis; quorum ſanè debacchante violentia, Patauinam vrbem ſuam per annos incolumem ſeruaſſe, haudquaquam inter poſtremas laudes numerandum. At verò cum tantis ingruentibus malis exantlandis ſeſe imparem cerneret: immenſiſque Athilæ cohercendis exercitibus, vires minimè ſuppeterent, ad extremum tempori parere decreuit: ſeque cū Adriana vxore, ac pignoribus prædilectis *Maximo* ac *Sirena*, ad proximas Riuialti

in-

Inſulas contulit. quo tantam ſeruorum, opum, diuitiſque ſuppellectilis vim fertur aſportaſſe, vt Pigna Hiſtoricus, Venetam vrbem prima originis exordia ab eo traduxiſſe opinetur. Ipſe valida auxilia pluries tulit Aquileiæ, diùque fuit illi præſidio; maximè autem ſudauit pro tuendo Altino. Geſta eius ſanè memorabilia & cedro digna, recenſent Chronica ac Poemata paſſim; imò nõnulli eum euehunt, quod Athilam indicta per Feciales monomachia, ſingulari certamine deuicerit confeceritque: ac proindè apud Ariminenſium Ciuitatem triumphum celebrarit. Verum hæc poeticè ac fabulosè decantata ommittimus; quippè veritas vna eſt, quę ſola amari expetit, pellicesque execratur. quod dico, quia qui eiuſmodi canoris nugis aures accommodant, hi ſimiles videntur vecordibus illis procis Penelopes (eá porró veræ Sapientiæ ſymbolum) qui pediſequarum lenocinijs illecti: & in veſtibulo remorati, Arcem dominæ nõ peruaſerunt (hic enim ſapidus teſtæ illius nucleus; licèt Themiſtius 11. de Anima, moneat, in Fabulis intellectum minimè quærendum. Sed de ludicris inanibuſque cantilenis audiendus eſt, non de ſenſatis Apologis, è quibus lux & lex hauritur ad benè beatèque viuendum) Cęterum vt prædictum miranda canunt Poetæ, at non credenda tantundem. Quæ nos depromimus nonniſi á claris fidisque Auctoribus, aut veracibus monumentorum teſtimonijs excepiſſe profitemur. Funeſta illa atque ineluctabili clade, glorioſa pridem Vitalianorum familia, dominatione prorſus nudata eſt, non modo Concordiæ

Io. Bap. Pign.

Chron.

Athil.

Ouid.

Themiſ.

vti retulimus, ſed & Patauij & Altini, quod ſolo æquauit tyrannus. nihil tamen à Iannuſio admiſsũ vel ommiſſum, quo accuſationi patere videatur; quin potius egregium verèque heroicum illius animum tanti faciũt Scriptores: eiuſque prelia coloribus adeò ſplendidis exornant, vt longè clarioris habitus ſit illudente Fortuna, quam præceſſores extitiſſent eadẽ arridente. Ingenio haud mediocriter viguit, & litterarum peritia. Græcè ac Latinè apprimè eruditus. cui & Foreſtus Eſtenſis librum dicauit, *De vero Principe*, Attico ſermone à ſe conſcriptum; velut illius iudicio ſubdens atque cenſuræ. De huius exitu ſiuè obitu, nihil omninò inuenire potuimus apud Scardeonium, aut Oagarellum, nec apud Pignam, Sanſouinumuè, aut Candidum; neù in Chronicis Athilæ ſeù Altini. Vbi cęteroqui abundè ſatis eius celebratur memoria.

Auctores.

De *Adriana* eius coniuge illud relatum, quod *Sirenam* filiam à teneris annis, caſtis ingenuiſque moribus imbuendam curarit: quodque Oratorium Venetijs ædificarit Angelo Raphaeli ſacrum, in quo Moniales Sancti Zachariæ diuinas laudes frequens decantare conſueſſent; quarum ſcilicet ſancta conuerſatione illecta, ipſa quoque Sirena Sacrum velamen ſuſcepit: ac non multò poſt defuncta Abbatiſſa, in eius locum ſuffecta eſt: cuius gratia ipſum Sancti Raphaelis Oratorium Monaſterio Sancti Zachariæ aggregatum noſcitur iure patronatus.

Amita iſtius, nempè Valerij filia, Iannuſijque ſoror, nomine ſed aſpectu magis; honeſtaque conuer-

ſatio-

ſatione *Iocunda,* domeſticis rebus adhuc florentibus, *Tiberio* nupſerat Eſtenſi, ſummæ exiſtimationis viro, & inter Patauinæ ditionis primarios valdè eminenti: peperitq́; illi Alfariſium ac Maroelum, à quibus Sereniſſima Eſtenſium Ducum linea propagata inuenitur, inter Chronica Atteſtina; vt nedũ Mares, ſed & Fœminæ ipſi Vitalianorum ſtirpi certatim gloriam ex cognationibus & cliẽtelis agglomeraſſe intelligantur; præter id enim quod nulli vmquam huiuſce familiæ Mulieri labis nota inuſta eſt (id porrò ad cuiuſcumque generis ſplendorem conſeruandum maximi momenti eſſe cenſetur) tum celeberrima Virgo & Martyr ſanctiſſima Iuſtina, quæ cum ſeculo ſexum quoque vicit; cuius enarratio in huius ſtructuræ Baſi conſpicitur: tum & plurimæ Heroinę ſuccedentibus temporibus, ingens proſapiæ iſti decus attulerunt. Quemadmodum natura in pręcipuis frugibus quibuſdam, nè ipſum quidem inuolucrum, inutilè eſſe paſſa eſt; ſed veſcendo parauit idoneum, & guſtui arridens. Verumenim Scriptorum, incuria, ſiuè temporum iniuria, non omnes; imò vix paucas eaſque ſummo labore cognoſcere permiſit; illud ſufficiat in vniuerſum retuliſſe, quod laudantur à pleriſque Auctoribus Patauinæ Mulieres, quia non ſinè operta facie in publicum prodire conſueſſent: & earundem ſeueritas ac pudicitia ſummopere celebratur inter Sapientum dicta, quale eſt illud Plinij Cæcilij, ad Iunium Mauricum. Habes auiam maternam Serranam proculam è municipio Patauino: noſti loci mores; Serrana tamen Patauinis quoque ſeueri-

Chron. Atteſt.

tatis exemplum eſt. illud item Martialis:

Tu quoque nequitias noſtri luſusque libelli,
Vda puella leges, ſis Patauina licet.

Præter alia innumera.

At piget ſingularum notitiam minus aſſequi potuiſſe; quatenus locis ſuis ſingilatim adnotarentur, meritiſque exornarētur titulorum honoribus & encomijs: reiecta maledicorum quorundam veſana duritie, qui non iam compeſcendæ in alijs prauæ concupiſcentię, deterrendęque pręſertim iuuentutis gratia, ſcriptis ſuis fęminas execrantur; vt vel ſic homines à peccatis auertant. Sed quadam animi ægritudine laborantes, & maleuolentiæ ſtudio, impuris ac blaſphemis titulis Mulieres communiter notant; eas in ſerie nequaquam cenſendas contendunt: pręclarum facinus ſe enixos rati: ſibique de ingenij fœcunditate plaudentes; ſi Imperfecta animalia, vel Bruta, aut Monſtra, Aſpides, Cloacas, ſeú Pandorę pixides vocitarint: & id genus ſexcenta conuitia, in naturę, gratiæ, & glorię conſortes euomuerint. Quos tamen Princeps perſtringit Apoſtolorum 1. Pet. 3. infirmiori etiam ſexui honorem ſuum docens impertiendum, idque ſecundum ſcientiam, tamquam æternæ vitæ cohæredibus.

Idemque ipſe Apoſtolici coetus Choriphęus, alias iureiurando teſtabatur ſe comperiſſe, quod non ſit perſonarum acceptor Deus; ſed in omni gente qui timet eum & operatur iuſtitiam, acceptum eſſe illi. Act. 10. Quapropter ſi fæmellas in ordinem redigendas, ſerieique noſtrę omninò inſerendas ducimus,

ac in ędificium hocce compingendas; potiori iure maſculi quique accerſendi erunt, quantumlibet thoro, vel minus legitimo procreati: vel cuicumque tandem genitrici vitę munus ferant acceptum, reclamante iuſtitia & diuina voce, nè Filij parentum criminibus habeantur obnoxij. Ezech. 18. neuè inuoluntarium damnetur quicquam. (quamquam neminem omninò non inuitum peccare Plato arbitretur in Protagora) Nec mihi oblatretur quod Moyſes ab introitu Eccleſię prohibet eum qui de Meretrice natus fuerit Deut. 28. Dico enim Moſen non niſi nube & caligine circumfuſum vidiſſe myſteria Dei; Tametſi enim ipſi data eſt Sacramentorum intelligentia; quia nec ritè Propheta diceretur, qui non prę̨ciperet, quę promereret; qualiter tamen inuulganda hauſerat, taliter reddidit; vmbris nimirum & figuris obuoluta. Nos verò quibus lux affulſit, tenebris per totum diſcuſſis: dulceque ac ſalutare epulum ſpiritus indultum eſt, de ſterili ac duriſſima Sinaitica petra elicere, tamquam granum de palea, de botris ſuccum, deque oſſe medullam, quid amplius occidenti inhęreamus litterę? Eſt igitur impręſentiarum ſaluo ſacratiori ſenſu, *Meretricis natus*, is qui patrem ignorat, nempè Deum: vel qui plures ſibi aſciſcit, pluribuſue ſe addicit Numinibus; quemadmodum Gentiles olim turbam ſibi Deorum confinxerant. Tales propelluntur ab Eccleſia; nec quia Templi foribus eliminentur; ſed quia non conueniunt in vnum ſenſum: nec conuentui veraciter ſentientum communicant; alioqui enim magiſtro Paulò aſſerente Gal. 3. *Plato.*

quod

quod in myſtico Chriſti corpore, non eſt cur ſecernã tur maſculus & fœmina, ſeruus & liber, Iudæus & Gentilis, circuncisio & præputium: quibus pridem tantũ interfuit diſcriminis; quidni addiderim Legitimus & Spurius? Et quidem non me fugit eos *Nothos* dici, quaſi numine alienos, vt Suidas eſt auctor? vel *Spu-*
Suid. *rios*, ideſt immundos ac ſuppoſititios; ſed ſignificãtius *ſine Patre*, non quia veraciter Patre careant; ſed quia certo deſtituantur Genitore: vel eum habeant quem iurè habere non licet; notiſsimò enim dicto, *Vulgò concepti*, appellantur. Iuſtinian. §. ſi aduerſus. Inſt. de nupt. Huius autem nominis originem eruditiſſi-
Plutar. mus Plutarchus, ſic fermè tradit, quod Romani complura nomina, vnis litteris ſignarent; illis quippè T. Titum referebat: C. Caium L. Lucium: M. Marcum. vel binis; vt CN. Cnæum, FL. Flauium importabat. Aut ternis; Ser, Sex, pro Seruio, Sexto accipiebant.
Plin. idem probatum Plinio ipſique Tullio; imò Crinitus
Cicero. interprætatur. inſcriptionem quorundam nominum
Petr. Crin. A.A.A.F.F. notare Aere, Argento, Auro, Flando, Ferundo. quia ſignandorum Numorum poteſtas ad Tribunos delata eſſet. iuxta quod habetur penes leges Decemuirales.

Tribuni ſunto: domi pecuniã publicã cuſtodiũto:
Vincula Sontium ſeruanto, Capitalia vindicanto:
Æs, Argentum, Aurumvè publicè ſignanto.

Ita in hoc; nam ſcriptum reperitur, SP. Carbilius. SP. Melius; ideſt *Sine Patre*, quod lex illos pro filijs nõ habeat. non defuere qui ſubaudirent per ly SP. *Semine perdito*. Putarim vocabulũ *Spurius*, inductum

quia

quia in eo Pater non ſolum ius,ſed & nomen parentis amiſiſſe videtur; quod non tam liberis operā dederit quam libidini. Iis dignitatum portæ minimè patent ſanctione Canonica, ſacrisque munijs interdictū: & Iure Ciuili ſucceſſione hęreditaria. Gabriel, Doctores allegans.conſ.83.num.4.vol.2.Bart. C. de Inceſt.nupt.num.1. Alex.conſ.143.num.3. lib.7. & conſ.150.num. 6.lib.2. Peregrin. de fideicommiſſ. art.22.num.81.& art.28.num.44. præter alios. Dico quod talia ſanciri æquum fuit, ad roborandum politicæ iuſtitiæ decus: adque ſacroſancti connubij tutelam: demum vt iniquè operantibus ſpes præcidatur, eorum proli feliciter obuenturum; propterea enim vt refert Dom.de Soto,de Iuſt.& Iure lib.4.q.5. art.1.ſi non iure communi, ſaltem ſtatutis quorundam Regnorum,Clericorum Filij notanter, inhabiles,& incapaces habentur,non ſolum hæreditatibus capeſsendis; ſed & quibuſcumque legatis aut collationibus percipiendis. idemque cauſam præſtat tam diſtrictæ inhibitionis, inquiens, nè vlla mulier Clericorum concubinatui addicatur; ſi Clericorum Filij in eorum bona quoquomodo ſuccederent. Is igitur earum ſanctionum ſcopus, nō ad ſumendas pœnas de inſontibus & his qui culpa carent,quantum in eis eſt: alienoque vitio laborant;nihil enim Naturæ imputandum. Addo quod nec infames prorſus reputandi,cum Ariſtoteles lib.6.ciuilis conuerſationi, huiuſmodi à Reipublicæ adminiſtratione nequaquam velit ſubmoueri, quod & Papiniano probatur. Ad hæc qui de Monomachia ſcribunt, tales ceù in- *Ariſt.*

fames

fames reijci poſſe prohibent; cum tamen Iura ſordidos ab ea militia repellant. Quin & in ordinem Decurionatus adlegi poſſunt, vt extat textus in l. Generaliter. §. ſpurios. & l. ſpurij: in princip. ff. de Decurion. cum tamen infames in Decuriones expreſsè aſſumi nequeant. Non ergo in vniuerſum ab omnibus honoribus arcendi. & id nuncupatiuè eadem ratione voluit Rom. in l. Etſi pepercerit: quæ eſt 3. in 2. not. ff. de lib. & poſthum. Verum ad abundantiam, Videantur Doctores in c. Vndecumque. & c. Naſci. & c. Nunquam. et. c. Dominus diſt. 56. Sed hęc nihil ad nos; nam alia et alia ratio eſt poteſtatis ac virtutis, quam laus et honor ſuaptè natura cōſequitur, vel inuitis liuidis & obtrectatoribus. Quocirca quamplurimos ſanè referre pronum eſſet, natalium defectu eiuſcemodi vitiatos: ideoque ad ſubeunda munia taliter minus idoneos habitos; qui tamen ſacris, vel etiam profanis dignitatibus Pontificio aut Imperiali aſſenſu, ſiuè diſpenſatione, quę dicitur *reſtitutio Natalium* euecti, ſummo cum glorię pręconio: & ingenti ſubditorum profectu atque emolumento, Eccleſiarum ſiuè Rerumpublicarum, gubernacula tractarunt. Quin & ſummos Duces legimus huic notæ extitiſſe obnoxios, Alcidem, Alexādrum Macedonem, Themiſtoclem, Romulum, Homerum, Demoſthenem, Bartolum, quos longo ordine recenſet Tiraquel. de leg. connubial. ſi tamen ab euentibus rationes petere liceat; ea quippè eſt vis humanæ mentis, & intelligentiæ norma, vt naturali etiam, nedum legali deformitate laborantes; niſi

pru-

prudentes & ſcientes criminibus ſe dedant, Dei opitulante gratia & philoſophiæ adminiculis, vitioſas omnes affectiones exuere valeant:& contrarijs actibus nempè virtutibus ſemet informare ac perficere; quandoquidem recta educatione & inſtitutione ingenua, fingitur vt libet animus; indèque putarim manaſſe Prouerbia, quod *Sapiens dominabitur Aſtris*. & quod *Vnusquiſque ſibijpſi faber eſt propriæ fortunæ*. Cũ liquidò conſtet, quod quamuis ſyderum influxu, vel naturæ propenſione, mens aliquò impellatur; ratione tamen & pro liberę voluntatis arbitrio, alió diuertere poſſumus. Et licet circumſcribat ſibi ſæpè ſtulta mortalitas, Fortunam damnati ac falſiſſimi numinis Deam infamem inuocando; certè nullum numen abeſt ſi prudentia adſit; quapropter illam inſolenter nimium improbèque iniuſtam, ſic deſpexerũt cordati plerique, vt de eius vel blãdè indulgentis gratia, vel acerbè ſæuientis odio minimè ſoliciti eſſent. Saluator non tam Prophetiæ aſſumens teſtimoniũ, quam illam elucidans, comprobans & adimplens, dicebat Io. 6. Eſt ſcriptum in Prophetis, erunt omnes docibiles Dei: omnis qui audit à patre & didicit venit ad me. Omnes (inquit) indiferenter, nulla diſtinctione interiecta, Præcurſor verò, Matth 3. Potens eſt Deus de lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abrahæ, ideſt vocare populum extorrem, & in Abrahami ſobolem inſerere, eos qui Patriarchæ ſtudia æmulantur (nè quando lapides audiens, fabuloſa tibi ſubrepat Deucalionis Metamorphoſis) Dum verò charitate vrgente illegitimorum patrocinium ſuſci-

pio, nollim eam fortaſſe mihi notam inuri, eademvè pice me quiſpiam oblitum ſuſpicetur; quandò nedũ caſto immaculatoque coniugio editus ſum, ſed pijſſimam religioſiſſimamque Deo beneuolentè genitricem ſortitus. conuerſatione ſimul ac nomenclatione *Angelam*, quæ pijs obſecrationibus, ac deuotis ſingultibus, prolem virilem à domino impetrauit, proptereàque & *Ioſephi*, nomen impoſuit, ex voto nuncupato. Cuius interceſſione poſtquam emigrauit frequenter me adiuuari perſenſi. Tametſi igitur in iniquitatibus ipſe quoque genitus ſum, & in peccatis illa me concepit ac peperit (quæ eſt humanæ conditionis ærumna) non tamen in iniquitate vel peccato thori polluti. Verum impulſu miſerationis illius, quæ ab infantia mecum adoleuit, deque vtero matris egreſſa eſt mecum: non poſſum cũ infirmis non infirmari: pigetque calamum vel quaſſatum conterere: aut extinguere lignum fumigans; quin magis ex animo lapſis compatior, præſertim culpa vacantibus; virtutem autem vbicumque illa ſedem fixerit, colo ac veneror. Qualis in Iornando bellica admodum viguit; ipſe enim ſtaturæ proceritate robuſtus, ſingulorumque artuum amplitudine firmiſſimus, ingenio feruenti & pręacuto maximè præſtans, aſpera quæque audacter aggrediebatur, vbiq; violentus & ferox. Quare Aquileiam accitus, robur ac ſobolem militum ſecum trahens, per cædes ac incendia, auxilium ſanè validum obſeſſę Ciuitati attulit. Cumque Iannuſius Athilam inſtructa acie & collatis æquo in campo ſignis adoriendum tandem,

oppu-

oppugnandumque decreuiſſet, vnius Iornandi fidei ac vigilantiæ vices ſuas & Patauinam Vrbem committendam cenſuit, plus in eo prę́ſidij eſſe intelligés, quam in numeroſo armatorum exercitu. Ambo autem varijs hiſque ancipitibus prę́lijs ſic depugnarunt vt grandis inflicta ſit Athilæ clades. At uero tam conferta circumquaque exundabat hoſtium colluuies, vt omninò adſorberi non poſſet virtute paucorum; iccircò ſtrenuisſimè omniumque patientiſſimè ac pertinaciſſimè reluctati, cum nixus ſuos præ innumerabilibus copijs irritos, incaſſumque abire conuerentur, pedem ipſi quoque retulerunt ſicut prædictum. Fatale enim extitit ſeculo illi, vt Romani, ſeù Conſtantinopolitani Imperatores quorum præcipuè intererat: cæteriſque demum Principes, officij; immò & compendiorum ſuorum obliuiſcerentur; ſcilicet vt nemine iuſtis viribus obſiſtente, Barbaris ſterneretur via, qua fœdè nimis in viſcera noſtra penetrarent. incredibile porrò quot quantęque Ciuitates & oppida Portenti illius feritate immaniter vexata, & latè vaſtata, à ſtirpe tandem interierint. & de hoc ſatis.

Quod ſi Principi Iannuſio genitori, Iornandoque Patruo, nullus ſani capitis vitio dabit, quod dominatû ſe ſpoliari ſiuerint, immenſis Hunnorum agminibus oppreſſi, ac velut fato perurgente deuicti, multo magis vitij labe immunis iudicetur eiuſdem proles MAXIMVS; quando tantum inualuit viribus nefarius Athila, eoque obſequentis fortunę famulatu, vt vniuerſam attriuerit Italiam, Romanumque pro- XI.

ſtrarit Imperium. Non tamen generoſi animi ſcintillæ in Maximo extinctæ ſunt; quin potius ex aduerſis caſibus magis magiſque ſuccenſæ; nam profugis opitulabatur paſſim ac eos ſubleuabat, egregiaque permulta, vt erat ingenio præditus apprimè pugnaci & feruido, mirabiliterque ſolerti, in aduerſarios moliri non deſtitit: quos nactâ opportunitate repentè inuadebat; ſciens enim quod quo amplior cœtus, & multitudo copioſior; eo pluribus caſibus eſſe ſolet obnoxia: nec ita facilè diſciplina inſtruitur; vbi hoſtium aciem recognouiſſet hiantem, aut minus conglobatã: ſubitaria impreſſione concitatiusq; irruens, ſic ordines omnes perturbabat, vt ſuo ſe inuicem iugularent gladio. ita quos virium imparitate ſuſtinere nequibat, Protheo mutabilior, varijs inſidijs ſuperare didicerat, conſilio & animi vigore tamquã firmiſſima lorica armatus. Potuerunt quippè præualida Barbarorum agmina, ſtatus ac prędia illius detinere, magnanimitatem illi adimere nõ potuerunt: prędarumuè eripere nomen, quod niſi cum virtute quæ æterna eſt, extingui valet aut aboleri, ea ferè vitæ ipſius exercitatio fuit. Iam autem ſenio confectus, Vitaliani filij quieti atque incolumitati proſpiciens, Conſtantinopolim profectus, à Zenone Imperatore perbenignè ac honorificè ſuſceptus eſt. apud quem eundem Vitalianum collocauit. Sic Italicis calamitatibus dilectum ſibi pignus paterna ſolicitudine eximens. Ipſe Riuumaltũ rediens, paulò poſt diem extremum clauſit. De hoc videas apud *Auctor.* Sanſouinum, ac Pignã, Chronicaq; Altini & Athilæ.

Præ-

Præceps meritò iudicetur Vitalianorum lapſus ſiuè ruina; certè enim vix quicquam auditum, aut magis ſubitum, aut euitabile minus; cum è ſtatu florentiſſimo: cuique nuper cuncta arridere viderentur, non ſolum Regio ſolio, ſeù patriæ ciuitatis Principatu deturbati: verum auito dominatu, natiuiſque pulſi ſedibus; itaut apud exteros exulare cõpellerentur; quod ſanè ſacri Iobi ærumnã quadamtenus refricare cenſeri poſſit, optimo itaque iure *Marinos fluctus*, quos emenſo Pelago, ad iugem facti memoriam iampridem Antenor (vt ſupramemoratum) pro peculiari geſtamine ſibijpſi delegerat, eiuſdem poſtmodum ſoboles confirmauit; quia nonniſi per vndas eodemque Ponto remenſo ſoſpites euaſiſſent ipſorum reliquiæ. Id Fortuna effecit, alternis ſuo more luſibus iocabunda. Ludit (inquit Annæus) de ſuis Fortuna muneribus: & quæ dedit aufert: quæ abſtulit reddit: nec vmquam tutius eſt eam experiri, quam cum locum iniuriæ non habet. & alibi. *Seneca.*

Nemo confidat nimium ſecundis,
Nemo deſperet meliora lapſis,
Miſcet hęc illis, prohibetque Clotho
Stare, Fortuna rotat omne fatum. &c.

Aſtiterat blanda diù, fauenſque aſpirarat clariſſimę familię Dea fallax & inſolẽs: eiuſque titulos ad honoris & gloriæ faſtigiũ euexerat, cũ ecce lubrico ſuo veſtigio auerſa, ac repentè indignata, cruentam in eoſdem manum exeruit: calamitatumque tela in ipſos tandem contorſit: Hæc Fortunæ tradimus de more veterum Scriptorum; quam tamen nihil aliud

eſſe conſtat, præter cõſilium diſpoſitionemque diuinam. Nimium ſanè hebeſcit, quiſquis hæc ab omni æternitate præordinata non intelligit. Dei autem iudicia nobis minimè veſtiganda aut culpanda, ſed fereda, vereda ac veneráda ſunt; nã etſi detur humanæ imbecillitati de eis quæri interdũ; quærere certè omninò nefas, non dico ſacrorũ eloquiorũ Magiſtris quibus datũ eſt noſſe myſteria Regni Dei, qui profũda Fluuiorum ſcrutantur; vt abſcondita perducãt in lucem. Vtque demum vnico verbo multa comprehendam. Cum ornatum nullum in hac vaſta Mundi machina concipiamus, ſinè varietate, inconſtãtia, mutabilitate; profectò tum Regnorum ac Principatuum, tum & cæterarum rerum viciſſitudinibus, illic admonentur ſummum denique bonum ſitum eſſe, vbi nullum malum intercedat. Vt meritò ſanctus inclamarit Doctor, O Munde immunde, tenes fugiens, quid faceres ſi maneres? Applaudere autem obſequi, ac famulari ſe ſimulauit Fortuna VITALIANO quoque huic tertiò in ordine; quatenus in ſublime eleuatum grauiori allideret ruina; ipſe enim in aula Cæſaris cõſtitutus plurimum valuit gratia penes ipſum Imperatorem, ab eo Dux palatij & armatæ ſuæ cuſtodiæ præfectus; id porrò muneris cum ſemper plurimi habitum ſit, tum maximè ijs ſeculis quibus tam frequẽter Regalia diademata inſidiatorum armis petebantur, vt verum probarent poetæ dictum.

S. Bern. *XII.*

Iuuenalis.

Ad generum Cæreris ſine cæde & ſanguine pauci.
Deſcendunt Reges & ſicca more Tyranni.

Peruulgatum id apud veteres: & ſapientibus com-

probatum, *Principes viros quã rariſsimè ſeneſcere*. quod tam varia illis ſummaque impenderent pericula; vt difficulter admodum multorum liuorem, laqueos, ac inſidias euadere poſſent; prudenter ideò nonnulli Imperandi curam velut inquietam, æſtuantem ac pernicioſam refugerunt. notanterque verba Saturnini (Vopiſco teſte) bonis litteris egregiè inſtructi, exarata leguntur; cum à ſuis purpuram fuiſſet indutus. Neſcitis amici quid mali ſit Imperare; nam & gladij & tela noſtris ceruicibus imminent: parantur haſtæ ac ſpicula vndique: ipſi cuſtodes formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro iudicio, non arma pro ſtudio. Quod ergo Imperatorem me cupitis, in mortis neceſsitatẽ me trahitis, & cæt. At uerò Vitaliani fides mentiſq; rectitudo, multum domini ſui Zenonis incolumitati commodum comparauit; illius namque ſedulitas, conſpirantium in Cæſaris necem machinationes ſæpius eluſit, quo factum eſt, vt totos ſeptem ac decem annos, Zeno ſoſpes ac felix Imperio potiretur. Hic Zeno ille Iſauricus, cui filius nomine *Leo* ſecundus, Imperium ſpontè tradidit, filiali actus pietate; quod parum rectè ſe regnare exiſtimaret, genitore priuatam vitam ducente. Zenoni autem defuncto, Anaſtaſius ſucceſſit, qui Vitalianũ pariter dilexit impensè: tantique fecit, vt vix vnquam liberè ſinè fructu iucundiſſimæ eius conſuetudinis reſpirare videretur: tantũ inquam ei deferebat, vt ſæpè omnibus remotis arbitris, in illius fermè acquieſceret voluntate. Nec ab re quidẽ; quãdo ei ingẽs ad pręclara facinora

Ex M. Saluidemo.

erat

erat animus, animo par conſilium, nec conſilio deerat induſtria; quà vel Gordianum nodum explicaſſet facillimè. Illuſtris præterea vultus, & ſtatura corporis eximia, inſignis vigor ſpiritus; quibus gratiam ſimul ac terrorem, vna cum grauitate ac manſuetudine ſic præſeferebat, vt ad ſui amorem bonos alliceret omnes, timorẽ improbis paſſim incuteret. Serpebat tum fortè Euthichianorum hæreſis, plurimoſque peruaſerat è Regni primoribus, qui & lethiferum virus illud animo Imperatoris clanculum inſtillare moliebantur; quod verò Vitaliani integritatem ac zelum, iniquis eorum cogitatibus obſtiturũ agnoſcerent, illum honoris ſpecie ſubmouendum decreuerunt, imbelles ac liuidi aulæ proceres. Itaque Anaſtaſio facili creduloque ſuaſerunt, Compeſcẽdis ſeditioſis Bulgariæ, ac Finitimarum Regionum: ſedandiſque nuper obortis tumultibus, neminem vno Vitaliano idoneum magis; quiputa inuicto ſpiritu, ſolerti ingenio, in anteuertendis captioſorum dolis: animique magnificentia præcipuus: & cunctis belli ac pacis artibus inſtructus, rebus gerendis omnium aptiſſimus cenſeretur. Quare Imperator, eius prudentiam in ingentis momenti negotijs pluries expertus, earum illi prouinciarũ Clauum, adminiſtrationemque cum poteſtate commiſit. quod nimirum regiminis adeò egregiè obiuit, vt ſummum ſibi pararet populorum fauorem. Quorum ſalutis ille indies vt optimum decuit Rectorem, magis magiſque ſatagens, ab omni auaritiæ aut voluptatis labe immunis; ſed præcipuè quò à ſpurciſſimæ hæreſeos contaminatione

ne intactos ſeruaret, maximis laboribus perfunctus eſt. Vſque adeò aduerſus ipſum Imperatorem, Euthichiano Veneno iam infectum: illudque per ſubditarum gentium populos diffundere cõtendentem, bello confligere compulſus eſt; tametſi eum amore ac reuerentia proſequebatur eximia; cui & priuatis meritis multum ſe debere fatebatur, gratificarique & obſequi ſummopere cupiebat. At uerò Dei Regis cauſam, Regis Hominis gratiæ ſemper preferendam duxit: obediendumque præcepto Legis, magis quam placito Regis, Nam quòd liceat immò deceat recedere à Principe hæretico, declarat Gregor. 9. C. Abſolutos. extr. de Hæretic. Alphon. Caſtren. lib. 2. c. 7. de Iuſta hæreticorum punitione. & licet iura non loquãtur de Imperatoribus, tamen in eis multo magis locum habent. Albertinus in c. 1. de Hæretic. lib. 6. q. 15. num. 6. Habentur & cauſa 23. q. 8. c. In qualibet ciuit. verſiculi de Conſtante & Conſtantino Imperatoribus, Scientes magis Religione, quam officijs & labore corporis Rempublicam contineri & cęt. Et quidẽ Princeps numinis vices gerit; ſi tamẽ iure & legibus dominetur & regat; cum Imperium patrimonium eſſe noſcatur Dei omnipotentis, qui in femore ſcriptum defert, Rex Regum & Dominus dominantium. Apoc. 19. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita eſſe præcipitur; ſed quatenus poteſtas à domino Deo eſt, qui omnia propter ſeipſum operatus, in ſe cuncta ordinauit ac retulit; nuſquam ideò Princeps iuſta imperabit; ni Dei optimi mandatis obediat; nimirum cum populi in ſinum,

Principum traditi aſſerantur, vtique ad hoc cõmiſſi vt foueantur, benèque ac proſperè agant: & Reipublicè Moderatori, beata ciuium vita pro ſcopo propoſita eſſe debet. Princeps enim conſtituitur quaſi quoddam vinculum humanæ ſocietatis cum Deo. Eapropter priſci Sapientes, Imperia ſacris ſubijcienda numquam dubitarunt, humana tum demum Regna, ad veram felicitatem aſpirare poſſe exiſtimantes; ſi diuinæ potentiæ ritè atque conſtanter eſſent famulata. Itaque Vitalianus cum ſummi Dei voluntati ac Religioni omnia poſthabenda intelligeret, non dubitanter in abominandam ſectam & quoſcũque illi fauerent (nihil ipſum veritus Imperatorem, quem alioqui colebat ac reuerebatur) arma tulit: auxilioque diuinitus ſibi præſtito, eos tãtopere attriuit, vt catholicorum virtuti penitus ſuccumberent: & pacem deprecari: & conditiones ab eo recipere cogerentur. Cæſar Anaſtaſius verè nè reſipuerit, aut verax dogma ſimulatè receperit, definire non audeo. Vnũ illud monumentis conſignatum, quod paullò poſt, fulgure de cœlo ictus interijt. Verum de Vitaliano diſſerens, ſatis mirari non poſſum, curnam eũ Scriptores nonnulli natione Scytham ſomniarint, nulla prorſus ratione fulti, nullo veritatis colore; niſi fortè Scythico idiomatè, vel etiam amictu vteretur; quemadmodum & noſtratũ pleriſque, maximè curialibus; frequens & perquam familiaris Hiſpanicus cultus atque ſermo. Cęterum nihil habuit ingenuus vir ꝙ Scythicum redoleret, quem conſtat Veneta regione traductum, tum ſcriptis tum gentilitijs Arboribus,

Val. Max.

idem-

idemque vel de vocabulo euincere procliue; nomina quippè tanti fieri oſtendimus penes eruditos, & rei plorũque eſſentiam prodere. Atqui per Scythiam illæ paſſim nuncupationes audiuntur, *Pialy*, *Corcut*, *Abraim*, *Baiazet*, *Orcan*, *Muſtafa*, *Meemeth*, *Sebym*, *Algazel*, & id genus, ecquis non euigilet Vitaliani vocabulum, vel ipſa natiua enunciationis ſuauitate, lato diſcrimine ab illorũ barbarie ſecerni? Eruditiſſimus Cornelius Muſſus, ab etymo exiſtimauit dici *Vitaliano*, quaſi *vero Italiano*, Eidemq; adeò perſuaſum extitit hunc natione Italum, vt de Ioanne eius filio ſermonem habens, eum affirmet Rege Vitaliano; ſatum; primo ſcilicet, non quidem immediatè (putó) ſed quia præceſſores quotquot numerantur in linea aſcendenti, *Patres*, ritè nuncupamus; quemadmodũ *Filios*, omnes qui in poſteritatis ſerie cenſentur. Sic Matthæus ſacer in narrationis ſuæ veſtibulo, dominum Ieſum dicit filium Dauid, ipſumque Dauid deſcribit filium Abraham: & Iudæi communiter gloriabantur Patrem habemus Abraham. Quod ſi offendiſſe exiſtimandus vir alioqui acerrimo iudicio, certè captus ſimilitudine nominis, cognominis, ac patriæ; cum tamen ille primus, hic tertius notetur in trunco. Alia quinetiam ſuccurrit præſumptio, ſiuè argumentum nec ſpernendum, quod Magnanimus Eunuchus Narſes, ſupremus Iuſtiniani Exercituum Ductor, Gothico bello feliciter expleto (vt in ſequentibus) validiſſimo pugnatori ac Mareſcallo præcipuo Ioanni huius filio, vniuerſa prædia in agro Patauino reddidit, quęcũque maiorum illius fuiſſe comperit: & Corn. Muſ.

inter cætera ſuburbanum Rus, nomine *Vitellianam*, ſeù Diuæ Iuſtinæ Turrim, de qua in calce prioris libri dictũ, quod ius poſteri ad hanc diem retinent; ea verò nullatenus competere potuerunt filio alienigenæ Barbari. Inſulsè igitur nimium, Vitalianum hunc, *Scy*tham commenti euincuntur, Falsò autem & calunioſè, belli ambitionis ergò ſuſcepti, eundem inſimularunt: & ingratitudinis notam ei inurere auſi; id enim iniuria ipſi datum iudicarit, quicumque animaduertat, eum zelo Catholicę Religionis vnicè permotum, quod ex eo liquidò conſtat, cum ſublata pietatis cauſa; rebus ſcilicet ad priſtinam fidei integritatem reparatis, ipſe per omnia victor, confeſtim bello abſtinuit: & facti conſcientiæ innixus, ſeſe Imperatori quam humillimè tradidit. Sed cum ab interitu Anaſtaſij, Iuſtinus Emopoliates, Amantium fefelliſſet, Imperiumque Theocretiano per fraudem eripuiſſet; (vt aſſolet Tyrannis aliena virtus numquam non eſſe formidoloſa: bonique quam mali ſuſpectiores; quia non tam fidem in eis aut integritatem amant, quam auctoritatem perhorreſcunt) plurimos primũ è Regni optimatibus in perduellionis ſuſpicionem vocatos ſuſtulit: tum in ipſum Vitalianum manus extendere machinatus eſt. Verum quod magnanimi Ducis ſolertiam exploratam haberet, callidè decipiendum duxit, quatenus à Prouincię regimine amoueret; eum itaque Conſulem declarauit; quæ dignitas poſt vnum Imperatorem præcipua primariaque exiſtimabatur. isque vt erat rectus ac fidus, nihil ſibi timens aduerſi, onus honoremque oblatum libẽs

Saluſt.

ſu-

ſuſcepit; cum præcipuè Iuſtinus Catholicæ veritatis palam ſe protectorem ac vindicem profiteretur. Sed dum munere ſuo toto ſolicitudinis adnixu fungitur, nec merens nec cogitans, repentè in ſuomet palatio interfectus eſt; vt quemadmodum prædiximus, Humanæ vitæ curriculum, hiſtrionum fabulæ perſimilē intelligamus, in qua nihil permanēs neù diuturnum. Eius caſus cunctos probitatis amatores, non mœſtitia modo, ſed metu affecit ingenti: illiuſque interitu extremam propè cladem Vitalianæ gentis illuſtre, & verè martium nomen: & antiqua maiorum decora perpeſſa fuerunt; ni feciſſet cum tentatione prouentum qui temperat rerum vices, potens deducere ad inferos & reducere. Ex quo enim priſcorum virtus in Ioanne eiuſdem vnigenito qui fuit ſuperſtes, confeſtim reuireſcere lætèque ac latè pullulare viſa eſt. Eugè gratulemur, quia viſitatio eiuſmodi non fuit ad deſolationem, ſed quaſi nubes matutina: & quaſi ros mane pertranſiens; quia enim flauit ſpiritus domini, fluxerunt aquæ & torrentes anguſtiarum inundauerunt; ſed & flumen repletum eſt aquis irrigantibus. Deincepsq; Auſtro ſpirāte perflabitur Hortus iſte & fluent aromata. Vitalianum hunc recolunt Chronica Veneta & Atteſtina: inſuper & Zonaras, Caſſiodorus, Sigonius, Cæſarque Baronius & alij. *Auctor.*

Nos de Matutino proſpectu ſeú de facie adorientem verſa, ſed dixerimus.

Illuſtriſſimo Domino ſuo Colendiſſimo

C O M I T I

IVLIO CAESARI BORROMAEO,

D. Baſilius Sorcinus,

Omne donum perfectum deſcendens à Patre luminum.

SVb verborum integumentis rerum eſſentiam intellectumque delitеſcere: & ſub nominibus omina (ſiue inſtar vini in botris ſeù ſpiritus in corpore) vi quadã aut facultate comprehendi, & diuinitus olim digeſtum noſcitur intimante ſacro eloquio, Omne quod vocauit Adam ìpſum eſt nomen eius; genuinum videlicet, ac proprietatis expreſſiuum. Et deinceps comprobarunt eruditi quique, cum Noſtrates, tum Græci ac Barbari, deffinitionis ſuccum è characteribus, ipſaque vocis teſtificatione plerunque elicientes. Id ſi ex duplici eodemque auguſtiſsimo vocamine tibi indito depromere velim, procliue erit ad natalium claritatem trahere Iulij *prænomentum, cui illud Poetæ adſtipulatur.*

Naſcetur pulchra Troianus origine Cæſar,
Iulius à magno demiſſum nomen Iulo.

Moxque animi candorem, morum facilitatem, clementiam, & id genus Regias virtutes, Cęſaris *denotare titulo; quippè id nuncupationis eximio illi Caio Dictatori propterea inditum opinor, quia iamdiù*

diù ea Reges ſuos compellare conſueſſent, non Ruſsij populi modo ac Miſij, ſed & Dalmatæ atque Macedones; prout docuit exoticarum litterarum delitium, Don Ambroſius Theſeus ex comitibus Alboneſij, inſtituti mei Clericus Canonicus, dudumque Collegiatæ S. Petri Papienſis Archipresbyter. Licet nec improbandos ducam eos, qui à cæſarie: *aut ab* oculis cæſijs: *vel à* cæſo matris vtero: *ſiuè à* cęde, *quia centena millia præliando cæcidiſſet: ſeù demū ab Elephanto qui Mauris,* Cæſa *dicitur. Hæc tamē miſſa facio, veritus nè Adulationem ſuboleant, quæ eſt peruerſa laudatio. Illud magis expendas. tenuitatem meam dum Celſitudini tuæ gratificari geſtit, nihil Auſtralibus hiſce commentarijs, quæ* Ioannem *præcipuè enarrant, acceptius fore exiſtimaſſe; non ſolum quia id natiuo idiomate ſonet* Ioannes, *quod Latinis auribus* Gratioſus, *ſiuè magis propriè* Carinus. *Sed quia id nominis tibi cumprimis felix fauſtumque, & præ cunctis ſuaue eſſe dignoſcatur; quiputà et lectiſsimam* Ioannam *coniugem ſortitus, clariſsima Cæſiorum familia prognatam (vt nec inepta videatur ſuprapoſita alluſio Cæſaris ad* Cæſios *ex vocum affinitate; imò nomina ipſa fatali quodam inſtinctu impoſita credi poſsint) cariſsimum inſuper pignus primogenitum,* Ioannis *nomenclatione inſigniri volueris. Quo ſanè vocabulo tametſi ingenuum adoleſcētem qui nuper obie-*

rat

rat, germanum tibi vnicè dilectum renouare cogitaſti; perindè atque is Co. Ioannem Quintum, qui et ingens decus familiæ, et Frena ſtemmatibus addidit reuocabat. Ipſeque in gratiam Ioannis Borromæi Aetruria profecti Arrogatoriſque tali conſignatus fuerat appellatione, eius inquã qui et Borromæorum cognomen & nobilitatis fulcra; diuitias ſcilicet in domum veſtram refudit; nemini tamen ambigendum præclarum nomen, ad vos originaliter à magno deriuatum Joanne illo, qui Vitalìanis ortus, Bonromanorum extitit Auctor, qui et glorioſis facinoribus, vtramque familiam fulgore perfudit velut Meridiano, quemadmodum ex Auſtrali hac Tabula diſcere licebit; eam porrò vel eo libentius tibi nũcupo; vt eius lectione cum per ætatem licuerit, ad imitationis ſtudium inardeſcant ſuauiſſimi pueruli tui Joannes ac Federicus: mox et nati natorum, et qui naſcentur ab illis.

AD EVNDEM GENEROSVM COMITEM BENEDICTI SOSSAGI.

ASpice, donauit tibi quos longæua vetuſtas,
Et quos Baſilius dinumerauit Auos,
Maioreſque tuos magnis virtutibus æqua,
Teque palam Regum ſanguinis eſſe proba.
Huc

Huc te docta vocat Scriptoris pagina tanti,
Gentis & inuitat, gloria priſca tuæ.
Ecquid enim ſpectat felix Inſubria maius,
Aut Borromæo ſtemmate nobilius?
Ex Antenorea fluxit genus vrbe paternum,
Maternum Tuſca fluxit ab vrbe genus:
Deductos habet hinc Inſubria læta nepotes,
Et gemina claram nobilitate domum.
Si genus ergo tuum, ſi facta ſequere tuorum,
Romano maior Cæſare Cæſar eris.

In Clariſſimæ Borromæorum Familiæ Baſim,

AVCTORE

Archipresbytero D. Baſilio de Serenÿs. D. Caroli Pecorarÿ Pap. Cler. Can. Sal. Lat.

QVÆ docuere ſimul Scriptores ſtemmata cũcti:
Edocet hic, vno dans monimenta libro:
Sic mactare feram contendunt mille ſagittæ,
Vna ſed è tantis vulnerat, vna necat.
Borromæa vides, hoc ſint quæ exordia, viuo
Picta Baſileo cuncta colore, libro.
Felix plaude Domus, ſemper tua gloria viuet:
Nam tibi (nè nutes) ſubditur ecce BASIS.

LIBER TERTIVS

STYLOBATÆ FACIES ad Auſtrum.

INgentia planè familiæ huius extiterunt exordia; incrementa verò miranda adeò & glorioſa, vt Europam vniuerſam famæ celebritate compleuerint; Ritè igitur poſtquam Auctorum, primorumque gentis Heroum imagines, in ipſa Stylobatæ fronte ad Orientē expreſſimus; nunc iam erigendo Meridionali lateri manus admouenda: ſuccedaneaque illuſtrium virorum ſeries præmiſſę adtexenda, quæ non tam ex ordine, quam ex nitenti nominis fulgore, locum ſibi meritò vendicat Auſtralem; quia clarius multò ſereniuſque illuxiſſe videatur. Quemadmodum & inter ſolaris quadrigæ vectores, quadrifario limite diei ſpatium metientes, cum primus *Erythræi* nomen ſortitus fuerit, quod eſt *Rubentis*, quartus verò *Philogæi*, quaſi *Terram amantis*, duo medij, *Acteon* ideſt *Lucidus*, & *Lampus*, quod redditur *Ardens*, ex inditis, vel appellatiuis, aut imaginarijs potius eorum proprietatibus ſortiti ſunt. Cæterum vbi phalangem hāc quam modo in publicum efferimus, reliquis præluxiſſe aſſero, nequaquam opes, ſceptra, honorarioſve titulos, aut id genus inſignia expendo, (quamuis & maximè liceret, mitto tamen) quandoquidem in vni-

vniuerſo hoc mortalis vitæ ſpatio, non ſecus ac in theatro, immeritis quoque ac flagitioſis, haud rarò ea obueniſſe referuntur; quin & plus nimio perſpiciuntur indies, ſummè quibuſdam fortè optabilia, laudabilia non itidem.

Nempè dat, & quodcũque libet Fortuna rapitque, *Iuuen.* Cuius libidini ac temeritati cũcta ſubiecta exiſtimantur, dēpta virtute, quę ſola in ſui poteſtate eſt: cui nulla poſſeſſio, nulla theſaurorum vis cõparari valet: vnicum hominis bonum: inter vtramque ſortem inuicta procedens, magno cum vtriuſq; contemptu. Atuerò inter virorum nobilium encomia, *Magnanimitas*, principe loco notatur in Ethicis, ipſam autem ad *Ariſt.* Fortitudinem pertinere, nullus ambiget qui non penitus hebeſcat. Porrò ipſa *Fortitudo*, apud Romanos anthonomaſticè *Virtutis*, ſibi retinuit nomenclationem; quia viri propria ſit & ſingulariter; ideſt nõ hominis tantundem. Vel quia cum reliquæ virtutes contrarijs habitibus vel actibus diuexatę atque attritæ flaceſcant, vnica Fortitudo vireſcit à vulnere. Ipſi etiam Temperantiæ (quam virtutum omnium ſaluberrimam exiſtimauit Socrates: in qua Plato dixit *Socr.* Sapientiæ latere medullam) præferenda; quia For- *Plato.* titudo publicæ, Temperantia magis priuatæ conſulat vtilitati; commune autem bonum ceù præſtabilius ac ſanctius, ſemper particulari anteponendum. Ipſum etiam Robur antecellens, quia Robuſtus quidem pugnat viribus, at non vincit niſi animo vigens, qui vel ardente periculi flamma, iacturam non timet præ deſiderio glorię. Hinc apud Naſonem Laertius

Vlyſſes, Aiaci Telamonio alioqui eximio prigili, vitio dat, quod corporis viribus duntaxat valeret, inquiés.

Quid facis intereà, qui nil, niſi prælia noſti?
Quis tuus vſus erat? &c cæt.

Fortitudinem ſuam viceuerſa commendans; quia animis præualeret ac ingenio in rebus gerendis. Nec illud quidem prętermittendum, quod in quibuſdam Numiſmatibus Cęſaris Vitellij (quem hac ipſa ſtirpe prognatũ prætulimus in Stylobatæ Baſi) Honoris ac virtutis imagines exculptę inueniuntur, Et Virtus quidem exprimitur Iuuene galeato, Plummis ſuprà Galeam prominentibus: Haſtam ſiniſtra, Sceptrum dextra tenente; Ocreas habente, & ſub dextro pede Teſtudinem, Honoremque contuente, qui ſtat è regione Muliebri forma. Virtus autem caput *Galeatum* gerit, vt fortitudine, ad virtutem opus eſſe indicet: & eadem ratione *Haſtam* tenet. Pennę veró & *Criſta*, ingenij acumẽ deſignant, ad ſublimia conanda: *Sceptrum*, poteſtatem vitiorum ſubigendorum. *Ocreæ*, proptitudinem ac fortitudinem ad pergendũ: *Teſtudo*, ſymbolum gerit prudentię qua duci debet qui virtutis ſemitã inſequitur. Ægyptij pariter ſimulacrũ Virtutis, armis & lorica ſtipatũ fingere ſolebãt; quod Virtus nequeat niſi vi adhibita poſſideri: nec Ho nor, aut Gloria, quæ illius fœtus cenſentur, in partem ritè concedant deſidum aut ſtertẽtium. Imò & Graijs quoque ceù ſenſatis officiorum ratiocinatoribus, ipſius monſtrorum domitoris ac triũphatoris (Herculis inquam) *Claua*, nota fuit atque indoles; ſeù dicã typus, ſymbolumque Virtutis, quia hęc viri cordatimu-

munimen, quod eripi aut expugnari non valeat: cultores verò ſuos, ſupra mortalium euehat ſortem. Verumenim omnium rerum præſtantiſſima virtus, vna eſt ac ſola; vſus autem eius multiplex: ipſius vocabulum, Fortitudinem præcipuè deſignat, cum illa terribilia quæque viriliter aggrediatur, iuxta quod in arduo ſita probatur virtus omnis. Et hinc eſt, quod omnes Deos olim armatos deprompſit erudita antiquitas, ad vim dignitatemque fortitudinis denotandam. Cumque bellicæ arti virum præfeciſſet, quem *Martem* nuncupauit, à magnitudine artis: quem ipſum Poetæ *Mauortem* dicunt; quia magna vertat; Rei litterariæ Fœminam præpoſuerunt *Mineruam*, & ipſam nihilominus thorace, galea, clypeo & haſta inſtructam; propter diſceptationes, quibus veritatis eruendæ, aut erroris coarguendi gratia identidem certatur. Grauiter ſanè Philoſophi, ſicut ingenium cuiuſcumque rei fundamentum perhibent, ſic doctrinã virtutis, virtutemque Imperij; aſt omnium robur ſimul ac ornamentum, ſcientiam militarem eſſe decernunt: quam cum operoſam admodum eſſe conſtet atque difficilem; raro propterea vel nunquam, perfectam & integram eius cognitionem atque vſum, cuiquam contigiſſe, vel in aliquo reſediſſe comperimus; ſed per partes duntaxat. Quare (vt ex antiquorum monumentis elicitur) vix ſingulis artibus excelluiſſe prædicant ſingulos Heroas, Scriptorũ præcipui; quale eſt quod peritiæ nomine in rebus arduis Metellum attollunt: Conſilium vendicant Philippo Macedoni: & Demettium gnarum aſſerunt expu-

gnan-

gnandarum Arcium: Sertorio prudentiam dant in ſubitis caſibus; Pompeio tribuunt audaciam, ſuſpiciũt Caij Iulij Cæſaris celeritatem; vafriciemque Annibalis pæni: tum *S*illam fortunationem oſtendunt: ingenioſus tandem Poeta Marcelli encomiaſtes, eum ſatis extulit inquiens,

Caſtra locare fuit Pyrrhi, Fabijque morari,
Marcelli proprium, conſeruiſſe manus.

Hinc qui ad bellum deſtinatur *Miles*, appellitari cõſueuit, quaſi electus ex millibus; vix enim de mille hominibus vnum mihi dederis omnibus numeris abſolutum; qualem profeſſio omnium celſiſſima, cuius errata nulla valent inſtauratione corrigi depoſcere videtur, mille, ideſt cunctis prorſus virtutibus excultum; millenarius ſiquidem vniuerſitatem deſignat. Niſi velimus dici Militem à multitudine conferta, quia vt plurimum conglobata acie pugnatur: ſiuè ab arcendo malo: aut à malitia, vel mollitie per antiphraſim. Licet non me fugit, quod olim fatalis vrbis cõditor Romulus: correctorque Numa Pompilius ſubindè, poſtquam illius regimini centum viros attribuiſſent, quos *Patrum*, titulo decorarunt; quatenus Rempublicam paterno curarent atque fouerent affectu, & *Conſcriptorum*, quia eorum intereſſet conſcribere Exercitus, pręſcribere Leges, proſcribere Reos ac ſontes: & deuictas Prouincias dominio aſcribere. demum *Senatorum*, quaſi ſenili prudentia pręditos. Mox eiuſdem cuſtodiæ mille deputarunt, quorum præſidio tuta pax ſeruaretur in armis: eosque robuſtos potiſſimum ac fortes, iuuenes propterea, nam à

iu-

iuuando dicitur *Iuuenis*; quia pericula contemnat ea ætas & ſit glorię quammaximè appetens; ab eo autē numero, id ei muneri nomenclaturę deriuatum. Vtq; tādē multa paucis cōprehēdam; eſt militaris ſcientia, & bellica virtus, ars Imperādi, & Regia diſciplina, cui nihil reluctari poteſt. Cuius cū Forma ſit ipſa ęquitas, poſſeſſio autē ſtet pro ſubiecta Materia, ac Finis, quies & cōmodū (nam Triūphus, pro ſcopo ponitur) cauſa Efficiens nihil aliud eſt, niſi armorum tractatio, & militaris theoria adiuncta praxi, Vndè haud incptè Ageſilaus, quouſqueHaſta vibrari poſſet, eouſque putabat Imperium ſuum extendi. Liſander veró Enſem arripiens dicere ſolitus memoratur, eum qui rectè eo vteretur, continuò & cæterarum rerum habere obſequium. & Pyrrhus filijs percontantibus, quemnam Regni pronunciaret hæredem, reſpondiſſe fertur, Eū qui acutiorem haberet gladium; ſcilicet eum qui fortior euaſiſſet. Quæ cuncta eo ſanè tendunt, nè quempiam admiratio capiat, ſi tantam gloriæ frugem inclyta retulit familia, quæ arx inconcuſſa fortitudinis: templum incorruptæ iuſtitiæ: inculpatæ fidei ſacrarium ſemper habita eſt: in qua ſtrenuiſſimorum quorumcumque Ducum, atq; adeò Imperatorum virtutes paſſim reuireſcere viſæ ſunt. Et quidem iactatum illud antiquitus *Magnorum degenerare filios*. Ex diuina hiſtoria Ezechię, Samuelis, ac Gedeonis nati, ex profana Ariſtotelis, ac Marci Tullij, præter alios ſexcentos ſatis comprobant. Addam & verba Ælij Spartiani ad Diocletianum, Conſtat (inquit) Auguſte, neminē propè inſignium viro-

rum,

tum filium reliquiſſe; aut enim ſinè liberis interierũt, aut tales habuerunt plerique, vt melius fuiſſet de rebus humanis ſine poſteritate diſceſſiſſe; id autem cũ longa heroum facta inductione probet, demum ſubdit; Quid de Auguſto? qui nec adoptiuum bonum habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus. Falſus eſt etiam ipſe Traianus, in ſuo municipe ac nepote deligendo, & multa id genus affert. Quo nomine, haud temerè quęſitũ eſt à Philoſophis, quid cauſæ ſit, cur ex Sapientibus plerumque ignaui ac dementes oriantur. At id non vſquequaque verũ eſſe, cum ea quę in Stylobatæ Baſi præſupoſita ſunt; nempè conſentaneũ ex melioribus meliores oriri: perfectiſſimumque Naturæ opus, generare ſibi ſimile; cuius longè plurima conuectari poſſent exempla: tum verò Ioannes Vitaliano tertio ortus, reipſa oſtendit.

Quem vnico diuinæ propitiationis munere ſeruatum, funeſtisque ereptum Verſipellis Emopoliatis manibus; pro comperto habuerunt pij quique; vt hinc etiam quod ſupra tetigimus magis ac magis elucеſcat; nimirum quod Nomen, nominati, cum virtutem ac poteſtatem recondat, tum frequenter notet atque exprimat omen. Videatur Glo. 1. in prohem. Clementinarum, vbi extollitur hoc nomen *Ioannes*, & de prębendis. c. cum ſecundum Apoſtol. & Panormit. ibid. item tit. de conuerſione Infidelium. c. 2. vbi ponitur alluſio verbi *Matrimonium*, tum & l. parta. ff. ad ſenatusconſultum trebellian. vbi Acurſius ponit alluſionem ſui nominis. Pręter iam dicta in Baſi Stylobatę. Neque enim incaſſum aut obiter

IOANNES appellatus eſt (quod Graijs redditur *Carinus*, Latinis *Gratioſus* (vt mox dicebam) qui ſupra multos generoſæ ſtirpis ſuæ, tantum famę celebritate Orbi inclaruit, quantũ inter aſtra fulget Lucifer. Non habuit hic fratres qui domicilium Conſtantinopoli tenuerint, quorumvè nepotes in Germaniam ſe tranſtulerint (vt quidam ſuſpicati ſunt vel potius commenti, quatenus Sueuorum Principum originem indè deriuarent, quos citat ſimul ac refellit Ingulphus) quippè vnicus extitit Ioannes genitori ſuo; filios verò ipſemet genuit, qui ad Boreales regiones digreſſi, familiæ amplitudinem etiam atque etiam illuſtrarunt; Nepotes autem ad humanæ glorię faſtigiũ prouecti ſunt; vt videbitur in facie Aquilonari. Eum Iuſtinianus Cæſar ex ſorore natus deceſſoris Iuſtini, incredibili quadam beneuolentia complexus eſt: immodicique honoris titulis proſecutus. quo planè obſtruuntur ora criminatorum, qui Vitalianum (vt prędiximus) defectionis accuſare non verentur: reumque maieſtatis efficiunt; quaſi aduerſus Anaſtaſium cuius anteà incredibilem expertus fuerat beneficentiã, ambitione, ſeù alio ingrati animi vitio inſurexiſſet; qua nimirum imputatione, ex quo callumnia orta eſt, nullam propudioſiorem affirmarim impunè. Vbi veritas ac iuſtitia cauſæ patrocinetur, eius gratia (vt vel ipſi Achademici profitentur) nullæ quidem cõtentiones aut inimicitiæ refugiendæ ſunt; quippè cũ praui mores morbi ſint animorum: & falſæ opiniones mortifera eorum venena, vnica illis medetur pia religio, quæ ars & ſcientia ſalutis eſſe dignoſcitur: in- XIII.

que legis & iuſtitiæ obedientia conſiſtit; quo & reſpicit mandatum illud, de ſcandalizante oculo eruendo & manu amputanda, Matt. 5. Itaque Vitalianũ diuinæ voluntati obſequtum, & piæ cauſæ legitimè patrocinatum, ſucceſſor declarauit Iuſtinianus; elato planè vir ingenio, qualem vix ſingulæ ætates ferant. qui non inuictis modo armis, ſed magnitudine animi: totiuſque ciuilis humanitatis atque prudentiæ præconio: & admirabili virtutum penè omnium cõcurſu, celeberrimorum quorumcumque Principum decus æquauit, nè dixerim ſuperauit. & quod maximè intereſt, qui peculiari exacti ingenij, præcellentiſque iudicij munere, aulicorum ac procerum ſuorum virtutes compararet, recta æſtimatione perpenderet, & vniuſcuiuſque meritum ac dignitatem apprimè dimetiretur. Is inquam è tam numeroſo magnatum cœtu, vnum delegit Ioannem Vitaliano ſatum (cum ceteroqui crimen Maieſtatis omnium grauiſſimum, ſontis etiamnum poſteritatem inficiat, ac reatu conſtringat & commaculet, vt habetur l. poſt diui. quę eſt l. fin. C. ad l. Iuliam. Maieſtatis. Roman. ſingul. 436. de crimine. Io. Igneus in repetit. ad l. Neceſſarios. §. non alias. num. 24. ff. ad Syllan. Menoch. cõſil. 99. de re grauiſſima. num. 56. & ſemel, rebellium ſoboles nulli genti non inuiſa atque execrabilis maximè Principi) cui Virginem ſibi propinquam; nempè Germani eius conſobrini, ſupremique eius exercituum Ducis filiam matrimonio copularet. Eius nãque virtus cum in pace conſilij, tum in bello autoramentum victoriæ potius habebat quã præſidij; quia

Ex vitis Imper.

enim

enim in rebus gerendis prudentia, artis erat illi magiſtra, & ars ſolertiam inſtruebat, triplex hic nodus, fauſtum rerum omniũ ſemper ei euentum præbuit. Hic Ioannes ille cuius inſignia ardentiſſimæ virtutis auſpicijs parta, vix condigno adoreæ laudis præconio celebrari poſſunt, nulloque proindè æuo conſeneſcent. Qui cum validis pugnatorum & equitum turmis in Italiam miſſus, comprimendæ Gothorum audaciæ (quæ gens immanitate barbara, ac in conflictu ſummoperè pertinax, & ordines ſeruare, & diuerſas repentè acies efficere, & nihil vulnera formidare; imò in veſtigio potius mori quam vinci conſueſſet) inuicti ſpiritus ac ſolertis altitudine ingenij, accíſis Imperij rebus mirãdam attulit opem: Vitigem ac Totilam magnoperè exercuit afflixitque, ſæpè oppugnans viribus, ſæpius aſtu deludens: Vulpinam pellem aſſumens aſſuensque Leoninæ. Vt propterea Beliſarius, ſummus ille bellator, vel potius ſummorũ Regum debellator, qui fulminei ſpiritus vigore, tum verò iugiter veſtigijs inhærente ac (vt dicam) ſubſeruiente Fortuna, inter inclytos nobilioris ſeculi Duces, longè præſtantiſſimi decus promeruit; ſpem omnem victorię, non tam in his quas Ioannes aduexerat auxiliaribus copijs, quam in ipſius Ductoris explorata ſcientia reponeret; intelligebat ſiquidem quam acri ille iudicio & arte polleret, in præoccupandis opportunis paſſibus: armis celeriter expediendis: hoſtibus fortiter inuadendis: ſeú diuturna mora ludificandis, continenterque perurgendis: obſeruandis eorum motibus: præuertendis conſilijs: & eludendis conni-

bus in vniuerſum. Cuius ope & opera, ſecundum ipſum Beliſarium ac Narſetem, Gothi deuicti pluries & ſubacti, tandem ad internecionem vſque nominis deleti ſunt.

Verumenim Herois huiuſce geſtis paſſim refertę Auctor. inueniuntur Hiſtoriæ Diui Antonini, Procopij, Triſſini, Leonardi Aretini, Pomponij Lęti, Gaſparis Bugati, Pauli Morigiæ, & quotquot de eius ſeculi actis conſcripta fuerunt Chronica, ſuperſedeo ab his percenſendis; nè quando aliorũ periodos inſerens [quãuis & id liceret ac deceret] narrationi meæ pluſculũ locupletandę ſtuduiſſe dicar. Vnum ferre non valeo ex recentibus annalium compilatoribus, qui vitas Cęſarum deſcribens. Vbi incidit tractatio de pręlijs quæ Iuſtinianus per Legatos in Italia geſſit, neſcio quo liuore percitus, acta Ioannis huius glorioſa & cothurno digna, vel conuellere nititur ſi poſſit, vèl obſcurare ſi non poſſit. Quippé liquidò conſtat ſcriptorum illius faciem luſtranti, pleraque eum ſilentio paſſim obuoluere, aut quod re exigente præterire nequit; attenuare ſaltem, atque imminuere prò ſua virili. Quod ex ipſiuſmet verbis, vno vel alio loco adductis (nam faſtidium lectoris vereor) pronum fuerit contueri. In primis dum eum narrat Roma à Beliſario demiſſum cum duobus Equitum millibus, ad hoc vt agrum Rauẽnatenſem infeſtaret depopulareturque, Vbi grauiſſimi Chronographi eius geſta luce ipſa nitidiora, mirifico elogio proſequuntur, memoriæque tradunt, quod generoſi animi & eximiæ virtute ſolertiæ, non modo Fanum, Piſaurum, & Ariminum

minum expugnauit: Viglithæumque Vitigis patruũ ſuperuenientem, cum exercitu trucidauit; ſed & Rauennam in tantas redegit anguſtias, vt Vitiges Rex Romanam vrbem obſidione ſoluere cogeretur, indèque abſcedere; quatenus Rauennæ periclitanti opitularetur: quod ſanè facinus tanti ſit, penes ſapidos & cordatos rerum æſtimatores, Vnus hic auctor, cũ illud alteri cuipiam aſcribere: illaudatumvè relinquere nequeat; adeò tamen ieiunè tradit, vt flaceſcere & languere palam eius dignoſcatur oratio, tamquam verbis extortis, atque inuitus prolatis; vix enim eum Arimino potitum commemorat, cętera inſidioſæ maleuolentiæ artificio (quantumlibet breuitatis ſtudium prætendat) velut præteruectus minimè recolit. Quamobrem nec piget ad euidentiam, natiua ipſius verba exarare. *Iuã ſe diò tan buen cobro, que tomando por fuerza de armas, la Ciudad de Arimino y otras tierras, Vitiges temiò perder à Rauenna, y determinò de alzar de ſobre Roma, y boluer à amparar lo demas.* En vel coactus fatetur, Ioannem voti compotem effectum; ex quo Beliſarium Romamque obſidione ſoluit deterrito Vitige. At proſequitur ſubinde, & cum ſubdola vafricie, in Beliſarium tunc Romæ agentem laudadabilia iſtius facta conferat; ſe tamen apertò mendacij crimine eximere nititur; compoſita namque verba taliter intexit, vt non facilè tricas illius deprehendat, niſi qui commenta ſedulò rimetur. Quod ſi quis Scriptorem hunc excuſandum ſuſcipiat, quia non tam Ioannis, aut Beliſarij, vel Narſetis, quam Iuſtiniani geſta promenda ſuſceperit; ac proindè minus

fuit ei curæ, cuiuſnam manu, vel induſtria hæc acti-tarit aut illa; prolixitatiſque pertæſus, nequaquam ad indiuidualia vel ſingularia deſcendendum; imò multa tacendo tranſmittenda putarit, detur hoc illis; non enim ſum qui negem, Capitaneorum, ac Centurionum & ſimilium quorumcunque conatus ac victorias, ritè & iurè in ſummum Ducem referri. Ex vi Topicæ regulæ, *Qui per alium facit, per ſeipſum facere videtur*. Vera profectò iſthæc. Sed aliud referendũ in ſumma, aliud tenendum eſt in numero; neminem etenim niſi iniuria merita laude fraudabit accuratus Hiſtoricus; quippè eiuſcemodi incurioſitatem, in rebus præſertim ſerijs tantique momenti, nuſquã Chronographorum leges admittunt, quin potius damnãt anathematizantque. Alioquin expediebat dixiſſe, Iuſtinianus dum Conſtantinopoli moraretur, Gothos varijs prælijs fudit, ac vniuerſo tandem bello deleuit: Vitigem comprehendit: Totilam interemit: totãque Italiam in poteſtatem redegit; ſic nimirum compẽdioſius rem nauaſſet. Verum quidnam reſponſabit aut cauſabitur, de contumelia non modò priuatiuè (quod aiunt) ſed poſitiuè egregio Viro, ac magnanimò Equiti illata, atque iniuſtè inuſta? Vbi haud multò inferius tradit. *Totila ſaliò de Roma, dexando la Ciudad que auia mandado el Mundo, y la mas frequentada, y poblada, y grande del; quemada, aruinada y deſpoblada, y caminò contra el Capitan Iuan, que con las gentes de Iuſtiniano venia por la Calabria para Roma, y Iuan lo hizo tan couardemente, que non le osò eſperar; antes ſe metiò en Ydrunto, ques Otranto, vltimo lugar de Calabria. Por*

lo qual Totila ſin reſiſtencia, ſe apoderò de toda Calabria y Bruzo y Lucania, que auian eſtado por Iuſtiniano. Certè ſi antecurſor gregarius populariſvè Gallus quiſpiam talia ſcriberet, aliquanto tolerabilius audiēdus foret; hi enim Europæorum Ferociſſimi, ſuperbo vigore nūquam non primi agminis decus expetere dicuntur: cæteroſque præoccupare contendunt: impatientes ac frementes: vix primum buccinę ſonum expectāt, Sapientumvè Ducū ſuorum Imperium ferunt; quaſi victoriæ gloriam ab alijs ſibi inuideri ſuſpicentur. Quamobrem & ſæpè effrenis audaciæ (nè temeritatis dixerim) dederūt pœnas. Quale eſt illud quod ex vberrimis ſacræ Scripturæ aruis colligitur 1. Mach. 5. dū Ioſephus & Azarias Principes, Iudæ ac Ionatæ Fortia facta æmulati: nominiſque & famæ percuſpidi, Iamniam verſus acies direxerunt, ſe quoque ſperantes de hoſtibus trophæa relaturos; fugati verò ſunt ac cęſi à Gorgia prępualido; quam nimirum cladem Spiritus ſanctus eo concludit epiphonemate, *In illa die ceciderunt Sacerdotes in bello, dum volunt fortiter facere: dum ſinè conſilio exeunt ad prælium.* Nunc autem Hiſpani, cum innata calliditate & experientia edocti, maturare ad pugnam non feſtinare ſoleant: mallintque lentè vincere quam vinci celeriter, non tam feruidis animis, quam ſtabili iudicio & ad certum militaris diſciplinæ pręſcriptum arma exercenda: cautoſque Duces, quantumcunque robuſtis pręferendos exiſtimāt. Quemadmodum & olim Achęo Senatui, Vlyſſes, prę pugnaciſſimo Aiace commendatior extitit. (quippè vtſupra ex Sapientibus relatum, Fabulæ lampades

Mu-

Muſarum cenſentur, ad virtuts illuminandas: adque rectum de conſimilibus iudicium proferendum) quo ſanè bellandi ritu ac modo, Hiſpania verè & ritè orthodoxę Fidei murus & antemurale: nouiſſimique potiſſimum illius Regnatores, Carolus Cęſar, duoq; Philippi, tot Regna, tot Prouincias Deo miſerante Imperio ſuo adiecerunt; vt eorum gloria nõ paucioribus quam Solis radij regionibus aut terminis concludatur: eorumque Monarchiæ noui Poli, noua Terra enaſci videatur; ea inquam arte, pacem qua nunc fruimur, ſubditis populis inuexerunt, fouent, alunt, prouehunt: vtque ad perennitatem floreat elaborát. Quamuis enim aduerſus Mauros & Mahumeticos perpetuos Chriſtiani nominis oſores, ſęuiſſimè cruentiſsimeq; nõ raró cõflictarint: vtque Indis fidei ianuã aperirent, ferrea quodammodò diù lingua prędicarint; tamen ſi inter fratres, nempè Catholicos diſſidiũ exurgat, adeò à ciuili ſanguine, ingenita pietate abhorrent Hiſpani, vt cum maximè poſſint, nec magno negotio; vtpotè aſſiduis inſuefacti prælijs: laborum ſupra quam dici queat patientes: & ad ardua quęque obeunda militię munia valdè apti: acres atque omninò validi. Numeroſiſſimis pręterea firmiſſimisque exercitibus, nouis ſelectorum tyronum viribus ſemper recreatis: inexhauſtaque velut ſcaturientium opũ affluentia (quę bellorum nerui eſſe perhibentur) inſurgentes atterere: rebellantes debellare: & aduerſantes proculcare; moroſa tamen cunctatione, aduerſarios furentes laſſari, atque fruſtrari pręeligunt, quam diuinę propitiationis vaſa, truculenta internicione

deleri.

deleri. Cum igitur his artibus ceù peculiaribus pollere aſſerantur Hiſpani (vt omnes citra quæſtionem fatentur) prudentiuſque quam audacius arma tractare & ab incertis ancipitibuſque certaminū caſibus cauere. an nè Scriptori huic Hiſpano gratis ſubiraſcor, quòd vilitatis notam præcellenti viro impingere nō fuerit veritus; quia ſatis tenuem, nec adeò firmam militum alam, ferociſſimis ingruentium Gothorum, & victoris fortunatiſſimique Regis copijs longè numeroſiſſimis, obijcere recuſarit. Nec quidem formidoloſa fuga, qua ſuis animos adimeret, ſed quaſi ex præmeditata deliberatione, intra obuię Ciuitatis mœnia ſe ſe honeſtè recipiens: armaque & vires Hoſti opportunius inuadendo parans. tamquam Virgilianum illud ſuorum auribus inſtillaret.

Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis.

Vti paulló poſt rei exitus probauit. Sexcentæ occurrunt auctoritates virorum illuſtrium; qui de arte belligerandi tractatus ediderunt, conſulentes prohibentesque nè quis nitatur cōtra ictum fluuij, quod eſt contendere aduerſus faciem potentioris ex Siraceo, Eccleſiaſt. 4. Verum Hiſpanum duntaxat adducere lubet, nec certè Geneſium Sepuluedam, Latiali ſtylo, Ioanni & cauſæ noſtræ quam diſertiſſimè patrocinantem. Sed Didacum de Alaba vernaculo pariter ſermone vtentem, in libro cui titulus, *El perfecto Capitan, inſtruido en la diſciplina militar*, Cuius ea ſunt verba præcisè & in vnguem, *Quanto es mas facil acto de esfuerzo el de acometer, que el de eſperar, tanto mayor à de ſer la conſideracion que en el à de auer, pues la in-*

conſideracion y falta de rezelo de los ſucceſſos de la guerra, y el eſtimar en poco el poder y fuerzas del enemigo, trae conſigo de ordinario triſtes efetos, y perdidas de muchos campos auentajados de gente, armas y todos los demas reparos de importancia para la batalla, y aſsi el prudente Capitan, que figura eſtos peligros, y teme el danno que à ſu Rey de ſu temeraria oſadia ſe le puede ſeguir, antes de azer prueua de ſu ventura, en las ocaſiones que ſe le ofrecieran de pelear, à de tenir auiſo de muchas coſas, de que ſu contrario eſta apercebido para offenderle. & cæt. Ad hoc inducit exẽplum Gabrię Lacedemonij & Iulij Cęſaris: ſubiungitque Epaminundæ Thebani ſententiam, inquiens. *Condenaua por poco prudente y dieſtro al Capitan, que trataua de venir à compimiento con ſu contrario, ſin ſaber las determinaciones, trazas y diſinios ſuyos, las fuerzas y coſtumbres de pelear, y el numero que tenia de gente.* Nec poteſtatem facit exercitus præfecto ſubeundi certaminis, quotieſcumque hoſtis fuerit viribus ſuperior; quantumcunque militum ſuorum feruerent animi dimicare cupientes. Idque confirmat abundè Leutrechij exemplo, cum iuxta Mediolanum attritus eſt hac vna de cauſa, ait porrò, *Lautrec en la Bicoca, ſiendo amenazado da los Suizaros (que era la gente de ſu exercito de mas esfuerzo) que ſe rehuſaua el romper con ſus cõtrarios, le deſampararian boluiendoſe à ſus tierras, hallandoſe neceſſitado de pelear, por no poder reprimir tanta furia, y viendo que faltandole el ſocorro de hombres tan belicoſos, le faltaria la principal reſiſtencia de las ofenſas y dannos de ſus enemigos, auunque ſe le auentajauan en muchas coſas, los acometio: y deſta prueua forzoſa de ſu fortuna, tu-*

uo

uo tal ſuceſſo, que no ſolo fue roto y desbaratado, mas aun echado de Italia.

Idem auctor quaſi factum Ioannis huiuſce noſtri prę oculis haberet, ex eo diſciplinæ regulas metitur, militum laſſitudinem perniciosam admodum oſtendens: taliq; caſu confligere penitus vetans. ait enim, *Ninguna coſa con mas aduertencia à de conſiderar el Capitan quando acomete, que la diſpoſicion en que tiene ſu gente, ſi eſtà deſcanſada parà perſeuerar en la batalla: porque acometer con ella eſtando canſada de auer caminado jornada larga, es ponerſe à tener vn mal ſuceſſo, muy conocido por la falta de aliento, que tendrà parà durar en la pelea.* Demũ non crimine ſolum, ſed etiam ſuſpitione Ioannem eximere videtur; dũ caſus anteuertit quibus præliari oporteat Ducem, licet non vndequaque ſe aduerſario ſuperiorem animaduertat. dicens *El acometer puede ſer fuerzoſo, ò por falta de dinero y del mantenimiento ò por que ſe eſpera que vendrà algun gran ſocorro al enemigo, y en tal caſo auunque ſea ſin vantaja, conuiene acometer, por ſer mejor hazer prueua de ventura, que aguardar conocidamente vn fin deſaſtrado.* Horum autem nihil Ioannem vrſit, nec talia ei formidanda fuerunt. Iamverò Totilam generoſa ac numeroſa acie inſtructũ fuiſſe, cum hiſtoricorum omnium teſtimonio procliue ſit demõſtrare, magis placet arreptis verbis eiuſdẽ auctoris inſidiantis & (vt aiunt) *ad hominem* argumentari; etenim vt ex eodem retulimus, Totilas armorum potentia ſubegerat, *La Ciudad mas frequentada y poblada del Mundo*, idque non Romanis ſolũ ſed vniuerſo Beliſarij exercitu repugnante: indeque

caſtra mouerat eo intuitu, vt auxiliares Ioannis copias ſeorſum debellando, ipſum prorſus debilitaret Beliſarium, ſpeque deturbaret reparandarum virium. tantò autem ad id ſe accinxerat pugnæ apparatu; tamque validam coegerat manum, vt Ioanne ipſius ſtudia ac propoſitum eludente *Se apoderò de toda Calabria y Bruzo, y Lucania.* vt vel hinc elicias, quantum ille viribus inualuiſſet, Qua ergo fronte quæſo clariſſimum Ducem, anguſti ac demiſſi animi inſimulare audet *Couarde* compellans, cum de quo mox ſupra vel coactus diffiteri nequiuerat, *Que ſe diò tan buen cobro*? quis hunc Scriptorem ſuiipſius telis iugulatum non euigilet? nam inſigni inconſtantia fidem ſibi denegat. Glorioſum porrò victoriæ genus, ab eo cum quo decertes arma capere: velut ſi quæſitus aduerſario teſtis, illinc ſtet, & iſtinc dicat. Sed quid non in Beliſarium quoque inuehitur, quia intra mœnia Romæ conſtiterit: ſeque ſiuerit à Vitige concludi ac obſideri, & non potius in campum prodierit certamenque etſi viribus impar inierit? Profectò hic Auctor inuidiſſe potiusquam nõ vidiſſe exiſtimãdus eſt, ipſi enim Ioannis virtus admodum fuit inuiſa: eoque exitialius in illum ſæuijt, quo obliquè, clanculariò & quaſi actis cuniculis, claritati eius tetram offudit caliginem. Hæc autem adijcere volui, vt ingenuum Equitem calumnijs vindicarem obloquentis: & ne quis Petri Meſsiæ verbis fidendum putaret, perindè ac verbis Meſsiæ Chriſti. Periculoſa prælia amare, fuit Caligulæ proprium, non cauti Ducis, qui ad victoriam magis aſpiret, quam inanem nominis

aut

aut audaciæ famam aucupetur; nam & ſacra eloquia prænunciant fore, vt Qui amat periculum, in illo pereat Eccleſiaſt. 30. Expendebat Ioannes ſingulari prudentia, & diſtricta lance ponderabat Totilę ingenium ac felicitatem, quę Conſtantinopolitano Imperatori hactenus non mediocri fuiſſent detrimento: numeroſaſque illius copias, quæ vix inſigni victoria exhauriri poſſent; cuius tamen victoriæ ſpes minus effulgebat. quapropter veterem ſuum pugnacis ingenij ardorem, ſalubri iuſtæ & cautæ grauitatis temperamento moderatus eſt: & cum ei robuſtiſsimæ externarum gentium legiones potius cunctando ſuſtinendæ, quam dimicando laceſſendę viderentur, non vltrá pręgrediendum decreuit: nec Fortunę aleę tanti ponderis negotium committendum; illud recolens quod *Honeſtè cedit, qui tempori cedit*. quemadmodum & gnarus Gubernator, ſi Portum tenere tutò nequeat, ventis obſequitur ac vela remittit; nè vi tempeſtatis abreptus, naufragium patiatur, quouſque compoſitis fluctibus, ſecundi flare cęperint venti. Ita prorſus cordatus Ductor, nam ſi vinci contigiſſet, cum multum virium Beliſario ademptum intelligebat; tum & verebatur fore, vt aſſeclę & amici quique animo conſternarentur. Scio viro forti numquam mortem, ſemper timendum dedecus; at meminiſſe iuuabit eſſe modum in rebus & certos denique fines: nec quicquam temerè aut pręcipitanter aggrediendum; quando dictum illud Epitecti, iam oraculi vim propè obtinuit, *Epitect.*
Inuictus eſſe poteris, ſi in nullum certamẽ te demittas, quod in te non ſit vincere. Obijciat fortaſſe mihi quiſquam

Iu-

Iudam magnanimum, qui mortem oppetierit nè fugiendo crimen inferret gloriæ ſuæ? 1. Machab. 9. Ego ſtrenuiſſimi viri factum profectò improbare non auſim; nec ideò tamen imitandum proponerem. At vtcumque libuerit Iudæ ſupremo populi Hebræorũ Duci, qui ſibiipſi iura præſcriberet: nec alteri cuiquã addictus eſſet, non itidem licuit Ioanni magiſtro militiæ vel Mareſcallo, afferendis Beliſario ſuppetijs deſtinato. Neque enim Iuſtinianus Italiæ totius negotium ac rei ſummam, Italo committendam cẽſuit quantumlibet fideli ac valido; Vicaria porrò illi erat poteſtas & facultas ſubdelegata. Sed quid auctoritatis inter legatos Duces expendo diſcrimen? quandoquidem ſummæ Sapientiæ iudicio, nè Rex quidẽ ni deſſipiat, cũ decem millibus occurrat aduerſario, cum viginti millibus aduentanti Lucæ 14. otio & litteris abuti dicar, ſi recenſere exordiar, quoties ſuprema certamina detrectarint celſiſſimi exercituum Imperatores, iniquis conditionibus deterrentibus vel auertentibus ſaltem; Demum fugam arma tractanti inhoneſtã nõ abnuo, Verum Ioannem aufugiſſe, aut meticuloſi notam aliquatenus ſibimet conſciuiſſe, nullus ingenio præditus autumarit: ex quo Totila adhuc longè agente, amicam Ciuitatem velut ſtatiuã ingreſſus eſt, inibique moratus; (neque enim Totilas eum inuadere attentauit) donec nactus occaſionem, extempore, Hidrunto egreſſus, hoſteſque aggreſſus, terga dantes fudit, renitentes concidit, mœnibus ſeptos in deditionem venire compulit: maximaque edita Gothorum ſtrage, Romanos Senatores ac patri-

tios:

tios: nobiliumque vxores ac liberos, quos Totilas in Campaniæ oppidis obſides detinebat, in libertatem aſſeruit. Quod nimirum facinus, ad non dubium ſummę gloriæ prouentum illi contigit; ob id namque tam coruſco illuxit fortitudinis radio, vt rem Romanam labantem: & in ſummo adductam diſcrimine, ſeruaſſe ac ſtitiſſe prædicaretur: illudque videretur perbellè in eum conſentire, quod de Quinto Fabio Maximo olim ſcriptum memoratur.

Vnus Homo nobis cunctando reſtituit rem. *Ennius.*
Non ponebat enim rumores antè ſalutem.

Proptereáque auito detracto *Vitalianorum* cognomine vulgò BONVS ROMANVS appellaretur; *Titulus ex facinore.* quo videlicet titulo is haud mediocriter exhilaratus; deinceps eo ſe compellari gauderet; poſteritatique ſuæ eundem inditum percuperet. Nec quippè voto fruſtratus omninò, nam inter cætera animaduerſione dignisſima, Radeuicus Friſegenſis, de Federico Primo Cæſare *Aenobarbo* nuncupato, qui de huiuſce Ioannis ſtirpe proceſſit (vt fuse ſatis diſſerimus, palamque contueri poteris hic à tergo; nimirum in Boreali facie) hæc ad amuſſim verba connotauit, Fridericus multum ſe decorabat, originem ſuam trahere à magno Duce Romano & ſe nominari *Bonum Romanũ.* Hic itaque Ioannes ſpecioſiſſimum proſapiæ titulum primus inuexit. Qui cum Gothicum bellum ſæpius iterato certamine: virtute indomita, ſecundiſſimè confeciſſet: hoſteſque Italia affatim pepuliſſet; adeò ingentem ſibimet gloriæ cumulum comparauit, vt Gabriel Chiabrera, vniuerſum victoriæ trophæum in

eo collocet: totaque in vnum comportet laudum præconia, heroico deſuper confecto Poemate. Enimvero vtcumque eiuſmodi admittantur, ſeù cenſuræ ſubmittantur, illud euidentiſsimum, quod præter Fanum ac Piſaurum, Forumque Cornelij quod *Imolam* dicunt, Canuſium quoque ipſe expugnauit ac Brunduſium: & vniuerſa Calabriæ oppida fortallitiaque. Et cum Richomundi præcipui Gothorum Ducis acië primo impetu fregiſſet: ipſumque comprehendiſſet, Lucanos ac Brutios ad Iuſtiniani partes reduxit; quëadmodum cæſo anteà Vglithæo cum præſidiarijs, confeſtim agrum Picenum occupauit. Ad Inſubres quinetiam penetrans, Derthonam ſtrenuò Vraię ademit: cumque præterea ſecundum Eridani littora valdè varièque exagitauit. Ariminum, virtute ſua captum, aduerſus terribilem Vitigis aduentum conſtantiſsimè defendit: & quãuis diuturna inedia debilitatus, mœnibus erumpens Regem ab eius obſidione depulit. Et quod mirum videri poſſit, perexigua pugnatorum manu, inuicti ſpiritus vigore cuncta ad felicem exitum perducere ſolitus erat. Ad hęc vt noua ſpecie nouisque exuuijs trophæorum ſuorũ exornaret cacumina, maritimo etiam prælio, multo licet minori Nauium apparatu, aduerſus Vlidam & Gotildum confligens: plurimas eorum naues præfocauit; plures incredibili cęde illis eripuit. Anconæ oppugnatores deturbauit; quin & caſtris exuit profligauitq;. Quod ſi aliquando immẽſis Totilę agminibus repentè circumuentus ac velut obrutus, cum retrocedere turpe iudicaret, aduerſantis Fortunæ ictus experiri com-

compulſus eſt; nullatenus tamen inclyta animi fortitudine deiectus, quam ociſſimè vires reparans, nuſquam ſe paſſus inultum, ſeipſo maior & clarior enituit. In ſumma, animo ingens, ſubnixus virtute, prudentiæ opinione mirandus; ſic cuncta belli, ac pacis munia obiuit, vt omnibus probitatis numeris abſolutus, ſocijs hoſtibusque affatim probaretur. Confecto autem bello: & opibus quas ſibi ſatis amplas honeſtiſſimo militiæ iure pararat contentus; quipuτa Fortunæ terminos præſcribere: & modum imponere noſſet, Conſtantinopolim minimè ſibi redeundum cenſuit; vel quia Narſeti à quo ſe impensè diligi, plurimique fieri intelligebat, adhæſiſſet ex animo; vel quia caſum perhorreſceret inuictiſſimi Beliſarij (Quē poſtquam præ omnibus alijs Ducibus ab inueterata memoria, ſecundiſſimè ſua alienaque arma exercuiſſet: neque de Gothis ſolum, ſed de Vuandalis, Perſis, Thracibuſque triumphaſſet; de toto tandem rei bellicæ negotio omnium optimè meritum, & ad ſummũ gratiæ humanæque gloriæ prouectum; atrocis inuidentiæ ſic inuaſit morbus, vt impudicorum aulicorum procurante ac impellente liuore, iam ſenio confectum, idem Imperator deſpexit: inſuper & oculos eius eruit: infeliciſſimèque mori coegit; ſi fides ſit Agatio, Procopio, Crinito, ac Volaterano, nam alij contradicunt). Recolebat & forte Ioannes immeritam genitoris ſui Vitaliani tertij necem: illudque antiqui Poetæ ſecũ ipſe meditabatur. *Auctores.*

Qui volet eſſe pius, Regalibus exeat aulis. Adiectiuo *Pius*, mutato in, *Tutus*. Gaudens igitur Patauij ſub-

ſtitit, vndè ſe nouerat oriundum ſuperno (vt reor) ſic diſponente decreto; quatenus nati eius aliò commigrantes, illinc ſe meminiſſent etiam immediatè profectos, vndè & eorum maiores olim à ſeculis, & ipſius Auus, nomine & re *Maximus* dudum exceſſerat: Patauinaque ſæpius repeteretur ſcaturigo.

Illic Ioannes fundos ſuos recepit non ſine fœnore, & acceſſione Oppidorum ſanè plurimorum, quorum iura, ac poſſeſſionem, tamquam laboribus exantlatis: & rebus præclare ab eo geſtis, viceque Altini & Concordiæ iampridem euerſorum vti retulimus, ſapientiſſimus ei contulit Narſes, Confirmauitque Longinus Exarchus ſucceſſor, tamquam æquitate id exigente. Illic & diem clauſit ſupremum, ſuperſtite prole omninò felix; tres enim ex Imperatoris conſanguineâ ſuſceperat liberos: quos & lectiſſimis moribus inſtituendos curarat. In his conuulſæ domus, & deperditi Principatus fortuna reſtituta eſt, magis magiſque honoribus cumulata, & ad aſtra ſubuecta Vitalianorum BonRomanorumque propago.

Fatalia Achillis Eacidæ Græcorum fortiſsimi arma: quibus ille dum vita maneret, irrequieto ſpiritu, bella iugiter ſerebat è prælijs: certaminaq; intentabat ac inferebat; eo etiam interempto (vt quidem Poetæ tradunt) tamquam litium, ac diſſidiorum incentiua continerent, ſcintillaſque ſpirarent: confeſtim inter primores Argiuorum, & ſimultates ciere, & contentiones excitare viſæ ſunt, quod vno vel altero verſu comprehendit Naſo, inquiens

Ipſe

Ipſe etiam vt cuius fuerit cognoſcere poſſes, *Ouid.*
Bella mouet Clypeus, deque armis arma feruntur.

Quod elegantiſsimè interpres conuertit.

Per l'armi, all'armi quaſi vn dì ſi venne. *Andr. Anguil.*

Nil igitur mirũ ſi egregia Ioannis BonRomani facinora, inclyta ſanè ac Phoebo, & cedro digna, Scriptoribus materiam ſuppeditent altercationum, Cum quendam non puduerit lituris potiuſquàm litteris ea notare, quæ ſempiternis characteribus fuerant conſignanda. nec tam atramentario calamo, quàm perlucido gloriæ penicillo ſublimanda, hac quippè de cauſa Minerua quoque (vti prædictum) armata effingi conſueuit. Siquidem verò diuerſarum & oppoſitarum affectionum ſeù actionum tempora diſtinguens, Rex ille in quo primi Sapientis titulus effulſit. *Tempus dilectionis* dari affirmauit *& tempus odij* Ecclef 3. cur non idem *de Loco* dictum accipiam? cum præſertim Locũ pariter ac Tempus, Philoſophi *Ariſtot.* doceant naturalis corporis eſſe paſsiones? imò cum ipſemet Salomon, mox vt enunciaſſet *Omnia tempus habent*, ſubdiderit illicò *Et ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub Cœlo*; nimirum vt oſtenderet, idem prorſus de locis ſentiendum, quod de temporibus ipſe dictarat: iamque immutato vocabulo proferri liceat, *Locus belli, & locus pacis.* Ex quo igitur extincta Gothorũ Tyrannide, Italiæque rebus ſub Iuſtiniano Conciliatis, in pacis & tranquillitatis ſtudium, vniuerſos incubuiſſe legimus: & maleuolum detractorem, ſui ipſius ac ſuorum telis, non pupugimus modo, ſed iugulauimus (nempè Palladis haſta, non framea Martis)

machinaſque aduerſus præſtantiſsimi viri famam erectas euertimus: & auertimus ab eo impoſturā planè veteratoriam & ruinoſa carie præflacidam; vel nunc tandem ſtylus immutandus videtur, materia ipſa depoſcente, vt manu molliore contrectetur.

Itaque Ioanne mundanis calamitatibus ſublato, hæreditatem Paulus, Anaſtaſius, atque Gaſpar eius nati perceperunt in agro Patauino valdè opulentam, latifundijs & Pagorũ ditione; Qua tamen breui exacti ſunt, Longobardorum aduentu, quos Narſetes Sophiæ Iuſtiniani vxori, haud leui de cauſa indignatus acciuerat. Hi Rege Alboino ad bis centum mille viri, Pannonia egreſſi, adductis vxoribus ac familijs Italiam intrarunt, Anno qui fuit ſexageſimus octauus ſupra quingenteſimum à partu ſalutifero: primòque Forum Iulij, ac proximè Venetam regionem occuparunt; ſiquidem illæ primitus occurrunt ipſo in veſtibulo ex Hungaria per Noricum, ſiuè Stiriam & Carinthiam recto itinere vadenti.

Archiepiſc. Quamuis diuus Antoninus. Chron. tit. 12. cap. 6. eos ante cætera Mediolano potitos referat. Quod parum veriſimile, viarum gnaris, & Geographiæ ſtudioſis iudicetur, ceu imperuium; cum ſit Mediolanum Heluetijs, Rhetis, Allobrogibuſque finitimum. Sed forſan audiendus eſt de claris Vrbibus; quia nullam adhuc obtinuiſſent inſignem ciuitatem; Aquileia iamdudum Hunnorum vaſtitate diruta: Patauio autem Longini Exarchi Præſidijs valdè munito. Mediolanum vtpotè Vrbem ambitu peramplam populoque refertiſsimam, intercepto commeatu, haud dif-

ficulter

ficulter ſubegerunt; neque enim multitudo diuturna fame vrgeri patitur; eo autem anno potiſſimum, miſeranda toti Italiæ ingruit annonæ egeſtas; quare & propè vniuerſam exiguo negotio ſub iugum miſerunt; iugi nimirum vexatione attritam.

Lucet porrò ex Chronographis, quod prius in poteſtatem redegerunt Vincentiam, Veronam, Brixiam: & quo nunc narratio tendit, Patauinam præ cæteris ditionem peruaſerunt. Iam pridem Gothi, Hunni, Vuandali (vt prætactum) velut in vacuam poſſeſſionem ruentes, Italiam inuaſerunt, quæ diutiùs certè ac fędius, quam victricem Imperatricemque cunctarũ gentium Prouinciam deceret, oppreſſa iacuit ac elanguit Barbarorum immanitate peſſumdata.

Longobardi autem poſtremo loco eam ſubintrantes; tametſi non omnia populabundi diſperſerunt priorum inſtar aut vaſtauerunt; ſubegerunt tamen, & contumelioſè nimium afflixerunt; nam vt Blondus obſeruat: inuidioſæ Italicæ Maieſtatis hoſtes, ad Patauij ac Veronę antiquarum inſigniumque Ciuitatum probrum, Venetiæ prouinciam, *Marchiam Taruiſinam* nuncupari iuſſerunt. Quin & vberius feraciuſque ſolum conquirentes ad figendam ſedem Regni; cum Inſubricum delegiſſent; Papiæ tamen ſubſtiterunt interdumque Modoetiæ, ad Mediolani longè opulentiſſimi iniuriam. Vbi antiquos Reges ac Imperatores reſediſſe intelligebant; tantæ nimirum amplitudinis, vt cum eam Vraias Vitigis Gothorum Regis Dux expugnauit, triginta millia virilis ſexus, vnico conflictu inibi interemerit, eorum fœminas,

Foroli-uien.

Carol. Sig.

mas; ſeruorum vice Burgondionibus donando, vt ex Sigonio lucet lib. 18. ſed hæc obiter, nunc ad rem. Immanem illam Barbarorum vexationem ægrè ferentes Germani adoleſcentiores, Gaſpar & Anaſtaſius; ſeù quod magis credidiſſe iuuat ſuperno afflati numine: & tamquam iubente Deo vt olim (Exite de terra veſtra, & de cognatione veſtra: Faciamque vos in Gentem magnam) Paternam ſubſtantiã cum Paulo natu maiore diuidentes: ratiſque aſſumptis auri & argenti ſignati portionibus: nec non ſuppellectilis prætioſæ, Valefacientes in Germaniam perexerunt: Sueuiæque conſederunt. Illic abdicato *Vitalianæ* familiæ nomine, indeptum nuper per eorum genitorem *Bon Romanorum* cognomen gentilitium fecerũt. Vt videas Scriptorem quẽ ſuprà innuimus ab Ingulpho citatum, gratis aſſeruiſſe, iſtos à Ioannis Germanis qui Conſtantinopoli morabantur progenitos. Profectò enim propinqui eius in linea tranſuerſali, nõ communicaſſent in titulo glorioſè per eum quæſito; ſed filij, eorumque ſucceſſores duntaxat. Vt latè docet Tiraquelus. lib. de Nobilitate, & habetur in De vſibus Feudorum tit. de duobus fratribus à Capitaneo inueſtitis. & ſunt exempla in promptu (neque enim Mutij Attenduli Cotignolani affines, Sfortiadũ vocabulo cenſentur, quod illius deſcendentes vnicè manet. Nec Ioannis Rhaudenſis qui *à Cruce* cognominatus eſt (de quo in ſtylobatæ Coronice diſſerendum) conſanguinei, *Crucei* dicti ſunt, ſed adhuc à *Rhaude*. Nec rite Colubrum pro ſtemmate gerunt quique Vicecomites; niſi à magno Othone lineam

ſe deriuare probarint. Addam; nec nobis aſſumere licet Repagula purpurea viridiaque; licet Camillus Serenius ea in Scutum compegerit ob affinitatem cũ Medicæis initam; Alphonſus quippè Germanus antiquàm retinuit Galaxim: ſeque *de Orte* compellari prælegit, quia Matre editus eſſet ſorore legum Doctoris Oberti de Orte, olim de Ortenſijs. Camillus verò *de Medicis* dictus ab Vxore, Repagulorum induxit inſignia; tametſi vterque Aquilam retinuit) Verum vt prædiximus, nullos habuit fratres Ioannes Vitaliani tertij; ſed filios, qui in Germaniã perexerunt, triũphalique eius cognomine ſe ſe ornauerunt, eo etiam illuſtriori, quod Roma olim terreni Principatus, nunc caput Eccleſiarum, & communis patria cunctarum nationum, exteris populis ſummè veneranda: & Romanum nomen vbique glorioſum. Tametſi noſtratibus nonniſi *Sueuorum* vocabulo nũcupati leguntur; nempè ex incolatu. (Quocirca conſulatur Hirenæus *Franciſ. Hiren.* de Originibus Germanorum. & exemplũ eſto, Quemadmodum diuum Nicolaum, *Tolentinatem* appellitamus. etiam ſi agro Firmano profectus, & ſanctum Antonium *Patauinum*, quamuis Luſitanum, Vlyſſipone ortum. Plinius quoque, *Veronenſis* paſſim vocitatur, ex diuturno incolatu; cum Nouocomi ſatus noſcatur) vel quia iura Ciuium, ac Patritiorum regionis illius aſſecuti: & ad Equeſtres ac Senatorios ordines aggregati fuiſſent ab indigenis, qui admiranda quadam eos caritate atque obſeruãtia proſecuti sũt, tum claritate generis eorum illecti; tum elegantia, comitate, placidis moribus, iucunda conſuetudine,

ma-

magnificentiaque, ac munificentia; cultu enim atque conuictu admodum liberali, familiæ dignitatem latè ſatis ac ſplendidè tuebantur. Hos fratres iurè quis dixerit diuitem Bracteam, ſiuè aureum illum Ramum latentem arbore opaca, quem vniuerſo Luco tectum: vmbriſque & obſcuris conuallibus occluſum deſcri-
Virgil. 6. pſit Poeta. Sine ipſo autem minimè datum Aquilonarē luſtrare aut adire proſpectū. Et verè dico latens arbore opaca; quia in pictis Vitalianorum Arboribus quas vidi, horum fratrum rami deſiderantur; ſicut & Candidi natorum, fratrumque Anterij de quibus in facie ad Orientem, & aliorum ſimiliter; horum tamen ex membranis, ſyngraphis atque annalibus monumenta eruuntur non pauca. Putarim verò eos propterea alicubi ommitti, quia in eam curam incubuerint noſtrates, vt Italicum truncum adornarent, à quo Germani hi duo ſe prorſus abalienaſſent. Recen-
Ingulp. ſentur nihilominus penes nonnullos Scriptores, quos Ingulphus citat, tametſi non recipit, quod eorum fundamenta minus aſſecutus fuiſſet, vel quia de Patauinis tantum ſolicitus eſſet ipſe Patauinus. Idipſum ſeù tale quidpiam vidit, ſed non planè percepit Pau-
Morig. lus Morigius; indè enim nutare ac fluctuare cernitur ſcribens, Nondum ſe elicere qualiter ſancta virgo Iuſtina de Borromæis legitimè nuncupari queat. Sed nemo almam Martyrem à Borromæis profectam affirmarit; at quidem indidem exortam, vnde & Borromæi; ſiuè ab his, qui poſtmodum Borromæi dicti
Bernar. ſunt. Vt ſuo loco. Huic aſſentitur Scardeonius, cum à Vitaliano Rege, Vitalianā gentē Borromęáque

Pa-

Patauinam ſcilicet, profluxiſſe autumat. Cui adſti- *Franciſ.*
pulatur F.Philelphus & alij. Verum ſolertiſſimus Ca- *Iacobus*
uatius omnium exactiſſimè, è vetuſtis tabulis, codicibus, ac ſchedulis rem perſcrutatus, penitiſſimè indagauit: & mihi hæſitabundo quoad eius fieri potuit, eorum nomina & geſta, certè ac dilucidè indicauit; Gaſparis nimirum & Anaſtaſij, Ioanne genitorum. Ab his ſeminaria iacta ſunt feliciſſimæ ſobolis *Bon-Romanorum* qui & temporis proceſſu *Burromæi* dicti ſunt, de quibus in Septentrionali ſtylobatę proſpectu diſſerendum. Impreſentiarum originem duntaxat attigimus re ipſa id exigente; vt nonnihil præcognitionis reliquiſſe videremur. Non quaſi ab Auſtro in Arctum repentè demigrauerimus velut per ſaltum; ſed gemmam tantummodo prodidimus, vndè diues germinauit Ramus ad læuā vergens; ideó nec improbādi aut accuſandi ob ſeriei perturbatum ordinem, quando eundemmet progreſſum Solis currui aſſignat Salomon, de illo prædicans, quod Renaſcens gyrat per Meridiem, & flectitur ad Aquilonem. Eccleſ. 1. Nec quippè dixit *Pertingit*, ſed *Flectitur*: ideſt obliqua & fracta linea, per Auſtrum ad Boream pergit: nobis itidem indicare ſatis. Interim ergò proſperè agāt Sueui adoleſcentes: creſcant & multiplicentur, donec eos reuiſere liceat.

Duobus igitur abſcedentibus, primogenitus remanſit PAVLVS vocabulo, Vitalianorumque reti- *XIIII.*
nuit agnomen, quo vix aliud illuſtrius inibi habebatur; imò & quendam inter ciues auctoritatis Principatum conſirmabat, vel ob iugiter colendam anti-

quorum recordationem: vel quia poſteri quoque lõ-
go tractu militiæ dediti, ſpectata ſemper virtute ar-
ma geſſiſſent. Paulus defuncto haud multo poſt Al-
boino Rege Longobardorũ, animos reſumpſit: icto-
que cum Eſtenſibus fœdere, Oppida ſua recuperauit,
quæ ſic Vallis & aggeribus muniuit, vt non parum
deinceps hoſtibus feceſſerent negotij. Dimicatum eſt
pluries: variaque hincindè illata acceptaque incom-
moda; in quibus nihil immorandũ duco. Conuene-
runt tandem datis inducijs, pactique ſunt, vt ipſe Ca-
ſtris Gambaræ, Sancti Hilarij, Orgiaghi, Plebis, Me-
ſtri, ac Sancti Angeli, liberè & pacificè potiretur, re-
liquis cederet omninò, de iure & de facto, quod vtrin
que iureiurando ob firmatum. Fuit Paulus magna-
nimus ſanè & pugnax, pertinaci induſtria, incredibili
vigilantia, ingenio acer, & manu promptus; toroſo
namque pectore, robuſto, ingentique corpore firmiſ
ſimus, validis propterea & ponderoſis armis vtens,
ſingulis tantũ ictibus, ſiuè equo inſidens ſiuè pedes,
ſingulos qui cõgrederentur conficiebat. Verũtamen
eius geſtorũ narrationẽ, obliuio penè vorauit, & qui-
Auctores. dem circumferuntur Chronica quædam Patauina,
Eſtenſia, ac Ferrarienſia, quæ de portentoſis eius vi-
ribus admirabilia tradunt; non tamen probabilia,
namque eum Gigantibus æquant, Paladinis antepo-
nunt. Dixeris minimum eius digitum groſſiorem fuiſ
ſe dorſo Rotolandi aut Gradaſſi. Non ergò inſiſten-
dum deliramentis. Filios poſt ſe reliquit Vitalianum
quartum, atque Anaſtaſium, de quo prius.

Quidlibet potius Vitalianis, ac BonRomanis adi-

mas,

mas, quam bellicam gloriam; eam enim illi ſic fermè traduxiſſe viſi ſunt, ac proprium accidens inſeparabile; nihilominus quantumlibet naturali quodam inſtinctu, ad concertationes, & dimicandum valdè propenſi; non tamen quietis indociles in vniuerſum, aut impatientes vſquequaque; quandoquidem & de duobus Pauli germanis Gaſpare & Anaſtaſio, mox relatum quod transmigrarint, tumultibus ſe ſe ſubducere cupientes: & Anaſtaſius eius filius, Longobardis iterum atque iterum prælia excitantibus, cum Vitalianus natu prior Venetias confugiſſet, ipſe quoque propriæ incolumitati proſpiciens, Signiam contendit, Ea aliquando fuiſſe memoratur clari nominis Munitio, oræ Latinæ, vulgo *Campagna di Roma.* olim Volſcorum oppidum. Cuius Dominium haud ita pridem flagrante Gothico bello, celeberrimo Ioanni Vitaliano de quo ſuprà acceſſiſſe, traditio eſt quorundam Scriptorum, quos Ingulphus recenſet; qui tamẽ minus firmis probationibus id aſtruere videntur quã par fuiſſe exiſtimem; iccircò prædicare recuſans, nec ob id improbare auſim, quod parum noſtra intereſſe duco. Vtcumque ſit, Anaſtaſium eo ſe contuliſſe compertum; etenim habita hoſtilium virium ratione, Fortunæ ictibus nequaquam ſe committere ſtatuit. nec propterea timoris aut formidinis crimen illi exprobrandum, ingloriuſuè reputandus; tamquam fuga ſibi conſuluerit & terga dando; tametſi enim nil refragor, in aggreſſione, vel ſuſceptione periculorũ, & perperſione malorum, definiri fortitudinem; vt videre eſt tertiò Ethicorum; at non itidem in ſuimet ia- *Ariſto.*

Bb 2 ctatio-

ctatione; immò nec in expectatione, ſi minus fuerit neceſſum. Nam Temeritatem nunquam cum ſapientia commiſceri fuit Marci Tullij ſententia. at hæc nihil ad rem. Illud ratum & inconcuſſum, quod virtute præditis; ſemper proſpere cadunt taxilli Iouis: vel ſatius cum Apoſtolo Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quocirca ſi totum in diuinam prouidentiam reponamus, immunes erimus ab errore. Eius autem callis, & remotior & ignotior, quam vt humanæ mentis veſtigium firmiter illum præmat. Per nubem tantum videmus: & nobis coniectare vel ſuſpicari fas eſt, non ſcire: ambire, non adire. Quis enim cognouit ſenſum domini? Cęterum in ipſo viuimus, mouemur & ſumus; vt Ethnicus quoque fatetur citatus à Paulò Act. 17. & in voluntate eius cuncta ſunt poſita; quare & hoc ipſum ſuperno diſponente numine impletú reputamus, tantæ molis erat Borromęam condere gentem, ſeù attollere. Qui attingit fortiter, ſuauiterque diſponit vniuerſa, euocarat iuuenes Pauli germanos, tranſtuleratque eos in Sueuiam; quo eorum poſteritati ad Imperialia ſceptra pateret aditus (quod proprio loco remitto) ponè euocauit Anaſtaſium eiuſdem Pauli filium, quatenus eius vnigenitum *Vitalianum* nomine, Pontificali throno ſublimaret: conſtitueretque ſuper gentes & regna, in ſupremo Eccleſiæ Chriſtianæ culmine.

Cicero. *Aratus.*

Ortus eſt Vitalianus in eodem oppido Signiæ, quo patrem eius Anaſtaſium demigraſſe retulimus, dum Patauinis ſeſe anguſtijs eximere cuperet; quippè quia Longobardis minimè fas erat vlterius progredi, ob-

ſiſtente

ſiſtente Longino Exarcho, qui Rauennæ cum firmis ſtationibus ſedem fixerat parteſque Imperij tuebatur. Itaque Vitalianum veraciter illinc prodijſſe teſtantur diuus Antoninus, Leander de Albertis, Blondus, Sabellicus, Platina, Baronius, inſuper Epitome, ac ſupplementum Chronicorum: & Hiſtorici omnes quotquot hactenus vidiſſe contigit, præter vnum Ciaconem, qui ei *Suerniam* inter Brutios patriã aſſignat. Verum id nimis voluntariè (vir vt ſæpius coniecturæ multum tribuens) aſtruit; nulla ſcilicet auctoritate vel ratione fultus, quod abſurdum fuit neglexiſſe, aliorum qui eum præceſſerant ſententijs repugnare volẽti. Is verò occaſionem mihi præſtitit rei ſolicitius veſtigandæ. Comperi autem nonnullos plurimis anteactis annis equiuocatione deceptos, Anaſtaſiũ hunc, qui fuit Vitaliani Pontificis genitor, opinatos eundem eſſe, qui cum Gaſpare in Sueuiam profectus inuenitur: minus fortè attendentes, quod ille Ioanne ſatus aſſeritur, hic autem Paulo, ſecernunturque ab inuicem patrui ac nepotis relatione. Hic error [vt quidem reor] ad ſe rapuit Alphonſum Ciaconem, qui cũ non diſtinxiſſet inter duos cognomines, hæreretque propterea in ancipiti; quia legiſſet de Papa Vitaliano prædicatum, quod propinquis extaret, ac conſanguineis claris in Sueuia (dudum enim eorum fama Italiani peruaſerat) exploratum autem haberet alioqui, ipsũ omninò inter Põtifices natione Italos numerari, arbitratus eſt Chroniſtas vtrobique allucinatos *Suerniam*que, proprio commento ſuppoſuit, vice Sueuiæ ac Signiæ: ratus vocabulorum propinquitatem quo-

Auctores.

Alphõſ. Ciac.

quo

quo modo euaſioni poſſe ſufficere; quo pacto enim poſteri diſcernerent quæ non cernerent? Verè dixit
Ariſto. Philoſophus, *Dato vno inconuenienti, multa ſequuntur.* ſemel lapſis nullus eſt percipitij finis. Firmum illud ſtat atq; conſtans etiam Ciacone abnuente, Signiam illuſtrem Vitaliani natali; quamuis Patauio oriundus dici queat, eodem iure quo Gregorium decimum anteà *Theodaldum* nuncupatum, è Vicecomitum familia, nonnulli Mediolanenſem prorſos affirmant, quantumlibet Placentię ortus. Vitalianus igitur ſanctis moribus præditus: & litteris egregiè excultus, defuncto Eugenio primo, in eius locum Summus Pontifex renunciatus eſt, Anno ſaluifici partus ſexcenteſimo quinquageſimo ſeptimo. Cumque nomen à Sacræ regenerationis fonte ſortitus eſſet è familię titulo traductum [quemadmodum & alij multi quos memorauimus recenſebimuſque poſthac] illud quin etiam paſtorali lituo, gemmatoque apice dedicatus retinuit. Et quidem quidam de Pontificibus antea aſſumptis
Ditma. nomina mutarant, quemadmodum ex Ditmaro liquet; non tamen adhuc manarat ſanctio, vt ſinguli Papatum ineuntes penitus natiuum vocabulum, in veteris alicuius Pontificis, Martyris aut Confeſſoris permutarent; quatenus ſimul cum nomine Priſtinos mores, priuatamque perſonam exuiſſe viderentur: & quæ retrò fuiſſent obliti, in anteriora ſe duntaxat extenderent. Vtque oſtenderetur per alteratione͂ nominis, hominis quoque innouatio, Apoſtolici coetus chophæi imitatione, que͂ Saluator ad ſummu͂ dignitatis & honoris gradum transferens, nouo nomine

Cepham

Cepham appellandum mandauit; licet ea inſtitutio longo poſt tempore; nimirum à conſecratione Sergij quarti & deinceps tantùm, generaliter recepta eſt: etiam nè quiſquam indecentis nuncupationis probro, Sacroſanctæ Sedis polluere videretur beatitudinem. Vitalianus Conſtantem Imperatorem ingenti plauſu Romæ exeepit. Ferrariȩ primus Epiſcopum conceſſit. Maurum Archiepiſcopum Rauennatem, Apoſtolicæ ſedi obedire recuſantem, anathemate perculit. Ipſo ſedente habitæ ſunt Synodi Toletanæ atque Britannica; & antè eas Cabilonenſis, in qua Choreæ, Comediæ, & id genus profana ſpectacula, in Eccleſijs fieri prohibita ſunt; tantopere dilexit decorē domus Dei: & locum venerationis Maieſtatis eius. Ampliandi diuini Cultus ſatagens, Regulam Eccleſiaſticam compoſuit, Cantum ordinauit, auxitque cōcentum; notanter namque Organorum vſus illi acceptus refertur. Vt de eo dici poſſit veraciter & ad litteram, quod cantarit domino canticum nouum; inſtrumentale videlicet. Cuius cum triplex eſſe dignoſcatur harmonia pulſu, voce & flatu, nemo non huic primas conceſſerit; Vndè & ob excellentiam nomen ſibi vendicat generis; ſiquidem *Organi* vocabulum cuilibet aptatur inſtrumento. Dictum verò putatur ab *Orgè*, quod eſt cultura. fiuè ab *Orgijs*, quæ Deorum venerationes fuerunt, Latinis *Ceremoniæ*: aliaque multa ſanciuit atque in morē induxit, eximiæ in Deū pietatis indicia. Quo loco cum campus ſanè latus & amplus ſe mihi aperiat honorificæ digreſſioni: & perquam opportunus exaggerandis clariſſimæ fa-

miliæ

miliæ honoribus, titulis, ſtemmatibus, vt quæ non Duces modo inclytos produxerit; ſed Reges, Imperatores, ſacroſque Præſules: vſque adeò Romanæ Vrbis Chriſtinianique Orbis Pontifices. Quorum ſplendor aut fulgor cunctis Mundi dignitatibus citrà controuerſiam præfertur, vt habetur in c. Paſtoralis de ſenten. & re iudicata. & de iureiu. cle. 1. & textus in c. patet profectò 11. q. 3. c. nemo & c. aliorum. & 40. d. c. ſi Papa & ibi gl. præter innumeras auctoritates. Superſedeo tamen eiuſmodi percenſendis, quinimò Vitalianum ipſum non tam ſuſpiciendum propono, quia Cæleſtis Regni clauē: & Apoſtolicę nauis Clauū, ſibi creditum ſapidé moderatus ſit, quam quia myſticam ſuimet rationalemque Nauim, cęleſtibus diuitijs & æternis virtutū meritis onuſtam optato in littore collocarit: & ad ſupernę felicitatis portū perduxerit, Eccleſiaſtica etiam ſolenni Canonizatione inter Sanctos Confeſſores aſcriptus. Non igitur ab re in fronte libri dictū eſt, quod hæc Facies, meritò ad Auſtrum verſa aſſeritur, vel ex eo quod cæteris micantius rutilat. Quid enim illuſtrius eo qui viuens Chriſtianæ Reipublicæ Lucifer habitus eſt, aut Sol in virtute: vitaque functus, in cęlo & in terra clarificatus: & in ſplēdoribus Sanctorum collocatus noſcitur? Eius diem feſtum enunciant Martyrologia anniuerſaria celebritate colendum, ſexto Calendas Februarias. Doletque *Cæſar Baron.* Baronius tanti Pontificis tum ſcripta, tum acta, maxima ex parte calamitate temporis deperijſſe: ac propè obliuione ſepulta. Sed iam cauendum receptui, nè parturire incipiat copia congeſta faſtidium.

San-

Sanctus Mediolanenſis Archipræſul & Doctor qui cæleſtis ſapientiæ Ambroſiam miranda vbertate ſtudioſis impertiens, vocabulo ſibi indito tam appoſitè correſpondere ſe prodit, vt aſſertionem quam præulimus de vi ac facultate nominum: de que ſecretis ſacrarioribus intra vocum inuolucra deliteſcentibus, veram penitus eſſe comprobet. In libro quem à ſenario diuini opificij dierum numero titulauit *Exæmeron*, ſimilitudine ab iter agentibus elegantiſſimè ſumpta, Scriptores pluſculum euagantes reuocat: ſimul officiosè admonens, quid facto opus ſit cum in digreſſum fuerit redeundum. Ait porrò. Obliuioſi viatores cum inconſultò præterierint, in ſua reuertentes veſtigia, incuriæ ſuæ multam repetito itineris labore ſuſcipiunt; eſt tamen etiam ſolers viator, qui diſpendium regreſſionis, reliqui itineris compendioſa celeritate compenſat. Hęc ſacer Ambroſius, capite duodecimo quinti libri. Et in hoc mihi deinceps omni ſtudio elaborandum, quod eo facilius præſtiturum confido, quia amphibologiarum pedicas iam euaſi: & inſidiosè oppugnantium ſpicula retudi atque contriui. Nunc vero ſex & quinquaginta anni remetiendi veniunt; etenim cum ad ſeptuageſimum Saluatoris annum peruenerimus; quo nimirum Pontifex Vitalianus ad vitam aliam euolauit. Modo ad ſextum decimum eius ſeculi retrocedere compellor, quo euiſdem Patruus ſupramemoratus VITALIANVS in ſtipitis ſerie eius nominis quartus, Paulique filius, paternæ hæreditatis poſſeſſionem inijt; memorata quippè oppida aliquandiù poſſedit. Verum Longobardis

S. Ambroſ.

XV.

in Patauinum agrum tam crebrò irruentibus, cædeque ac rapinis cuncta paſſim exhaurientibus, Riuum altum & ipſe tandem conceſſit, indèque fœderatis ſępè opitulabatur, fouebatque & armabat in hoſtes: quos ipſemet tamquam Vrſa raptis Catulis in ſaltu ſæuiens, clãcularijs irruptionibus adoriebatur, & adeò agitabat diù noctuque, vt per eum nunquam illis quieſcere liceret. Quod ſi egregios ipſius conatus Fortuna fefellit, ſpeſque exitu fruſtrata, eſt nihilominus cur honorem, erecti animi præmium conſequatur; iuxtà Sapientis dictum *Si deficient vires, audaciæ certè laus erit.* nam *in magnis ſat eſt voluiſſe*. Is autem præalto ingenio & incredibili conſtantia, ad nullas aduerſæ infeſtæque impotentis Deę contumelias, infracti animi vigorem vmquam dimiſit; quinimò ferociſſimorum hoſtium inſolentiam, aſſidua reluctatione ſuperauit. Experimur quotidie in magnis facinoribus ſuſtinendis vel ſubeundis, validiores eſſe animi quam corporis vires, quo fit, vt cum virtus vnà cùm labore creſcat: vix vllo vir bonus relangueſcat laboris onere; qui enim cum virtute otiari neſcit, laborem amat tamquam animi quietem, ac veluti quandam felicitatis ſedem. Enimuerò eiuſcemodi impetus in Longobardos, non tam prælia quam minuti conflictus cenſendi, aut verius decurſiones; illud facinus inſigne ac memorandum, quod cum Patriarchalem Gradenſem, quam compertum eſt his temporibus, totius Venetæ Prouinciæ & Foriliuij primatum obtinuiſſe: nouamque Aquileiam nuncupatam, Fortunatus quidam, pulſò Primigenio Aretino canonicè electo occupaſſet,

cupaſſet, Vitalianus coacto ſuis ſumptibus integro exercitu, & iniuſtum detentorem Sede pepulit: & legitimum Paſtorem Eccleſiæ reſtituit. Eius geſta colligas è Chronicis Attreſtinis Venetisque, tum & Sanſouino, ad annum ſexcenteſimum trigeſimum. ipſe pater fuit IOANNIS Secundi. *Auct.* XVI.

Cui per totam ætatem arma tractanda fuerunt: decertandumque cum Longobardis, moleſtias ipſius oppidis aſſiduè ingerentibus inſidiaſque paſſim ſtruẽtibus; quæ tamen ijdem tandem hoſtes, cum copijs, ac viribus multo exſuperarent, in poteſtatem redegerunt, duobus duntaxat exceptis; nempè Sancti Hilarij ac Meſtri; ea quippè Ioannes ingenio vigilanti acutoque: bellico ſpiritu ac vi indefeſſa maximè præſtans, indeſinenti labore: perpetuaque ſolicitudine & arte adhibita retinuit. Iamuerò grandæuus, nequaquam inanem famam petens, ſed piæ deuotionis affectu: & ad vnius Dei gloriam quem ſuper omnia diligeret opera ſua referre: vni illi placere, vni obſequi, & gratificari, Chriſtianæq; virtutis exempla poſteris relinquere cupiens, inſigne ſatis ac magnificum Templum ædificauit, ſub inuocatione Sanctorum Martyrum Sergij & Bacchi, in Inſula quã *Conſtantiacam* olim Veneti nuncuparant, de nomine magni Conſtantini, cui plurima beneficia accepta referrent. Sed ea Inſula demum aquis præfocata, incolæ ad Riuum altum demigrarunt. Ioannes proauũ Ioannem imitatus, primogenitum ſuum ipſe quoque PAVLVM appellauit, qui fuit eius nominis itidem ſecundus. auctoribus mox citatis. XVII.

Qui ſi ſtudia ſpectentur, Patri haud abſimilis adiudicari poſſit; niſi quod Fortuna minimè vſus eſt adeò aduerſa, quam conſtat ei potius in multis ſuffragatam; quandoquidem varijs inter ipſoſmet Longobardos exortis ſeditionibus, is vltioni opportunitatẽ ſe nactum reputans, Oppida ſua quam ociſſimè adortus recuperauit: ijſque ingenio feruens & manu prōptus alia nonnulla adiecit; velut fœnus vltra ſortem exigens, quibus & pacificè potitus traditur annuente Chuniperto Rege, qui etiam Venetis non reconciliatus modo, ſed fęderatus eſt. Hunc Paulum Patauina Chronica egregijs titulis euehunt, pietatiſque præſertim in ſanctam Petri ſedem; nam cum Theophilactus Exarcus à Cæſare Iuſtiniano ſecundo, in Italiam deſtinatus, Longobardos incitaſſet ad bellũ Romanis inferendum, cum multi ex Italiæ Regulis ac Principibus Pontificias partes defendendas ſuſceperunt, tum & Paulus ipſe, duobus conſcriptis pugnatorum millibus, præſidio fuit Ioanni Papæ ſexto; quẽ ſcilicet apparatum aduerſarij formidantes, præfracto robore animis conciderunt: ſicque reſtinctum incendium. Videantur Chronica Sigonij cap. 254. Bo-
Auct. nifacij cap. 10. Antonij Calzæ cap. 7. tum & Atteſtina.

Eius filius MAXIMVS & ipſe ſecundus, pari pie-
XVIII tate erga Romanam ſedem affectus fuiſſe legitur: pręclarèque potiſſimum ſe geſſiſſe traditur in tuenda Rauenna, cum eam circà annum Saluatoris ſeptingenteſimum ſeptimum Longobardi impetijſſent. At verò ſedatis tumultibus, partibuſque conciliatis, ipſe

quoque

quoque pio Regi Liuthprando, arctiori neceſsitudinis vinculo copulatus eſt. In eam poſtmodum curam incubuit, vti Terras ſuas & Oppida inſtauraret, reficeret, exornaretque. cũ ſecum ipſe reputaret quod, *Non minor eſt laus quam quærere, parta tueri.* Primòque nouũ Boſchi fortallitium extruxit, firmis mœnibus, turribus excelſis, ac validis propugnaculis muniens, quorum ad hanc diem extant veſtigia. Vxorem habuit *Ladam*, Principis Erneſti Eſtenſis ſororẽ, ex qua quinque. ſuſcepit liberos, quibus bona ſua viritim ac per capita diſtribuit. Giberto Plebis oppidum tradẽs: Erneſto Meſtri: Ioannes Boionis pagum accepit: & Gaboardus Sãcti Angeli. Caſtra Boſchi & Sancti Hilarij in Pauli partem ceſſerunt. Horum geſta ſimul ac eorum genitoris, recenſent Guglielmus Ongarellus ac Baptiſta Pigna: præter Chronica Atteſtina, Bonifacijque. Ipſe confectus ſenio felix exceſſit è vita, animoſa ſobole relicta filiorum, ad ſummum veræ virtutis ac nobilitatis decus contendentium. *Auctores.*

Quibus non vnus idemuè Fortunæ luſus fuiſſe viſus eſt, perindè alia atque alia ſingulis ſtudia: & vt vulgò fertur, Totidem ſententiæ quot capita affatim; Gibertus namque primo partu editus, Plebis Toparcha inſtitutus, Herculis diſciplina cum primis delectatus; ideſt arte militari, Longobardis Regibus impensè fauit, quem illi ſingulari gratia complexi ſunt. plurimaque ac ingentis momenti negotia demandarunt. Ab Aiſtulpho in expeditionem miſſus aduerſus Eutichium Exarchum, mira in obſidione Rauennæ patraſſe memoratur; neque enim deſtitit, donec

victricia illi inferret ſigna. Vt vel hinc tibi cordate lector rerum viciſſitudo, & ſeculi perſpicuè innoteſcat incōſtantia, ex quo eam Arcem quam Maximus ſecundus genitor, Erneſtuſque auunculus tanto ſudore vixdum propugnarant, eorum ſubindè proles & oppugnaret & expugnaret. Nec veró aſpirante dun taxat, ſed & reflante Fortuna perſtitit in Caſtris Regis, cum comitatus aduerſus Pipinum properantem, á quo cum Aiſtulphus crebris maximiſque cladibus affectus: ipſeque Gibertus grauia fortiter paſſus rediiſſet (quippè non ignominiæ ſed laudi aſcribendū, tāto certamini ſuperfuiſſe incolumē) eū Rex pro cōcione laudauit, honoribus affecit, auxitq; muneribus.

Principibus placuiſſe viris, non vltima lauseſt.

Pacuuius. Nec minus Deſiderio ſucceſſori carus extitiſſe perhibetur, ingenui viri, fidē heroicamque conſtantiam admirāti; propterea enim Maximū eius filium, Regij Palatij ſui magiſtrum adhibuit, quem animoſum, militariſque ſcientiæ gnarum, copioſæ Equitum Turmę Ducem præfecit, dum Gallis occurrere pararet. Cæterum præpotenti Magni Caroli exercitu citrà alpes prodeunte, cum collatis ſignis acerrimè vtrinque vario euentu dimicatum eſſet. Tandem Francorum impetui cedere, reuocante Deſiderio receptuique canēte vix acquieuit, infatigabilis atque omninò ferox. Extremo autem Mortarienſi prælio, dum in mediam hoſtium aciem ſtrenuiſſimè pugnando ſe immittit, vndique confoſſus interiit. Et quidem ſanguine ſuo belli flammam minimè reſtinxit, ſed nominis ſui gloriam ſummopere accendit. Præſtitit autem fortiter

di-

dimicando, ſuper confuſæ ſtragis aceruum occubuiſſe, nè culpæ ſuccumberet ſemet ſubducendo. Et quidē ſtrenuum virum perdere potuit Fortuna, vincere nequaquam. Ipſius Caſtrum *Plebis* nuncupatum Patauino Epiſcopatui aſcripſit Carolus Victor. ex Chronicis Atteſtinis, Sigonijque cap. 179. ac Scardeonio cap. 17. *Auctores.*

Aureis apicibus ſignanda: aſſiduèque recolenda Stoici Epitecti ſententia, qua Ius vniuerſum: omnemque Philoſophiam docuit, in *Suſtinendo & Abſtinendo* repoſitam. Verum Sufferens quandoque quidem deſeruit Reipublicæ. Abſtinens nunquamnon proſpicit ſibijpſi. Idque dilucidè ſatis perſpicuum in Erneſto Meſtri Regulo, qui ea prudentia præditus fuiſſe inuenitur, vt in maximo rerum diſcrimine, non ſecus ac inter medias turbinum procellas, quieta tranquillitate, cuius ſtudioſiſſimus extitit, pacificè admodum frueretur. Aduerſis enim partibus hinc inde cōflictantibus, neutri vmquam adherere decreuit. Id verò cum nec ſui exemplo, nec crebris adhortationibus, in Fratrum animum inducere potuiſſet, *Ioanni* filio quem hæredem inſtituit, moriens teſtamento mandauit, nè cuipiā factionū ſe addiceret aliquandò. Non me clā eſt; ex Solonis lege, capitis dānari eos qui nullā partium ſequerentur. Verū id popularibus indictū ac priuatis hominibus, & de ciuili ſeditione ſancitū; quod enim Vniuerſitatis intereſt, ſic ad vnumquemque ſpectare videtur, vt nemini opem ſuam liceat legitimè ſubtrahere. Quapropter ſocijs periclitantibus nolle opitulari, & Patriam in qua communis tenetur

Epitect. *Solon.*

nectur

netur ciuium amicitia, quaq; nihil eſt amabilius, in ancipiti nutantem deſerere, ad crimen perfidiæ magis ſpectare exiſtimatur, quam ad ignauiæ culpam: iſque non tam deſertoris quam proditoris notam incurrit. Cæterum nihil prohibet Principem virum & qui ſit ſui iuris, ad exteros ſe indiferenter habere. Quod ſi hinc detrimentum perpeſſus Ioannes & incommoda; nam Deſiderius iniquè ferens eum paterni exempli vel præcepti adeò tenacem, ſibi militare renuere, vehementer illi indignatus cum exilio damnauit: ipſiusque bona proſcripſit: Meſtrum ademit: & ipſummet ni fuga ſibi conſuluiſſet, non ſemel in vitæ periculum adduxit; totum tamẽ perperam iniuriaque patratum conſtat; imò ad conſtantiæ laudem ei cumulatur; vndè magnus Carolus omnia, quę ipſius fuerant, eidem poſtliminio reddi: ſaluaque & illibata eſſe iuſſit. Compertum eſt Ioannem Erneſti nonnullos poſt ſe reliquiſſe filios, quorum tamen nomina minimè aſſequi potuimus, vnius duntaxat *Palamedis* extat memoria, de quo & fertur quod *Federicum* genuerit. qui Meſtri oppidum ipſe quoque hæreditate poſſedit; verum cum poſteritate carens deceſſiſſet, Pagus etiam Vitalianorum familia exceſſit, Taruiſij aſcriptus Fiſco.

Paulus cui ſicut (retulimus) Boſchi munitio obtigerat & Sancti Hilarij, in tantum venatione delectatus traditur, vt *Venatoris* cognomentum publicicitus ſortitus ſit, opibus ſuis pacificè potitus iugiter; niſi quod à circummanentium inſidijs, ſibi indeſinenti ſollicitudine cauere cogebatur, Longobardorum Tyran-

nide

tũde vniuerſam regionem diuexante. Hic ætate floren ti abſque liberis abreptus, nepotes ſuos; nimirum Gaboardi fratris natos, teſtamẽti tabulis inſtituit hęredes.

Boionis poſſeſſor Ioannes Maximi ſecundi filius, parum firma vſus valetudine; cum ſe viribus deſtitutum, euitandiſque aduerſariorum dolis ac inſultibus minus aptum intelligeret, tranquillæ vitæ deſiderio, quibuſdam datis acceptiſque pactionibus, Caſtrum Longobardis ſubdidit; ſeque præbuit Ligium. Idem ſæpè robuſtiori Gaboardo fratri, quem ſingulari quadam caritate complectebatur ſuadere adnixus; fruſtra tamen & incaſſum, renitente eius ingenij ferocitate. quem calamitatibus ſeptum ęrumniſque oppreſſum ſic miſeratus eſt, vt mœrore contabeſceret. Finem autẽ vitæ ſibi inſtare præcognoſcens, *Candido* bona ſua legauit Gaboardi filio natu minori.

Nulla verò ſecula obliuiſcentur, nullæ linguæ vnquam GABOARDVM tacebunt, qui generoſi infra- *XIX.* ctiquæ animi virtute: tum verò aduerſantis Fortunæ ictibus mira conſtãtia exceptis pariterque repulſis, eã de ſe opinionẽ concitauit, vt vix alius quiſpiã tẽporibus ſuis eo celebrior haberetur. Is in Lõgobardorũ barbariẽ immani exarſit odio, inq; eorũ pernitiẽ execrabiliora nũquã machinari deſijt. in quos frequẽter Oppidis ſuis exiliens: adiũcta ſibi electorũ pugilũ caterua, extẽporè adoriens graſſabatur: & quo eos læderet omnigeniſq. detrimentis afficeret, relinquebat intentatũ nihil; vt plus moleſtiarũ ab vno perpeti viderẽtur, quã à cęteris finitimis vtcũq; infenſis. Quapropter ipſi quoq; viciſſim, tãtis iniurijs petiti atq; inſultibus: tã

tis vexationibus laceſſiti, poſthabito fœdere quod cũ eius germanis Giberto ac Ioanne pepigerant, primo cum prædijs auitis depulerunt: ipſummet poſtmodũ Caſtro Sancti Angeli incluſum obſederunt; quos tamen ille aſtu deceptos aufugit. Tum ex Oppido Sancti Hilarij quod circumiacentes præruptæ Valles obſideri minimè patiebantur, damna paſſim illis inferre diù noctùque moliebatur. Quin & amicos Venetos fortalitium impulit in Medoaci oſtijs extruere (quod ni fallor illud idem eſt, vbi nunc dicitur *la Roſta di Limina)* ex quo ipſe quantò propinquius, tanto crebrius damna Longobardis ingerebat. Eouſque iniuriæ proceſſerunt; vt de fœdere etiam cum Venetis irritando ac dirimendo ageretur, ni Gaboardum eorum poteſtati traderent. Ventumque eſſet ad arma facillimè, ſed grauiora diſſidia indies exurgentia, animos aliò auocarũt, ſic diſponente Deo qui producit Ventos de Theſauris ſuis, adiutor in opportunitatibus. Ea fuerunt Gaboardo ſtudia donec vita comes extitit: morienſque duos reliquit filios, nõ minus odij & execrationis in Barbaros, quam allodij aut ditionis hæredes. De hac ſobole, ſimulque de Maxi-*Anno 383.* mo ſecundo Parente, videris apud Sigonium, ac Scardeonium, Chronicaque Atteſtina & Sanſouini.

Candidus Gaboardo genitus, eiuſque ſimultatis ferox æmulator, adhuc viuente Patre varijs diriſque modis hoſtes inſectatus eſt. Cumque hæreditarium Boionis Caſtrum adijſſet ex Ioannis patrui legato, non tam illius acquiſitione lętatus eſt, quam quia aptior ſibi oblata videretur occaſio Longobardorum

co-

cominus inceſſanter diuexandorum, improſperè tamen illi accidit aduerſante Fortuna; cum enim aduerſarij longè potentiores, vltioni animos armaque inſtruxiſſent, & ipſius Caſtellū copijs ſepſiſſent: nec vllum iam ſupereſſet perfugium, is vt erat animo elato: creſcebatque illi vigor cum difficultate rerum, improuiſa irruptione propriæ ſaluti conſulendum cogitauit, & quia plurimum ei inerat roboris, plurimum audacię: vbi ferro agendum eſſet, vbi haſta vibranda, nihil ſe remorari poſſe exiſtimauit, quominus hoſtiū cuneos penetraret; exitus tamen conceptæ ſpei nequaquam reſpondit; adeò enim confertas & conſtipatas reperit obſidentium turmas, vt cum acriter valdè decertatum eſſet, maderetque ſolum cruore & roboris nerui iam flaceſcerent, pedem contrahere & intra Boionis mœnia redire compulſus ſit. At verò intrantibus ſocijs inimici quoque circumfuſi permixtique portas ſubierunt. qui capto Oppido ipſum ac eius aſſeclas peremerunt ad vnum, muris inſuper ac turribus ſolo æquatis.

Felix quem faciunt aliena pericula cautum. inquit vetus verus verſus. & Diodorus veriſſimè, Pulchrum eſt *Sicul.* ex aliorum erratis in melius vitam inſtituere: & quid appetendum fugiendumue ſit alieno exemplo cognoſcere. Quare PALAMEDES Gaboardi filius natu *XX.* prior, Sancti Angeli, Sanctique Hilarij & Boſchi dominus, cum nihil inferior Patre, nihilo deterior Fratre haberetur ex rebus geſtis, firmitateque cum animi tū corporis (plurima namque & ea ingentis momenti compertum eſt ipſum quoque Longobardis damna-

intuliſſe) nouæ famæ auiditate: & irrequieti vigore ſpiritus, eorum iugiter fines vexabundus percurrebat. Demum tamen ſibimet conſuluit, fratris ſui Candidi potiſſimum caſu permotus: ſanoque & graui conſilio ſecum reputans, ſtudium ſuum quo hactenus detentus fuerat, honeſtiſſimi quidem laboris munus eſſe, ſed non ſemper felicis auſus; ea propter quod viribus addere nequiret, id animis decreuit adimere; nè potētiſſimum Regem proſperiſque ſucceſsibus elatum, temerè amplius prouocaret, quem poſtmodum concitatum ferre non ſufficeret. Neque enim petulantię aut procacitatis aculeus; ſed prudentia eſt ſani conſilij obſes Sapientum iudicio. Et ſanè id ſtudij minus fortè probaſſet germanus de quo ſuprà; framea ſcilicet Martis potiuſquam haſta Palladis inſtructus; ſed ſpernere tantum potuiſſet, non etiam culpare vel dānare; ſcitè enim Pythagoras, cunctipotentem Deum, nō tam validum ac fortem, quam *Sophon* appellauit, ideſt Sapiētē. Et quinto Iliados Apollini ſceptrū attribuitur aureum, quod ſymbolam dignoſcitur eſſe ſapientiæ, cuius munere ritè Imperia parantur ac retinentur. Quamobrē de Septimio Seuero (is eſt de quo ſupra in geſtis Zilij Vitaliano ſecūdo geniti) illud memoriæ proditum, quod vbi de iuribus aut de optimè adminiſtranda Republica agendum eſſet, totum volebat inter togatos deffiniri, nec quemquam patiebatur armatorum intereſſe concilio. Sin autem quæſtio de re militari oborta eſſet anceps atque grauis, inter bellatorum turmas viros accerſebat litteris excultos, cum ad conſulēdum cum ad deliberandum. Sub-

Vitæ Imper.

ſtitit

ſtitit ergo, tantiſperque declinare ſtatuit Palamedes, donec Magni Caroli aduẽtu Deſiderius ſubactus eſt, Regnumque illius contritum. Tunc enim ipſe quoque Patauium reuocatus, reddita illius bona, gratijsque & honoribus auctus eſt ab Auguſtiſſimo Frãcorum Rege, quem etiam Romam vſque commitatus legitur, dum ad ſuſcipiendum Imperij Diadema pergeret. De eo præter memoratos, Ongarellus quoque necnon Pigna ac Dãdolus ſcripſerunt. Palamedi huic ſucceſſit. *Auctores.*

IVSTINVS ſecundus, cuius ætate vaſtationibus, cladibus, gemitibus, malorum iliadi finis imponi viſus eſt, ceſſiſſeque tempus nubilum, & primæua Italię reddita ſerenitas. Quare Principes, Proceres, & Optimates, ac inter primos Vitaliani ſeipſos collegerũt: nec ſecus atque grauati pluuia flores ac penè decidui, ad nouæ lucis radios erecti ſunt. Fuit is niuea ſinceritate candidus: eximiuſque cultor eius probitatis qua vera felicitas comparatur. Cumque oppidi Boſchi, Boionis, Sancti Angeli, ac Sancti Hilarij dominaretur, ipſum Sancti Hilarij Pagum pietatis ergò pro cõſtruendo Cœnobio Monachis dilargitus eſt. Quod poſtea in magnificum opus, inque ſummam excreuit venerationis celebritatem: nonnullique Venetiarum Duces pro magno habuerũt illic tumulari. Sedenim procedente tempore ſtagna circumiacenteſque lacunæ aerem corrumpentes, ſtationem inſalubrem effecerunt cælumque noxium; quippè aereum ſpiritum per ſingula ſorbemus momenta: iſque vbi attractus eſt, è veſtigio totum ſe diffundit in corpus, XXI.

nam

nam pars euolat in Cerebrum,& animali ſpiritui permiſcetur. pars à Pulmone hauritur, quæ deriuatur in cordis ſiniſtrum thalamum iungenda vitali ſpiritui, pars ex deglutitione abripitur in Ventriculum, vndè in Epar fertur,& illinc per venas diſtribuitur; ex quibus fieri nequit, vt non ſuis imbuat qualitatibus ſpiritus tenuiſſimos & immutatu facillimos, humoreſque ob mollitiem alterationi obnoxios, plurimum & continuo alliſu inhæreſcendo, ipſas etiam ſolidiores partes ſua corruptione inficiat ſenſimque interficiat. Quapropter Monachi inquilini Cæli grauitatem minimè ferentes, Venetias ad Diui Georgij ędem cōmigrarunt. Vxorem habuit Iuſtinus nomine *Iuliam*, honeſtate ac ſuauitate morum eximiam, quæ marem illi peperit ac fœminam vocabulo *Adrianam*, venuſtate pariter ac modeſtia præditam ſingulari.

Hæc collocata eſt in matrimonium Ioanni Gradenico. Petri quartidecimi Venetiarum Ducis filio. Verum parum fauſtus parumque felix extitit eius coniugij exitus: nec hominum expectationi reſpondit. Etenim tantum num epulis nuptiali hilaritate Regificoque luxu expletis, ingenuus iuuenis ſponſus ipſe, Claſſis quam Veneti aduerſus Saracenos ſexaginta Triremibus inſtruxerant, Ductor cum Imperio renūciatus nauigare cogitur, relicta Coniuge prægnante. Cui cū rumor attuliſſet, ingentem à Barbaris, Venetorum nauibus illatam cladem, Virumque ſuum enectum; tantum ex eo nuncio doloris hauſit, vt ipſe ſolicitudinis angor abortum illi afferret: planèque moleſtia conficeretur. Acquieuit tandem Dei beneplacito:

mun-

mundanæque felicitatis inconſtantia deſpecta, religioſarum Sanctimonialium habitum ſuſcipiens, reſiduum vitæ in vigilijs ac ieiunijs ſanctiſſimè traduxit. Quod Chronica tradunt Sanſouini & Andreæ Danduli. *Auct.*

Quam fallax, quam breuis, quam deceptiua Mundi huius gloria cenſenda, cum Theologi ſæpè ac Philoſophi integris deſuper cōſcriptis voluminibus prodiderint, in VITALIS Vitaliani caſibus perſpicuè: ac velut in Geographica tabula vulgò *Carta di Appamondo*, cōſpicitur perquam dilucidè expreſſum. Is Iuſtino ſecundo ac Iulia genitus, animi vigore atque conſilio pollēs, formæ decore, ingenij præſtantia & perampla ſtabilique exiſtimatione conſpicuus, cum ſororem Adrianam Venetiarum Principis filio copulaſſet, quod ei omnium opinione ad ſummum honoris & diuturnam felicitatem contingere debuerat, ingentem calamitatem, atque extremum propè parauit exitium. Heu quam pronum cum eiulatu clamare. O ſummas rerum humanarum viciſſitudines: ſententiæque diui Cæcilij vltrò ſubſcribere, vbi de Mundo inquit, quod arridet vt ſæuiat: blanditur vt fallat: extollit vt deprimat: illicit vt occidat. Quidam ſapiens Mūdi proſperitatem Hyemis ſerenitati: Maris tranquilitati: Lunæ comparauit mutabilitati. Et Solon Salaminius Crœſo Lydorum Regi ſe beatum iactanti: intrepidè reſpondit, neminem felicem dici poſſe dum viueret, cum temporum varietati ſubiaceret. Cuius ſententiam Rex quidem irridendo excepit; ſed tandem vel inuitus veram expertus faſſuſque eſt. XXII. S. Cyp.

Scripſit

tar. Scripſit & Chæroneus librum de Romanorum Fortu na,in quo de illius poteſtate, cultu ac Templis egregiè (vt ſemper) diſſeruit,multorum præſertim exempla referens, qui eam meliorem ſecundioremque experti fuiſſent: notanter de Octauio Aguſto memorãs;precatũ ſcilicet á Dijs Scipionis fortitudinẽ, beneuolentiã Põpei,ſed Fortunã Cęſaris;ipſa enim cũ alijs quibuſdam aliquandò quidem plurimum indulſiſſet, adque ingens decus euexiſſet: eos tandem deſeruit, vni tantum Caio ſeipſam ſeruans. indèque pronum elicere quibus ludis,ſeù blandimentis humana omnia verſare, & commiſcere delectetur. Quam rerum omnium maximarum victricem nũcupat, ſubdens eandem Romanis Fortem. Viſcatam, Muliebrem, Reducem, Victricem, Primigeniam, Obſequentem, Mammoſam,& alijs titulis compellatam. Vbi etiam aſſerit eandem traiecto Tyberi,depoſitis Alis, exutis Talaribus, amota inſtabili & veſtigia fallente Rotula vel Pila; ita Romam ingreſſam; quo indicaret ſe illic conſtanter permanſuram, nec aliò deinceps abuolaturam. Ad illud forſan alludens, vbi Poeta eam de Romanis inducit loquentem.

Virgil. His ego nec metas rerum,nec tempora ponam,
Imperium ſinè fine dedi.

In nomiſmate Septimij Getæ,Domitiani, & Antonini Pij Fortunę Icon exculpta cernitur Pilæ inſiſtentis acuſſo Temone vel Clauo quo regimen denotatur, eoque in Dextera; quia ei poteſtatem tribuerent negotiorum penè omnium quæcumque mortales gererent; In ſiniſtra verò Cornu Amaltheæ, quod bona

& com-

& commoda ab ea proficiſci crederentur; indè enim diuitias & opes *Fortunarum*, vocabulo vſu receptum exprimere. Smyrnei autem finxerunt ipſum quoque Cælum Fortunæ capite fulciri. quæ cuncta fermè etiã apud Pauſaniam reperias. Plinius verò ad Veſpaſianum Cæſarem, Toto Mundo, & locis omnibus, horis ac vocibus Fortuna ſola inuocatur, vna nominatur, vna accuſatur, vna agitur rea, vna cogitatur: ſola laudatur, ſola arguitur, & cum conuitijs colitur: huic omnia expenſa, huic omnia feruntur accepta: & in tota ratione mortalium, ſola vtramque paginam facit. Sed de hoc ſatis. Eo Venetæ Republicæ Duces ijs temporibus creuerant exiſtimationis ac potentiæ, vt nedum Primarij ac Dynaſtæ, ſed quique Principes ac Toparchæ præſertim Itali, pro magno ducerent, ſi cum eis affinitate iungi daretur. Donec iuſtis quibuſdam de cauſis Patrum animos mouentibus, totius Reipublicæ decreto, idipſum de conſuetudine ſublatum eſt, & lege lata vetitũ. *Pauſan.* *Plin.*

Sergio ſecundo in Apoſtolica Cathedra ſedente, Lothario Romanorum, Theophiloque Græcorum ſceptra tenentibus, anno partæ ſalutis octingenteſimo quadrageſimo ſexto, quidam Saracenus Afer Pyraticam exercere ſolitus, vocabulo *Sabba*, occaſionem arripiens è diſſidijs mutuiſque altercationibus Regum Chriſtianorum, copioſa coacta Nauium, Triremium ac Myoparonũ multitudine, Italica littora appulit, Hydruntumque & finitima loca, rapinis, cædibus, flãmis deuaſtauit. Quod ęgrè ferens Conſtantinopolitanus Imperator, clarum ſtrenuumque

que bellatorem Theodoſium aduerſus eum dimiſit cum claſſe validiſſima, accitis etiam Venetorum ſuppetijs, qui ſexaginta Triremes auxiliares eo deſtinarunt vti prædictum. Ioanne autem Gradenico naualis exercitus præfecto ad præliandum exeunte Vitalis nequaquam ſibi ſubſiſtendum, duxit, ſiuè quia generoſum adoleſcentem recens inita cognatione propinquum comitari honorificum, ſuaque potiſſimum intereſſe reputaret; ſeù quia ſtimulos ei admoueret, præcordiaque titillaret ipſe armorum fragor & ſtrepitus, in quibus maiores ſui nunquam ſe exercere deſijſſent: eaque ad poſteritatem tranſmiſiſſent ceù peculiaria ſtudia (quemadmodum & magiſtra conflictuum buccina cum deſides ac inertes terreat, cordatis animos addit, excitat & accendit) alacer ſe cognato adiunxit comitem, maximè cum paullò antè maſculina prole eum vxor ditaſſet, cui & *Philippi* nomen indiderat. Secunda itaque aura flante itum eſt, atrociſſimèque depugnatum vtrinque; verum ſecus atque Chriſtiani optabāt rei ſucceſſit euentus; inualeſcētibus ſiquidem barbaris, Greci ſimul ac Noſtrates affatim diſiecti ac trucidati ſunt, in quibus Ioannes, ipſeque Vitalis obtruncati. quæ res cum ingenti mœrore Chriſtianos Principes affeciſſet; tumuerò me tum adeò vehementem incuſſit, vt conſternatis animis, vnuſquiſque in tantum ſibi timeret vt conſilio etiā deſtitueretur. Infideles enim Fortunæ quæ fida comes eis adeſſe videbatur fauore vſi, Anconam extēplò cum adiacentibus Oppidis diripuerunt, vaſtarunt, flammis exuſſerunt. actumq; erat de Italiæ Impe-

pe-

perio, ni dominus conterens bella propitiatus ſubueniſſet; nãque vbi humana auxilia defecerunt, ipſe nomen ſuum inuocantibus opem tulit, immiſſa aquis tempeſtate adeò immani, vt confli&antibus ventis, Rates inuicem, vel ad rupes colliderentur: & cõtinenter intumeſcente procellæ ſæuitia, paucis in Africam ſubductis, reliquæ naufragio, vel præfocatione breui temporis ſpatio interirent. Sic & olim Regem Aſſyriorum quo Iſraelem ſuum cohercebat, Deus noſter *Virgam furoris ſui* appellauit penes Eſaiam cap. 10. ſimilitudine forſan (vt aſſeritur) beneuoli Patris aſſumpta, qui poſtquam filium errantem corripuit ac verberibus caſtigauit, virgam confeſtim effringit proijcitque combuſtum. Cur autem prius deleri ſiuerit fidelium pugnatorum cateruam in eius nomine congregatam: cur tradiderit perimendas beſtijs animas confitentes ſibi; minus fortè in eo confidebant: aut de proprijs viribus nimium præſumebant. De Diagora Melio Græci ſcriptores tradunt, quod cum ſibi denegatũ fuiſſet depoſitum quod fidei amici crediderat: & nihilominus videret eum rem ſuã proſperè feliciterque agere, ſcripſit, *ſi Deus eſt, eum oportet ſummè bonum eſſe, & malos punire,* quamobrem de Ciuitate eiectus eſt, tamquam de Deo dubitaret: *Atheoſque* appellatus, ideſt ſinè Deo. Verum iudicia Dei etſi frequenter occulta ſunt; nunquam tamen iniuſta; ſæpè etenim quędam facit, quæ noſtro ingenio minus quadrare videntur; quæ tamen ille ſua æterna ſapientia alios longè vtiliſſimos, licet nobis incognitos ordinauit in fines, eliciens ex eis ampliſsimam bonum atque

vberrimam frugem. Cęterum diuinorum iuditiorũ proceſſus ſiué executiones operum, quemadmodum emanationes rerum, ſi quis inueſtigare attentet, nihilo feliciori exitu enitetur quam qui Babylonicam Turrim extruere cogitarũt, littoralemvè arenam dinumerare; imò eo magis deficiet, quo ſibi profeciſſe videbitur; cum Angelicis quoque ſpiritibus inacceſſibilia ſint. Quis diuinæ miſerationis ſufficit nudare cauſas? Quaſi arbori euulſę abſtulit ſpem meam, dicebas Iobus; ſed etiam ſi me occiderit ſperabo in eum.
S. Aug. Arcana autem Dei curioſè indaganti Auguſtinus noſter conſulit, Nè quæras de profundo, nè cadas in profundum. Et Paulus, quis (inquit) cognouit ſenſum domini? Rom. 11. Mortalibus cunctis imperuius & occultus diuinorum iudiciorum aditus, & callis ille lubricus vſque ad lapſum.

Diù ſanè Dea impotens pro aſſueta libidine, infe-
XXIII. ſta iacula in PHILIPPVM contorſit Vitalis memorati vnigenitum; vix enim bimulus Parente orbatus, multum detrimenti in bonis, ac re familiari à Tutoribus & curatoribus perpeſſus dignoſcitur. Cum verò adoleuiſſet ſatageretque rerum ſuarum: Eccè Hunni ad Italię diuitias ac delicias captandas inhiantes, iterato inundarunt, vniuerſamque populabundi peruagati ſunt, ac Marchiam Taruiſinam præicpuè, non tam hoſtiliter quàm inimicè, rapinis ac incendijs omnia complentes, ſed verius exhaurientes: nec quidem ab eſu humanæ carnis ſe cohibentes: & minimominus ipſa Venetiarum Regia potiti. Horum effreni audacia, vel potius efferata rabie, pluſquam dici fas

ſit,

ſit, deſolatis, euerſis ac concrematis Vitalianorum opibus ac fortunis, vnum ſuperfuit incolume Caſtrum Boſchi, quod iampridem ab huius Philippi tritauo, Maximo ſecũdo, Pauli pariter ſecundi filio, Mœnibus, Vallo ac Turribus fultum retulimus. Illic morari ſtatuit Philippus; quod nihil vereretur Barbarorum conatus munitiſſimam arcem peruaſuros. Et quidem illi non ſemel applicuerunt, Caſtra admouerunt, oppugnaueruntque validè admodum, Sed validius repulſi ſunt. Siquidem Philippus nefarijs eum ad prælium prouocare nitentibus, obſtructas Portas muniтaque defenſoribus Mœnia obijciens, ſalubri patientia furentium impetum frangebat eludebatque; Quamobrem ſpe deiecti ipſius ad pugnam eliciendi: Fortallitijque ineſpugnabilis obtinendi, indignabundi frementeſque, ad vicinas terras diuertebant, in quas congeſtum rabiei virus effunderent. His fuit rerum ſtatus ea tempeſtate; donec agente Berengario qui Mediolani Vicarius Imperialis reſidebat, accepta pecuniæ ſumma, ſub quibuſdam conuentionibus paciſcentes, in Pannoniam locupletes repedarunt. de his latius videas apud Chronographos, quotquot eius ſeculi monumenta conſeruarunt. Philippus autem in ſtudium incumbens reparandæ rerum ſuarum iacturæ; Oppidanos primum qui præ metu aufugerant ad propria reuocauit, mox ex agro Bononienſi atque Romandiola, nouos accerſens inquilinos, Prædia excoli, Vineta plantari, arboribus arua veſtiri ſedulo curauit; vnde breui priſtinos cum incremento reditus percepit. Demum ætate ſatis adfecta, viam vniuerſæ

carnis

carnis ingreſſus eſt ſuccedente ſibi vnigenito.

XXIV. MATTHÆO nuncupato, in quo nihil deſideraretur eorum quæ ingenuum heroem, & equeſtris ordinis virum, ſtrenuumque bellatorem decere putantur. Quiputa inter certamina velut enutritus, non tam pręceptionibus, & (vt aiunt) habituali Theorica, quam experientiæ magiſterio apprimè didiciſſet, artẽ militarẽ magnanimorũ diſciplinam eſſe, opificem triumphorum, prouinciarum domitricem, dominatricẽque; ſicut primò Meridionalis huius faciei obtutu per nos delineatum occurrat. Hunc Petrus Candianus Venetiarum Dux, non tam iure familiæ (nimirum Candianos ac Vitalianos vno eodemque Proſapiæ fonte manaſſe; Maximo ſcilicet Vitellio, prætactũ in Stylobatæ iſtius Baſi) quam virtutis merito, Generum ſibi delegit. Cumque Senatus Venetus arma pararet in Lauterium Marchionem, qui ſibi Liburniæ quam *Iapygiam*, vel *Iſtriam* dicunt, dominiũ vſurparat: merceſque & commeatus intercipiens violẽter detinebat, quominus Venetias aduehi poſſent, Matthæum ipſum claſſis Ductorem: exercitusque Imperatorem deſignarunt. Qui cum eo acceſſiſſet copiaſque produxiſſet, Marchionem his affecit incommodis, ac in eas redegit anguſtias, vt planè deuictum conditiones prohibito Republicæ ſuſcipere cogeret. Matthæum victricia ſigna referentem, omnium ordinum excepit applauſus. Poſſedit ipſe terras Boſchi ac Sancti Angeli. de quo ſimul ac Vitali Patre mentionem habent Sanſouinus, Dandulus, ac Sigonius. Hic filium genuit vocabulo.

Auctor.

ALE-

ALEXANDRVM ſolertiæ atque fortitudinis ſuæ viuens ſimulacrum, cui cum Alberto Eſtenſi mira interceſſit neceſſitudo: ſæpiuſque animi cauſa, ſiuè ad popularem gratiam, multo iuuentæ feruore alacres, aduerſis haſtis concurrendo ludebant: variaſque belli imagines effingebant: & robuſtos ac geſtandis armis habiles artus, Equeſtribus præſertim ſpectaculis oſtentabant, cum Patauij ac Ferrariæ, tum & Venetijs. Cumque Albertus in Germaniam profectionem adornaret ad Othonem quartum Cæſarem, gratias acturus quod ſe *Marchionis* titulo atque inſignibus decoraſſet, Alexandrum quem arctiſſimo amoris vinculo complectebatur, itineris comitem habere cõcupiuit, inuitatumque ac volentem ſecum adduxit. Forté bellum tunc inſtabat Imperatori, aduerſus defectorem Arnaldum Daniæ Regem, qui Saxoniam hoſtiliter inuaſerat. Albertoque Marchioni ſues vices commiſit, ipſum Imperiali exercitui cum poteſtate præficiẽs. Is verò neminem præter vnum Alexandrum ſibi cohærentem ac Vicarium deligendum conſtituit; cui ſcilicet ingentem ad præclara facinora ineſſe noſſet animum: animo par conſilium: nec conſilio vim deeſſe, aut artem ac induſtriam, quibus ad cuncta ſemper promptus ac paratus exiſteret, difficultatemque rebus gerendis adimeret; in ſumma admirabilium militiæ operum magiſtrum & auctorem. Ierunt igitur ambo: eamque Imperatori operam nauarunt, vt Rex perduellis minimè ferendo eſſet eorum robori; breui enim eum intercluſerunt ac profligarunt: ipſiuſque audaciam penitus contuderunt. Nec ſatis viſum eſt XXV.

illum

illum Saxonia exturbaſſe; niſi Daniam quoque irrumpentes, hoſtem poſt datas defectionis pœnas, in deditionem venire, Cæſaris imperata perficere, & in bonam frugem redire compellerent. Quodque vix mulmulto tempore Imperator effici poſſe crediderat, id ad paucos dies incredibili felicitate ipſi confecerunt Quibus egregiam ſanè laudem conſecutus Alexander, meritis onuſtus in Italiam rediјt; tandemque valdè longæuus diem obijt, Natis tribus poſt ſe relictis, ex quibus duo priores, Gaboardus videlicet atque Ianus, immatura morte, ſed verius ſubitaria velut ruina obruti ſunt. Nam cum Adriatici bellum Venetis inferre meditarentur, prius irruptione facta nonnulla eorum ſimul ac fœderatorum locavaſtare aggreſſi ſunt, potiſſimumque Boionis oppidum inuadentes, vniuerſos eius incolas protinus ferro adorti peremerunt, in quibus & illuſtriſſimi Adoleſcentes enecti. Tertius ſuperfuit, de quo narrabimus, ſi colophonem Tertio, huic libro prius appoſuerimus, ab Auſtrali ad Occidentale Stylobatę latus contemplandum diuertentes. Suprapoſita verò collegimus cum è manuſcriptis, *Auct.* tùm ex Chronico Veneto & Baptiſtę Pignæ, necnon Andreæ Danduli.

Hæc de Meridionali.

Illuſtriſſimo Domino ſuo Colendiſſimo,

COMITI
FEDERICO DE RVBEIS,

D. Baſilius Serenius,

Bonum quod præſtat omni bono.

EXtat in conſpectu Palatij ac præ foribus Aedium quas ſplendidè admodum in hac Regia vrbe, excipiẽdis familiaribus atque amicis continenter patere iubes: quæ et magnificentiam tuam indigenis proloquuntur & aduenis, Parochialis ſub diui Præcurſoris inuocatione, haud quidem ſtructuræ ſchemate adeò inſignis, inſolenti verò nuncupatione valdè conſpicua; communi nimirum & vernacula appellatione S. Gio. Quattro Facie *ſolita vocitari; quod inibi Fanum Iano extructum monumenta indicent: repertumque deinceps ab effodientibus eiuſdem ſimulacrum, vultu quadruplici (notum quippè eum non modo bicipitem effingi conſueſſe, quod præterita noſſet ac futura: ſiuè quia vera intelligeret, ac iuſta operaretur; Verum et quadrigeminum; quia quatuor Anni qualitates, totidemque contueretur Mũdi plagas. Sed verius quoniam fallacium Deorũ plurimi, ſceleſta erubeſcendaque perpetrando, frontem amiſiſſent, is quantò innocentior, tantò frontoſior appareret) exiſtimarim proindè Quartum hoc*

 Elo-

ElogiorumVolumen vel ex eo humanitati tuæ haud prorſus fore iniucundum; quod etiam apud ampliſſimæ ditionis tuæ Oppida degenti, inſcriptionis huius titulus, Mediolanenſem Domum tibi reuocaret in mentem. Sed quid materiale ædificium memoro? Imò præclaram Domum; ideſt Familiam, cum qua et iam pridem Guido ille tuus Berzeti Comes, Venetorumque Exercituum ſupremus Ductor, ac meritorũ teſtificatione inter Sereniſsimæ Reipublicæ patritios cooptatus, arctiori affinitatis nodo iunctus fuiſſe noſcitur; Ambroſina ſcilicet Co. Philippi Borromæi, Ducalis Conſiliarij filia in vxorem ducta; & tu ipſe iterato nexu copulatus, Eliſabella Renati Comitis Cataphractorumque Ductoris tibi deſponſata. Nec quidem eſt cur Occiduum *hunc Stylobatæ proſpectum tibi offerens, Vulnus refricare verear, quo præcox dilectæ Coniugis* Occaſus, *dudum præcordia tua ſanciauit; Eſto enim cuius vita tibi cara fuit, eius mors nequierit non grauis videri ac permoleſta; mihi tamen exploratum ac omninò perſuaſum, ea animi firmitate inſtructos Illuſtres de* Rubeis, *vt nullo ſe ſinant impetu concuti, nullo euentu de rationis arce deijci poſsint. Id cum plurimi gentis tuæ Heroes ſtrenuiſsimi comprobarint, quibus* Rubeorum *cognomen inditum, velut ſanguineis riuis terræ glebas, ſeù fluuiales vndas cruore occiſorum rubricaſſent, tum uerò Orlandus*

ille cui per tot annos, ſummus Parmæ Magiſtratus non tam aſcriptus, quam ex eius ſingulari ſapientia deſcriptus fuiſſe noſcitur: et eiuſdem proles Bernardus, copiarum ſupremus Moderator, cuius ſolertia, Imperialium ac fœderatorum phalanges non modo ſpe victoriæ fruſtratæ, ſed Victoria *munitione pulſæ, ac ſpolijs exutæ: ipſeque Cæſar Federicus, tam fœdè fugatus & Regni corona priuatus: Patriaque obſidione ac metu ſoluta memoratur. Sed quia non hic locus Catalogo.*

Idem propalam refert intrepidum Animal, quod præclaro ſtemmati inſculptum geritis; nempe LEO, cui ſacra vſque adeò eloquia teſtimonium perhibēt, quod fortiſsimus beſtiarum ad nullius paueat occurſum: quique inter quadrupedes, non ſecus ac Palma inter Arbores, inter Lapillos Adamas, inter Aues Gallus, Mars inter Sydera, virtutis bellicæ Emblema conſtituitur. Hæc mecum reuoluens Excellentiſsime vir, hærebam anceps nè importunè nimis papyraceam ſcriptitationem Principi Rubeo attitulare cogitaſſem, qui naturali quodam vel potius fatali inſtinctu magnanimæ ſtirpi congenito, in armorum vſum propēſus, Herculis diſciplina vnicè delectari crederetur. At uerò Scutum ipſum meditatius intuitus, timorem penitus depuli; In eo enim quod Leonem *erecta ſtatura illic Auctores pinxerunt: tinxeruntque niueo colore (qui eſt fidei &*

veritatis, iuſtitiæque ac temperantiæ ſymbolum) eximijs proſapiæ tuæ virtutibus ac prærogatiuis exprimendis, intellexi affabrè concinnatum; Sed quod nunc intereſt; Dum Cæruleo ſpatio locarunt, & per id Cælo applicare viſi ſunt: quaſi candore ſuo lucem figuret Phœbique nitorem, cum Zodiacum circulũ permeans, Leonis *ſignum perluſtrat, illud patenter docuerunt, quod perindè atque Sol tunc intenſiori feruore radios vibrans ac feriens, mox remiſsior ſentitur ac lenior; ad Virginẽ ſcilicet Libramque digreſſus; ità præcisè inclyta Familia, cum pridem ſæuientibus præliorum turbinibus, acrem ſe præſtitiſſet ac violentam; reſtinctis poſtmodum diſsidiorum facibus, nequaquam ſe pacis impatientem, aut tranquillitatis indocilem exhibuit; quin magis Concordiã obuijs vlnis excepit totoque deoſculata eſt affectu. Et nunc potiſsimum, cum Deo beneuolente, ſublatos gaudemus conflictuũ tumultus: et* eliſa bella*torum ſpicula: contritos arcus, combuſtumque proiecta: otio (negotioſo tamen) potita iucundiſsimo, neque à Muſis, neque à Charitibus ſe abhorrere prodit. Quod cum ex eruditione tua perſpicuum: tum ex ingenuorum Co. Petri Mariæ atque Troili; imò & Herſiliæ iunioriſque Eliſabellæ doctrina ac meliorum artium peritia diſcere licet. Ex quo igitur non adeò inſulsè Borromæorum iſtud Elogium tibi adſcribens, et Stylobatæ proſpectum Occidentalem*

no-

nomine tuo conſignans, Veſperum aut Serò, Rubeo admiſcui ſiuè perfudi, quis præſagitum non agnoſcat fore, vt felici vtrique familiæ, Mane adhuc illuceſcat ſerenius? Quod faxit Deus.

AD EVNDEM

GENEROSVM COMITEM,

P. BASILII ALAMANNII THEOLOGI.

DEductum à Proauis, Atauisq. hic nobile ſtéma,
Et Borromææ ſemina gentis habes.
Claret ſtirpe ſua, at quantum virtute coruſcat,
Atq. animi creſcit nobilitate genus?
Maiorum Federice legens facta inclyta, dices,
Quam nitet iſte toga, quam micat ille ſago?
At te ego reſpiciens, moresq. quid ominer, audi
Quam clarum hos inter reſpiciere iubar?

Lectoris, Don Clementis Ferrarij Mortarien: Cler. Can. Sal. Lat.

LAurigeris cui plena domus Federice triumphis,
Cuiq. cruentato manat ab hoſte rubor.
Cerne parem factis, & multo ſtemmate gentem,
Quam ſacrat æternis penna diſerta notis.
Scriptor, cui ſcribit, quod ſcribitur, vndiquè clarent:
Stipite de triplici mutuus exit honos.

AD

AD EVNDEM
ILLVSTRISSIMVM COMITEM,
BENEDICTI SOSSAGI.

Epigramma.

QVÆ vacuas ramis felicibus exit in auras,
Et vaſtam felix Arbor opacat humum,
Pullulat è priſco radicem Antenore ducens,
Lætior Inſubribus nunc ſoboleſcit agris.
Hic proauos Reges, Diuos complexa nepotes
Sublimi cælum vertice pulſat adhuc,
Hæret adhuc, quamuis concuſſa furentibus Auſtris,
Et latè populos illius vmbra tegit:
Tu metire oculis cognatæ ſtirpis honores:
Pars eris illius, pars erit illa tui.

ELOGII

LIBER QVARTVS

STYLOBATÆ FACIES ad Occaſum.

PRæſtantiſſimo merito, & lætis fauſtiſque auſpicijs CAROLVS inter XXVI.
Alexandri filios natu minimus, propagandæ autem lectiſsimæ ſoboli ſingulati Dei beneficio Adriatica internecione ſeruatus, in hoc latere quod ad Occaſum vergit primus ſe offert, in quo palam eſt quam præcisè & ad litteram, iuſtificetur in ſermonibus ſuis fidelis & verax, qui licet alio ſcopo Mar. 10. prænũciauit fore, *vt eſſent nouiſsimi primi*, Sed quid dico *primus ſe offert*? cum diuiſio eiuſcemodi ex facultate & arbitrio noſtro in totum pendeat? Certè enim licuerat excelſæ proſapiæ ſeriem ſtylo continenter ſequenti proſequi, ni ſecuiſſe in fruſta libuiſſet, ac in libros diſtribuiſſe. Quare & quempiam vereor ſuſpicatum ire, quod dũ ſtructuram in magni CAROLI gratiam molimur, alium Carolum data opera caput adhibuerimus anguli; maximè cum præter ea quæ de ſuauibus & concinnis nominibus, de mente Sapientum per nos in primo ac tertio libro relata ſunt, Conſtantinopolitanus etiam Doctor, Homilia vigeſimaprima, & Hipponenſis, de Ciuitate Dei, lib. 6. cap. 2. & Plato lib. de Sapientia. & Iaſon l. 1. num. 13. ff. de legibus alleg. Io. Andr. in c. Grauis. de depoſito, & Marſil. in prac-

S. Io. Chryſ.
S. Aug.
Plato.

tica

tica criminali. §. expedita. num. 52. multum ſonoris gratioſiſque nominibus tribuant, ſed notanter Iacobus de Sancto Georgio tract. de Feudis in princ. num. 2. extollit hoc nomen *Carolus*. Quamobrem ex his, aliquis fortè opinabitur, hunc à nobis ſtudioſè reſeruatum; vti nomine etiam clariſſimo vniuerſæ præluceat Occiduæ huic faciei, quandoquidem *Carolus*, ſi ab etymo expendatur, *cara lux*, perquam appoſitè exprimere deprehendatur. Imò inquam, *occurrit ſeque offert*, nec quidem conſultò accitus, ſed felici omine potius obueniens; neque enim pro libito inclyti ceſpitis germina in hiſtoricam ſtylobaten compingere fuimus adorti; verum ipſa rei ratione id exigente, rationibus pro ima Baſi ſeu Fundamento adductis. Decuit porrò quadratam extrui; ſcilicet quaternarius numerus perfectus cenſetur & parium præcipuus: figuræque quadrangulari primas ſemper tribuerunt ſapientes Architecti, & principatum citrà controuerſiam in collocatione ædificiorũ, quia ipſa firmior exiſtimetur & cõſtantior; Cubus quippè in quamcunque partem incubuerit, immotam ſtabilitatem habet, ſemperque ſui ſimile eſt. Hinc Mercurio quem veritatis Deum ſibi confinxere Gentiles, *Plato.* quaternarium quoque conſecraſſe, auctor eſt Plato. *Pauſa.* Græcique notanter, vt tradit Pauſanias, quadrangularem figuram in Mercurij ſigillis vſurparunt, indèque mos inoleuit, Mercurij ſtatuam ſuper lapidem quadratum locandi paſſim aut effingendi, ad ſolidã conſiſtentiam denotandam; quatenus innoteſceret, veritatem firmam eſſe opportere ac ſibi coherentem

&

& vndequaque incōcuſsā. Quemadmodū verſa vice, Deę mendacis incōſtantia, apertè ſatis notari reputatur, ſi inter irrequietos marinos fluctus altero tm̄ pede volubili pingatur globo innixa, iuxta Poetæ dictū

Verſatur celeri Fors leuis orbe rotæ.

Quod ſi Apelli Fortunam ipſam ſedentem effingere placuit aliquandò, nequaquam ob id improbandus; etenim cauſam ſciſcitanti reſpondit. *Quia ſtare loco nequeat*, lepidè admodum bifaria verbi ſignificatione pro ſale vſus, *ſtare* namque dicitur nō ſolum erectus, & qui plantis nititur, ſed & qui immobili firmitate conſiſtit. Adhæc cum æquilaterum eſſe deceat ipsū Quadrangulum, tum propter perfectionem, conteſtante Quintiliano quod, *Quicquid formæ quadrati detraxeris amplitudini quoque peribit*, tum propter ſignificationem; Suidas enim Hieroclem Philoſophum refert dicere ſolitum, Socratis diſputationes ſimiles eſſe Teſſeris, quia erectæ ſemper ſtarent vtcumque cecidiſſent. Ariſtoteles quoque primo Moralium Hominem *Tetragonum* appellauit, cuius omnia ita rectis angulis includerentur, vt nihil de ipſorum lapſu, aut inconſtantia timendum eſſet. Quadrata igitur per omnia eſſe debuit eximij Coloſſi Stylobates non propter ſtabilitatis firmitudinem tantum; ſed quia mira in Quaternario numero vis, ſumma in eius intellectu myſteria. quippe maximum quodque Dei opus eo numero commendatur, imò conſtat; vt patet in Elemētis, in Mundi partibus, in Anni temporibus, in conſtitutione humorum temperātium humanum corpus, in Moralibus virtutibus totum hominem di-

Tibul-lus. *Quin-til.* *Suid.* *Hierocl.* *Ariſt.*

rigentibus, & eiuſmodi, & hinc eſt quod intellectus noſter per hæc quæ facta ſunt ad Conditoris cognitionem aſſurgens, & ex veſtigijs Deum inueſtigans, *Tetragrammaton* appellauit; nam cum ille poſuerit tenebras latibulum ſuum, lucemque habitet inacceſſibilem nulli peruestigabilem creaturæ, quæcumque de eo affirmatiuè enunciantur, nequaquam eius naturam, ſed quæ eum circumſtant, aut conſequuntur depromunt; nimirum opera quæ de more Scholæ *Ad extra* nuncupamus. Idque ipſemet innuiſſe viſus eſt Moyſi inquiens Gen. 33. Videbis poſteriora mea, faciem autem meam videre non poteris: itemque, oſtendam tibi omne bonum, ideſt, perfectiones creaturis inditas; cuncta ſiquidem quæ fecit, erant valdè bona. palam verò omnia corpora nonniſi ex elemẽtis conſtare. quod etiam innuitur typica illa quatuor fluuiorum emanatione Gen. 2. principijs nimirũ totius (vt dicam) eſſe producti: indèque vſu recepimus, Deum quatuor litteris deſcribere, vel notare, omnes populi, tribus & linguæ, quibus quadruplex pręcipuus indicatur sũmi Opificis effluxus, ſeu virtus importata per nomen quod Gręci *Tetragrammaton*, Pythagoras *Tetractim* enunciat. Vt fons ille primæuus, ſummum bonum denotet ſummè diffuſiuum. Adſtipulatur Moyſes Egyptius (non inquam Propheta Chroniſta, ſed) Rabinus, inquiens, Nomen Tetragrammaton appropriatum eſſe altiſſimo Creatori, ſignificatione perfecta, ac manifeſta, in qua non eſt æquiuocatio neque mixtura; cum reliqua eius nomina æquiuocè ſignificent, & deriuentur ab operibus

Rabi Moyſ.

quæ

quæ ſimilitudinem nobiſcum habent. Et diſertiſſimus Philo in vita Moſis, per quatuor illas litteras, *Entis* nomen indicari innuit. Rectè ergo quintam illam eſſentiam ab Elementorum quaternario affatim diſcretam, quam Natura minimè agnoſcit, oſtẽdimus inutiliter aſſignari pro materia Cęlorum; ipſa quippé omninò aquea comprobatur, vt prętactum in Stylobatæ fundamento. Nec quicquam iccircò de Cælorũ dignitate detrahimus, quos conſtat formæ pręſtantia cæteris corporibus excellentiores, & lato diſcrimine; Materia enim vel ſubiectum primũ ex quo fit aliquid cum inſit, tamquam Mater ſe habet, ſiuè cauſa adiuuans. Id autem indè adhuc patefit euidentius; quia cum triplex à Sapientibus aſſignetur Mũdi conſideratio; Archetypi nimirum, ſiuè Idealis diuinitus ab æterno concepti: Senſilis quem & Elementarem dicimus, vaſtę molis huius, initio temporum productæ: Demum Rationalis qui eſt maioris Epitome (de quibus breuiter ſicut eminenter ſummus expreſſit Theologus, In Mundo erat: & Mundus per ipſum factus eſt: & Mundus eũ non cognouit. Io. 1.) quemadmodum machina hęc ingens, imago perhibetur Archetypi, canente ſacro Philoſopho. *Boeth.*

Pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundũ męnte gerens, ſimiliq; imagine formans.

Imò & Euangeliſta: Quod factum eſt, in ipſo vita erat; certè enim non habuit Deus quicquam extrinſecum, ad cuius imaginem vniuerſum crearet, nec ad alium finem, niſi ſeipſum. Idque præter Sapientum

ſententias indè probare procliue; Quia ſimile, ſicuti natura ad ſimile tendit, ita ad ſimilis notitiam deducit. Quapropter qui ex hoc Mundo ad Dei cognitionem aſſurexerunt, (non dico exactam & abſolutam) haud dubium quod eo ceù ſimulacro vſi ſunt, contemplantes velut per ſpeculum, aut in enigmate. Ecquis non probat Opificis in opere ingenium relucere? quin & opus in ſimilitudine Opifici conſentire: cum exactum apud illum ſeruetur exemplar? Hinc ſacra eloquia. A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator videri. Sap. 13. & Rom. 1. Inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciuntur. Sic Homo perfectiſſimum cenſetur Mundi ſimulacrum; præter id enim quod Saluator Mar. vltimo. *Omnis creaturæ* nomine ipſum expreſſit: quodque Salomen Sap. 10. de eodem teſtatus eſt, *Dedit ei poteſtatem continendi omnia*. Trimegiſtus Hermes lib. de Prouidentia aſſerit. Duplex ab Altiſſimo conſtitutum opus, alterum vt ſimilitudinem ſui, reliquum vt ſimilitudinem ſimilitudinis ſuæ: Illud eſt Mundus maior, complectens quicquid globo continetur corporeo: Iſtud eſt Mundus minor, comprehendens quicquid corpore continetur humano. & alibi idem Hermes de Homine loquens, cum dicit. *Quoddam omne, vel quodam totum in omni*. Pythagorei verò & Platonici eundem deſcribunt *Diuinam quãdam mentẽ omnia metientem*. Vſque adeò Saracenus ille Abdalã, cui vel in media barbarei colluuie, ſublimioris humanæ ſapientiæ radius illuxit, Hominem exiſtimauit, *Super cætera cuncta mirandum*. Sed vt innumera

Mercu. *Abdalam.*

mera eiuſmodi elogia pertranſeam. Ipſemet Ariſto- *Ariſt.*
teles, Hominem appellat *Microcoſmon*, quod eſt Mũ-
di compendium. Veruntamen in hoc Epilogo, ſeu
Breuiario, in Homine inquam, nuſquam veſtigium
reperias eius quinti *Elementi* vel *Eſſentiæ*, corporeæ
(dico] ſimulque impaſſibilis, qualem eſſe ſomniarunt
Cæli materiam. Vno enim eodemque conſenſu cun-
cti Sapientes, homini carnem à Terra: ab Aqua hu-
morem: anhelitum ab Aere: demũ feruorem ab Igne
vendicant; Ingenium autem ſiuè Rationem, à diui-
no ſpiritu. Ergo corpore conſtans inſtar maioris
Mundi, e quatuor hiſce ſimplicibus Elementis com-
pacto, propria forma agitatur: ac vitali ſpiritu collu-
ſtratur incorporeo, paſſibili tamen; quem Ariſtoteles
nuncupat *Entelechiam*. Pythagoras *Harmoniam*. Xe- *Pytag.*
nocrates *Numerum ſe mouentem*. Poſſidonius *Idæam*. *Xenocr.*
Omnium autem optimè Heraclius *Lucem* appellat; *Poſſido:* *Heracl.*
nẽpè quia luci Orbẽ exhilaranti correſpondet; quem-
admodum in Fundamento tetigimus, eo trahentes
dictum dilecti Diſcipuli. *vita erat lux hominum*. Et
quidem varij Philoſophi diſciplinæ Ariſtotelis addi-
cti, illiuſque dogma profitẽtes: multifariam multiſ-
que modis adnixi ſunt titulum hunc, ab ipſo Magi-
ſtro perquã eleganti metafora Homini inditum elu-
cidare, & rei ipſi applicare, eius proprietatis congruẽ-
tiã demonſtrando; nemo tamen Quintum illud Ele-
mentum eiuſuè ſcintillam deprehendit, aut odoratus
eſt; quin potius omnes ex earundem qualitatum cõ-
mixtione; varia tamen conſperſione, vtrumque meti-
ri atque aſſimilare noſcuntur. In primis D. Thom. 1. *D.Tho.*

par. q.91. art. 1. affirmat eatenus dici paruum Mundum,quia quodammodo ex rebus omnibus compoſitus ſit; dum de genere ſubſtantiarum ſpiritalium, Animam rationalem habet.de ſimilitudine vero Cęleſtium corporum,habet elongationem à contrarijs, propter maximam æqualitatem complexionis; Elementa verò ſecundum ſubſtantiam continet; ita tamen quod ſuperiora elementa prędominantur in eo ſecūdum virtutẽ; Ignis videlicet & Aer; nimirum vita præcipuè conſiſtit in calido & humido; inferiora verò elementa abundant in eo ſecundum ſubſtantiã; alias enim non eſſet mixtionis ęqualitas,cum inferiora ſint minoris virtutis. hęc diſſerit Sanctus Doctor.

Albert. magn. eius veró Præceptor magnus Albertus, aſtruens hominis membra eſſe perfectiſſima,& ſitu vel poſitione Cęlo,ac Mundo conſimilia, eã tradit rationem lib.1. de Animalibus;quia veluti ſuperna Mundi,ab Intelligentia mouentur, ac regũtur; ita Caput humanum in quo virtutes reſidẽt intellectuales, & animales,ſuperiorem obtinet locum.

Iul.Sol. Iulius Solinus eiuſdem rei rationem è corporis figura deſumit inquiens, quod Homo quantum manibus expanſis à longioribus digitis habet latitudinis, tantum conſtat diſtare calcaneum à ſummo vertice. quo fit vt circumuexa ſuperficicie,gyrum orbemque efficiat: & ex conſequenti Mundi inſtar,ſit quędam rerum vniuerſitas ex Quatuor in ſpherę modum conglobata. Chaldei Hominem vniuerſo aſſimilabant,quia variæ eſſet,ac multiformis naturæ. Ioannes Mirandulanus docet omnigenę vitę ſemina,in hominis productione conſita,ita

vt

vt in illo adoleſcant, ac fructificent quęcumque ille excoluerit; nam ſi vegetalia, Planta fiet: ſi ſenſualia, Bruteſcet: ſi rationalia, ritè Homo dicetur, ſi intellectualia, in Angelum ſubuehetur. ſi demũ nulla creaturæ ſortę cõtentus vni Conditori ſuo mundana trãſcendens adheſerit, in Deum transformabitur. Quanta autem plenitudine, atque concordia, omnia in homine conglomerarit ſummus Artifex quęcumque in vniuerſo diſperſa contuemur, Moyſes integerrimus Philoſophus vnico myſterioſo verbo comprehẽdit, Gen. 2. inquiens, Formauit Deus hominẽ de limo terræ, & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, ſiuè vt Hebraicus textus legit, *ſpiraculum vitarum* vtrumq; extremum tangens; vt omnia intermedia includeret, dum ſummum & infimum in eo conciliata depromit; infimum quippè & fęx elementorum eſt terra, ſupremum verò ille qui dicit ego ſum vita, Vitales radios in cuncta diffundens. Si iuxta vulgatam editionem legatur ſingulariter, *ſpiraculum vitæ*, tũc vnica eſſentia innuitur, eius quę tota eſt in toto, & in qualibet parte; ſin verò pluraliter iuxta Hebraicam veritatem, trina eius potentia connotatur; vegetalis ſcilicet, ſenſitiua, & intellectualis. Cuius gratia, vel quia memoria pollet, intellectu, ac voluntate, ternarius illi appropriatur numerus; Compoſito autem quaternarius omninò, ab omnibus, ſemper & vbique, non quia quatuor vitæ gradibus potiatur perfectiori condimẽto, ac ſuauiori conſonantia quam cęteris eius mancipijs impartiti noſcantur; ſed quia è quatuor Elementis compactum, ex quibus vniuerſi ſtructura conſtat.

Cuius

Cuius nimirum figuram contemplatus Ezechiel primo reuelationum capite, per Enigma deſcripſit, ſibi oſtenſam *Rotam in medio Rotæ*, quod dixiſſe fuit, Hominem, machinę iſtius grandis epilogum atque cõpẽdium. Tum iuxta eas Animalia quadrigena, quorum vnumquodque quatuor faciebus extabat, totidemque pennis, ad denotandas Elementorum qualitates in mixto conſitas. Non ille meminit eminentis ſubſtantię cuiuſquam, ſimpliciſuè, aut Quintæ eſſentię; quinimò cũ ſpiritum vitę in Rotis recognoſcat, quę eſt Entelechia, perfectio, ac perennis continuaq; agitatio, nõ tamen eis actum atrribuit ſeiunctum ab Animalium motu, namque ait, ***Cum euntibus ibant, cum ſtantibus ſtabant, & cum eleuatis pariter eleuabantur***. Ioanni itidem, Apoc. 14. totidem oſtenſa ſunt Animalia (etſi non puto eadem) in Sedis Omnipotẽtis medio atque circuitu: tum in conſpectu ipſiuſmet ſedis, tamquam Mare vitreum ſimile chryſtallo. Et in calce ipſius libri Apolypſeos memoratur Fluuius aquę viuę ſplendidus; quemadmodum initio Geneſeos, habetur non ſolum de Fonte aſcendente, ac irrigante; ſed & de Spiritu domini Aquis ſuperlato. Quę fortaſsè ſubodorati priſci Egyptij Sapientes, Aquam conſtituerunt vniuerſi principium. in quo (vt prętulimus in ſtylobatę Fundamento) conſenſerunt Orphęus & Homerus; imò & Pythagoras Italicę, & Thales Mileſius Ionicę philoſophię Principes: & nunc quoque Hieronymus ab Oleaſtro atq; Apolinarius. Cęlum & Terram ex Aqua congeſta comprobant. Cęterum ſupra poſitę enarrationes, diuinitus procul-

dubio

dubio digeſtæ, viderint eruditi quantum ponderis habeant, ad corroboranda ea quæ in Baſi repoſuimus de mente Theologorum; nempè quod Cælum ex eadem ſylua cæſum exiſtimetur, qua & inferiora: vniuerſamque materiam productam ab opifice Tetragrammato, quaternario pariter determinari. Nam & inter Pythagoræ dogmata illud legis penes Naſonem metricum.

Quatuor æternus genitalia corpora Mundus
Continet: moxque;
Quę quamquam ſpatio diſtant, tamen oĩa fiũt
Ex ipſis: & in ipſa cadunt. & cęt.

Quod ſi quis adhuc inſtet, quia nomen Dei noſtri, quod eſt *Ieſus*, penthagrammaton inuenitur, ideſt quinque litteris conſtans: ex quo quintum quidpiam videtur elici poſſe; cum ipſe ſit Verbum per quod facta ſunt omnia, Ars exemplaris, ac Prothotypus totius opificij. Dico quod hoc nihil ad rem, cum littera *Scin* addita, minimè originariam emanationem reſpiciat, aut productionem rerum; ſed Mundi reparationem: & reſpectu Humanitatis aſſumptæ, quod fuit opus peregrinum & diſcretum à creatione Orbis; quaternario (inquam) numero Orbis innuitur creatio: eiuſdem innouatio quinario; quaſi vulnerũ deſignatiuo, quæ præcipuè Saluator noſter dominus Ieſus pro reparatione noſtra pertulit, quorum Cicatrices deuicta morte iugiter in ſuo corpore rediuiuus glorioſuſque retinuit; ex his quippè ſanguis ille viuificus effluxit, qui datus eſt in pretium redemptionis noſtræ, & lauacrum purificans, ſanctificans & emũ-

dans animas ab operibus mortuis. Cuius ſanè figuram cum multa penes Iſraeliticum populum geſſerint; tũ maximè Piſcina illa ablutionis quinque porticus habens, ſanationis ex Angeli deſcenſu vim recipere ſolita Io. 5. Forte & quendam typum inuenias inter Ethnicorum monumenta, referente Luciano, quod Regi Syriæ Antiocho qui dictus eſt *Soter*, Seluciæ filius, paterque Antiochi cognomento *Achios*, aduerſus Galatas prælium adornanti, magnus in ſomnis apparuit Alexander de victoria eum certiorem reddens: monenſque ſignaculũ aſſumere, ac pro teſſera militibus tradere; tamquã pignus, in quo de hoſtibus proculdubio triumpharent: idque verax comprobauit euentus. Symbolum autem ſcribit, Triplicem fuiſſe Triangulum inuicem inſertum, ex quinq; lineis æqualibus compactum, quem Mathematici, à quinque Angulis *Pentagonum* appellant, eique Graijs characteribus id nominis inſcriptũ erat, *SALVS*. Vt videre eſt in æneis eiuſdem Antiochi nomiſmatibus, quæ adhuc extant, ſed hæc obiter dicta. Illud ſeriò attendendum, quod qui initio temporum in Mundi cõſtitutione *Iehouah* ſe nuncupari voluit Tetragrammaton, idem ipſe in temporum plenitudine, *Ieſus* dictus eſt Pentagrammaton. Veruntamen ipſe vnus à quo bona cuncta procedunt: idem primus & nouiſſimus. Obſeruant nonnulli characterem illum, ſiuè litteram Tetragrammato additam, imaginem præſeferre Lampadis, quod eſt vas aptum ad recipiendum oleum, ac ſubminiſtrationem lucis: nec quidem difficulter naturæ aſſumptæ indè hauritur argumentum;

Lucian.

diui-

diuinitas enim in humana carne, Lumē dici poteſt in Teſta: & Sol nube cōtectus. Vt Ezech. 32. Alij aliter Sacramentum excipiunt, concipientes quod ex quo littera *Scin*, hebraicè importat *Dentem*, ad id referendum quod Infernum momordit Saluator. Non vacat ſingula rimari. Pro præſenti inſtituto vnum attendendum; litteram ſcilicet illam additam, in media Tetragrāmato, cōſtitutam ad ſignificandum Naturā noſtram, vndique diuinitate comprehenſam: & non ſecus ac centrum gratijs perfuſam: obrutamque donorum cornucopijs, plenitudine cæleſti vndique exuberante. Quin & ſupradictis addo, quod inter arcana quibus ſacroſanctum illud nomen ſcatere noſcitur, Quatuor etiam Mundi partes deſignat, quas & Omnipotentis Verbum produxit, & eiuſdem Sapientia moderatur, cuius nomini omne curuatur genu: in quo & omnes ſalui fiunt. præter alia quæ ex ſacratiſſimi Pentagrammati ſupputatione, Hebraicarum litterarum ſtudioſi eruunt. Nec iccircò tamen quinarius rectè adaptatur ſubſtantiæ, ſeù conſtitutioni ipſius animæ, quam eruditiſſimi Pythagorici ſignāt tetragono rectangulo: quam & Plato dixit Numerum eſſe harmonicum, ex vnitate, binario, ternario, & quaternario compactum. Aliaſque ex proportione quadrupla. Et iterum ex puncto, linea, ſuperficie & cubo. Aſſeritque ideò quaternarium Mercurio conſecratum, quia Animarum præfectus putaretur & cuſtos. Porrò quemadmodum hac mole corporea circundati, Deum non per ſe cognoſcimus, ſed per opera duntaxat; ita nec animam quæ *Plato.*

ad eius imaginē facta eſt, niſi ex varijs eius functionibus vtcumque intelligimus; cùm eius eſſentiam nemo adhuc plenè indagarit. Quadruplex autem deprehēditur eſſe Animæ ratio,ſeù fundamentū,Mens, Sciētia, Opinio & ſenſus:in quibus omnes ſanè artes radicantur,& ſcientiæ,ſed innouationem, inuectamque Salutē Propitiatoris clemētia, innuit quinarius; quemadmodum primæua diuinæ bonitatis effuſio Tetragrammato attribuitur,quia quatuor productis elementis; ex his tamquam materia cuncta compegerit. Quæ nimirum per occaſionem coagmentata, ſufficere volo,ad Quaternarij plenitudinem exactiſſimamque perfectionem exprimēdam; nè ſi innumeras eius dignitates,ac prærogatiuas conuectare aggrediar,& metam inaniter prætergreſſus conuincar: & terminum non inueniat oratio. Iccircò ad Quadrāgulare Stylobatæ ædificium vndè digreſſus fui rediens,illud adtexo,quod cum ratione perfectionis & ſignificationis,ipſum figura tetragonali,& æquilatera extrui quam maximè iuuaret (nam & Sacer Ioannes cū de ſibi oſtenſa ſuperna Ciuitate ſcripſiſſet *poſita erat in Quadro*. Apoc.21 id minimè ſufficere putauit præcellenti illius ſymetriæ deſignandæ, ſed graui myſterio adiecit, *longitudo et latitudo eius æqualia ſunt*) iure merito Carolus Vitalianus hic, vel numerali calculo,in occidentalis proſpectus Anteſignanum figēdus erat; quatenus latera ſingula inuicem,æquabiliterque fas eſſet ſupputando metiri.

Eſt veró & alia ratio,nec certè exilis momēti,cūr in hoc potiſſimū gradū facere ſuadeamur; ſiquidē poſt-

quam

quam iactũ retulimus circa redẽpti Orbis primordia Domus, ſiuè ædificationis huiuſce fundamentum, in *Maximi* videlicet Vitellij aduentu, vel potius in magni VITALIANI regeneratione, nunc iam ad incarnati æterni Verbi millenarium peruenimus, vltra quẽ nulla ſuccreſcit computatio; cum ſit omnium numerorum periodus: plenitudinemque indicare ſoleat, nã & pro vniuerſitate plerunque vſurpatur; velut perſpectum in Prophetia metro exarata, vbi mẽtio habetur, Verbi quod Deus mãdauit in mille generationes. Pſ. 104. id quippè fuit dicere, in omnes vſque ad Mundi conflagrationem. & Apoc. 20. millenario numero æternitas denotatur, vbi electi prædicantur regnaturi cum Chriſto mille annis, idipſum Ethnici quoque ſcriptores pro multifario indefinitoq; ſæpè aſſumunt, quale eſt illud Eneados de Iride. *Virgil.*

Mille trahens varios aduerſo ſole colores.

Illud item ex perſona Iunonis lethificam Alecto demulcentis

Mille nomina tibi, mille tibi nocendi artes.

Et in Iliade narratur, Achillis iram Argiuis mille dolorum cauſam extitiſſe. Verum hæc ſtudioſis notiſſima. *Homer.* Igitur vel hac vna ratione, Auſtrali narrationi fuit illic terminus imponendus; ſubſequens autem inchoanda, quæ *Occidentalis*, vel à tergo, rectè & ritè ſibi vẽdicat nomenclationem, Metaforicè tamen intelligas; quæcumque enim de toto hoc quicquid eſt aggregatum iſtud, cui Orbis, ſiuè Mũdi, aut Vniuerſi vocamen inditum prædicantur, eadem de Homine, deque eius potentijs & actibus, miranda quadã ana-

logia

logia procliue eſt affirmare; nimirum vt prætulimus Homo perfectiſſimum illius ſimulacrum eſſe dignoſcitur; ceù cumulus eorum ornatuum, quæ in machinæ totius vaſtitate diſpertita inueniuntur. Et hic obiter adnotarim, quod licet Mundus hic ſenſibilis cum vnus ſit, vnoque ſingularis lineæ ambitu contineatur figura conſtans sferica, quæ omnium perfectiſſima, quemadmodum cęterarum capaciſſima comprobatur, ſemperque ſui ſimilis, nullum admittat cõtrariũ anterius poſteriuſuè; nihil ſupra agnoſcat, aut infra: partibus tamen & terminis diſtinctus concipi-
Cælius Rod. tur, quæ vti fusè ac dilucidè tradit Rodiginus, Antica, Poſtica, Dextra, Siniſtra, Supera, Inferaque titulãtur, in quarum nihilominus aſſignatione, diuerſis ſtudijs eunt Philoſophi, & malo certãdi ambitu toto cę-
Cleome. lo diſſentiunt. Cleomedes enim Orientali plagę lõgè præfert Occidẽtalem, quam mordicus tenet anteriorem eſſe, & per id nobiliorem, Dextram ſic collocans in Septentrione: Siniſtram Meridiei attribuens.
Varro. Varro autem Occaſum à Dextris ipſius Orbis, Ortũ cõſtituit à Siniſtris, vt Auſter reſultet, poſterior, Aqlo anterior, cui & Plinius ſuffragatur, vbi ſcribit Errã-
Plini. tia ſydera cõtrariũ Mũdo agere curſum, ideſt Læuũ,
Ariſto. ſemper illo in Dextrum præcipiti. Ariſtoteles atque
Plato. Plato. Regionem Orientalem dextram eſſe affirmãt, & conſequenter Aquilonarem Anticam. Quæ videlicet opinionum diuerſitas, id mea quidem ſententia perſuadet, quòd perindè ac in figura circulari non eſt dare principium aut finem, ſic nihil ſit ſubtus aut ſupra, nihil antè penitus aut retrò; ſed ratione noſtri tã-

tum,

tum, proque noſtro duntaxat captu, vel libito; quandoquidem Græcia (& exemplum eſto) quæ Inſubrię Orientalis eſt, ipſa eadem eſt Armenię occidua. Indi verò qui Perſidem contuentur ad Occaſum, Hiſpaniã reſpiciunt ad ortum Solis, cum toti fermè continenti Occidentalis habeatur; indè enim *extremæ Heſperiæ* adepta vocabulum, quemadmodum fertur de vltima Thule, ac de toto diuiſis Orbe Britannis; quas tamen oras, Mexicani *Eoas*, appellant, interiacente Atlantico, ſeù Gaditano Oceano. Amplius Aſtrum Veneris, à quibuſdam *Lucifer*, ab alijs *Veſperugo* nuncupatur, quatenus antegraditur, aut ſubſequitur Solē. Veruntamen ſi res meditatius pēſitetur, cum in vniuerſa hac Mundi machina, nihil euidentius Conditoris Maieſtatem repreſentet, atque coruſcum hoc Sydus, primigeniæ lucis vehiculum, generationis pater, iucunditas naturæ, tociuſque diuini Opificij decus & ornamentum, Sol inquam iſte nitidiſſimus, quē Orphæus *Aeternum Mundi oculum* appellauit, Heraclitus *Fontem Cæleſtis luminis*. Plato. *Dei inſpectabilis ſpectabilē filium*: ſeù *Statuam imaginemuè perſpicuam ipſius Conditoris*. Cuius videndi gratia natum ſe reputabat Anaxagoras. Ipſe autem motu omnium velociſſimo, inceſſanter iuxta Eclipticam decurrens, nō ſolum diurna, & annua dimetiatur ſpatia; ſed & quarumcūque alterationum, ac productionum præcipuus auctor exiſtat, habilitatione & diſpoſitione ſaltem; Elementaria nempè omnia tam ſimplicia quam compoſita, excitato calore viuifico afficit, mirificè temperat, miſcet inter ſe, ac ſubigit, ſubacta connectit, coagmentat,

Ariſt. *Placit.* *Orphe⁹.* *Heracl.* *Plato.* *Anax.*

mentat, continet, ſecundum leges ab Architecto opifice Deo prę́ſcriptas, & intra definitas ab eodem metas. Non ab re igitur, quin & maximo merito, ab ipſius exortu totum Hemiſpherium exhilarante, Mundi faciem atque anteriora ſumpſere exactiſſimi rerũ æſtimatores: & hac ratione Dextram tropico Verno, ſiniſtram Hyberno conſtituerunt, & occidenti ſcapulas. Inter hos cenſentur Empedocles, diſertiſſimuſq; Patauimus, idem confirmans ex Augurum ſcientia. Et his adſtipulari videtur diuinum eloquiũ; vbi enim Pſ. 88. Propheta in decachordo confitetur domino *Aquilonem, & Mare tu creaſti*, ex ſeptuaginta Interpretibus, Textus Hebraicus non habet *iam*, quod eſt *Mare*, ſed legit *iamin*, quod importat *Dextrum*. hæc omnia (inquam) quo ad nos accipienda, non in ſe; quia ſcilicet, vnicuique Orientem aſpicienti, Auſtralis regio ſtat pro dextris: & ad hoc puto reſpexiſſe Dauidem eo loci, propterea quod infimæ elementorum fæcis (Terrę dico) quam homines incolunt, tam accuratè partes recenſens, Cęleſtes orbes prorſus non memorat; cum alioqui multo ſplendidius, ac magnificẽtius Cęli enarrent gloriã Dei: & excellentiſſima opera ſiue artificia manuum eius, annunciet Firmamentũ innumeris reſperſum luminibus, per regulam Sapientis, A magnitudine ſpeciei, & creaturæ, cognoſcibiliter poterit Creator videri. Sap. 13. Hac fortaſſe ſupputatione Trimegiſtus Hermes, vel ex vatis Habacuchi promiſſo 3. quod *Deus ab Auſtro veniet*, (vel quia Dextra ſemper fidei ſedes, virtutis miniſtra, & bonum prę ſe ferens omen) Numen precandum ſanciuit

Emped. *Tit. Liuius.* *Mercur.*

ciuit ad Meridiem; Chriſtianorum verò Eccleſia à Spiritu ſancto per Apoſtolos omnem veritatem edocta, vſu recepit preces ad Orientem fundere; tametſi Hebræi diuina & ipſi conſtitutione informati, qui aliquãdo populus electus, quibus olim notus erat Deus & credita illius eloquia, ad Occaſum adorare ſolebant, quorſum ſita erant Sancta ſanctorum Tabernaculi: vndè & eis propitiabatur Altiſſimus. Qui tantopere indignatus legitur viris dorſa vertentibus ipſi Templo, adorantibuſque ad Ortum Solis, vt ſe grãdi iniuria affectum doleret in Ezech. cap. 8. Quo pariter reſpicit illud Eſai. 1. Dereliquerunt dominum: blaſphemauerunt Sanctum Iſrael, abalienati sũt retrorſum. Addubitarit fortè aliquis. Numinis culturã, arbitrio ſtare cuiuſcumque: humanęq; opinioni innixam, ſeù libito, ex quo non vna ipſius ratio à ſapientibus præſcribitur, modus, aut locus? minimè gẽtium; quandoquidem præter Pythagoram, ac Platonem, Ariſtoteles quoque profitetur *ſacrificare Deo, eſſe à Natura*. Aut certè illud mirum, quod immutabilis Deus, diuerſo ritu, & auerſo ſitu, ſibi inſtituerit cultum exhiberi? Animaduertendum, quod nunquam nõ adorari dilexit dominus in loco ſancto ſuo, in loco (inquam) vbi ſteterunt pedes eius, ipſos verò ſuper montem Oliuarum ad Orientem ſtare docuit vates Zacharias 14. idemque de eodem domino teſtatus eſt cap. 6. quod Oriens nomen eius, cui concinit alius Zacharias nempè Sacerdos, prædicans quod viſitauit nos Oriens ex alto, Lucæ 1. Eiuſmodi (vt reor) ſubolfecerant Pythagoræi: tamquam ſublimioribus

arcanę philoſophię myſterijs imbuti; quare ad Ortũ
Auerr. orandum eſſe contendebant. Hinc & Cordubenſis in octauum Phyſicorum, Primus motor eſt in oriente: & propter hoc quędam leges adorant Deum verſus Orientem. De Hebręis autem quid? Id ad cordis eorum duritiem datum perhibet Doctor quidam ſanè grauis. Nouerat ſiquidẽ Deus (ait) eos ad Idololatriã procliues, inque militiã Cęli potiſſimũ propẽſos; ideò auertendos duxit ab Oriente; ne quandò Apollinis vultũ reliquis ſyderibus ſerenius effulgentẽ planetarũq; principem pro Deo venerarentur Perſarũ inſtar. Hoc vtcũq; euaſioni ſufficiat, dicamus nos. Inſtrumenti prioris obſeruationes, omnes Chriſti venturi præſignabant mortem; indè enim poſt primam à Prothoplaſte contractam labem; nonniſi cęde & ſanguinis effuſione mundabantur; intendebant propterea cuncta in Occidentem; vt qui ore Prophetico pręcipi percepiſſent, Pſ. 67. Iter facite ei qui aſcendit ſuper Occaſum, quia dominus nomen eſt illi. Nos è contrà quibus iam Sol iuſtitię exortus eſt, pſallere iubemur ei qui aſcendit ſuper Cęlos Cęlorum ad Oriẽtem. de quo Pſ. 35. vaticinatum fuerat, quod ſaluaret Homines & Iumenta; illos ſcilicet ab ęterna morte, hęc autem à ſacrificijs: eriperetq; de internitionibus eorũ. Ad hęc quippè vice Sabbati qui eſt hebdomadę dies poſtremus, nos primum ſanctificamus: & quẽ Mathematici *Solis diem* nuncupant, nos *Dominicum*: totumque diuino mancipamus cultui. & Sabbatum ſecundarium ſe lętatur effectum, quod iuſſione legis torpebat in otio: & per diei Dominici primatum in

diuinę

diuinę virtutis opera mirabiliter excitatur, quod Iudaicę obſeruationis inertia, à virtute ſalutari reddebat extraneum. Omnes namque vnum inuocamus, qui eſt Deus & Pater omnium: qui eſt Alpha & Omega: qui olim loquebatur in Prophetis, nouiſſimè vero locutus eſt in Filio. Cuius gyrum inſtar rotę Phœbi deſcribit idem Pſaltes inquiens Pſ. 28. A ſummo Cęlo egreſſio eius: & occurſus eius vſque ad ſummũ eius. & Paulus Epheſ. 4. Quod aſcendit quid eſt? niſi quia deſcendit primum? ambo conformiter Salomoni Eccleſ. 1. prędicanti. Oritur Sol & occidit, & ad locum ſuum reuertitur. At quo me bone Deus rapi ſino, dum quadrifarium vnicę narrationi aſpectum accommodare molior? planè id neceſſum fuit, reclamante Philoſophia, Nè partes à natura totius diſcrepantes admittantur; quamuis enim Totum nõ ſit idẽ quod ſuę partes, eſt tamen id quod ex partibus reſultat. Congruenter autem huic ſeriei *Poſterioris* nomẽ affiigitur, & *ad Occaſum*, non eo intuitu, quia ingenua familia his ſeculis parumper à ſua dignitate, aut priſtina amplitudine deceſſiſſe exiſtimetur, ſic ferente rerum viciſſitudine; id enim fuit ad tempus, cum ſplẽdore magis magiſque rutilanti poſtliminiò coruſcarit: non ſecus atque Solis iubar poſt Eclipſim ac nubilia, Verum á propitia ſimilitudine, ac proportione felici, agnomen ſibi aſſumit *Occiduæ* vel *à Tergo*, quia quemadmodum ab Occidente æquinoctiali ventus flare perhibetur, qui Graijs *Zephyrus* ideſt *Florens*, ſiué *Vitam ferens*, aut *Vitalia ferens*, latinis *Fauonius* à fauẽdo, vel fouendo terrã & quę illi innaſcuntur; eſt enim

vitalis Műdi ſpiritus, à quo hyemis rigor mitigatur, niues & glacies diſſoluuntur, arbuſta pullulant, & Humus ſe vndiquè fundit in germina. ita in hoc ordine poſt aliquantum vexationũ quibus inclyta Domus immeritò afflicta eſt, ac propè attrita. mox beneuolente Deo reuireſcere viſa eſt, & in lętam multijugamque exurexit ſobolis propaginem, vt in ſequentibus: Carolus ſiquidem cum Adriana cęde qua duo germani eius oppreſſi ſunt, Deo ſe protegẽte incolumis euaſiſſet, vltionem animo reuoluens, Petrum Vrſeolum tunc Venetiarum Ducem adijt, & communicato conſilio, ictoque fędere, cum ſatis validam coegiſſet Vaſſallorum, & Adhęrentium comitiuam, iunctis viribus hoſtes inuaſos contriuerunt vaſtaueruntque, perpetrati facinoris pœnas abundè ſumẽtes. Nec tamen ob id Caroli quieuit indignatio, donec intra eorum fines irrumpens, *Lauretum* vulgo *Loreo* quondam à Vitali Faledro conditum; iamuerò ingentis momenti ac famę, opibus populoque refertum, pręcipuamq; eorum ditionis munitionem expugnaret atque diriperet, tam immani aduerſarijs clade illata, vt exiguo negotio haud multò, poſt in Venetorum poteſtatem veniret: ſtirpituſque deſolaretur ampla Ciuitas, quæ iampridem Mari ſupero, de nomine ſuo *Adriatici ſinus* titulum indiderat. nunc vix eius ſupereſt cadauer, ipſumque aquis præfocatum; vſque adeò ſęuit vis hęc quęcumque eſt inconſtãtiæ alumna, varietate gaudens, humana verſans, & luctu extrema gaudiorum plerunque occupans. Lepidè ideò quidam Rithmo cecinit;

Ludus

Ludus Fortunę variatur imagine Lunę
Creſcit, decreſcit, in eodem ſiſtere neſcit.

Sed de hoc ſatis ſupra. Acta traduntur hęc Anno nono ſupra milleſimum ab Orbe reparato. Carolus cũ irę ac dolori quantum par fuit indulſiſſet, Fratrum iniuriam atrociter vltus ad propria redijt: ſategitque deinceps abſtergendę calamitatis, quam Oppidis, ac ſubditis ſuis, hoſtilis dudum rabies inflixerat. id ità ſedulò enixus, vt breui ipſi Pagi, ac rura priſtinum reciperent decorem cum acceſſione. Vxorem habuit patritij generis Venetam quę duos illi peperit hęredes. ipſum recolunt Chronica Sanſouini, ac Veneta: tum & Andreę Danduli. *Auctores.*

Qui nedum ipſum Carolum, ſed & duos recenſet eius filios, Ioannem ſcilicet in linea vel trunco tertiũ. ac Ioannem Baptiſtam, cuius adhuc pueri mentem Spiritus timoris domini ſubarrauit, in cordis eius tabula ſancti amoris rudimenta depingens; quare is cũ ætatis acceſſione magnos habuit in vera pietate progreſſus, multiuariaque dedit virtutum indicia. Glorioſus Deus in electis ſuis, qui multorum quos prædeſtinauit ad vitam ſempiternam, nõ modò finem, aut medium, ſed eorundem quoque exordia ſanctificare dignatus eſt. Igitur à pueritia vſq; ad biuium adoleſcentię prouectus (Firmianus enim libro de vero cultu, ex doctrina Pythagorę, aſſerit humanæ vitę curſũ litterę Y. eſſe ſimilem, quia vnuſquiſque hominum cum primum adoleſcentię limen attigerit, velut in locum venerit vbi ſe via findit in ambas, hęret nutabũdus, ac neſcit in quam ſe partem potius inclinet) cõ- *Lactan. Firmia.*

tempſit

tempſit Latā viam, in qua multos ſiniſtrorſum euagari conſpexit; elegitque arctam, per quam electi ad ad vitam tendūt. Magnus in Eſaiam ſcribens cap. 3. affirmat Adoleſcentiam valdè leuem eſſe: & ad flagitia quæque apprimè mobilem; ceù ſunt indomitæ & effrenes concupiſcentiæ, beluinæ & immanes iræ, linguæ incontinentia, contumeliæ, arrogantia, faſtus ex animi elatione: reliquæ item affectiones iuuentuti vernaculæ & coalumnæ: inuidia ob exuperantem alterius eminentiam: ſuſpiciones propter contractuū familiaritatem; examina enim innumerabilium vitiorum, ſe agglomerant, & adiungunt iuuentuti. hæc magnus. Ficinus verò libro de vera religione, obſeruat quod cum duæ extremæ ætates, nempè pueriljs & ſenilis, admodum pronæ videantur in religionem, nō ſic media ideſt iuuentus; quandoquidem pueri, & naſcantur religioſi & educentur: & in ea pietate firmiſſimi permaneant, quouſque in eis vigor excitetur adoleſcentiæ, quæ ſuaptè natura rationes ſingularum rerum exquirit & cauſas: nec quicquam admittit cuius non perſpexerit rationem. Quoniam verò Intellectus noſtri acies, proprijs viribus nitens, vix aliquid, ac nè vix quidem percipit de ſupernaturalibus; perinde ac ſe habet ad intellectualia Senſus, qui accidentia tantummodò diſcernit, hinc fit, vt audax iuuenum ignorantia ea quæ religionem concernunt fermè negligat ac poſt tergum abijciat. Nam etiam ſi fæculentam aciem in diuinam lucem defigere tētauerint, continuò eorum caligat oculus, nec ſupercæleſte ſuſtinet iubar; niſi Pythagoreo ritu, per diſciplinas mē-

S. Baſil.

Marſil.

tem

tem à ſenſibus purgent; vel Sapientum conſilio ſe comittant. Hinc Plato libro decimo Legum, conſu- *Plato.* lit nè iuuenes temerè de diuinis ſententiam ferant, ſed credant Legibus donec eos ætas ipſa doceat, vel per ſcientiarum gradus, vel per experientiam, vel per quandam animi à corpore ſeparationem, vt euenit in benè inſtituta ſenectute; Anima enim in ea ętate res à corporibus ſeparatas, quaſi è proximo videns, clarius quoque ac certius diſcernit. Verum nulla ætas infirma Deo, canente Propheta, Beatus, homo quem tu erudieris domine Pſ. 93. qualis hic fuiſſe narratur; nã de mane vigilauit ad Sapientiam, inuenitque eam aſſidentem foribus, & amator factus eſt eius formæ: vtque impenſius ei adhæreret, cum Mundum intelligeret in maligno poſitum, coætaneoſque per abrupta ferri vitiorum diſcrimina, nè candidam ſtolã quã accepat vel tenuiter inquinaret peccati labe, de medio iniquitatũ fugiẽs, Clauſtraliũ ſe ſe addixit cõtubernio, miniſtraturus corã domino Samuelis inſtar. 1. Reg. 2. obtulit itaque ſe Deo hoſtiam placentem, vitã Monachi profeſſus in cœnobio Sancti Hilarij, quod Iuſtini ſecundi Palamede geniti, eiuſque Tritaui donatione extructum ſupra memorauimus, in facie quæ ad *Fol. 213* Meridiem vergit (nondum enim aeris intemperies Religioſos ea habitatione pepulerat, (vt annotatum inibi ſed per anticipationem) quod poſtmodum euenit) illic aſcenſiones in corde ſuo diſponens: deque virtute in virtutem progrediens, meritis onuſtus, beato tandem fine quieuit, haud procul á ſanctitatis præconio, ibidem tumulatus. Cum annus ageretur

quar-

quartus & quadrageſimus ſuprà partæ Salutis milleſimum.

XXVII Pauca admodũ de IOANNE tertio Caroli primogenito memoriæ tradita reperi, tantum quod Valerium genuerit ac Sigifredum; diuitiaſque poſſederit ſanè amplas; quippè in eum confluxerant vniuerſæ Vitalianorum ſubſtantiæ; tum verò maximo illi conſtitit emolumento, quod temporibus ſuis circumcircà pacata omninò cuncta atque pacifica fuerunt, porrò inter cœteros eius ætatis Proceres, ſic ipſe felicioris ſeculi incrementa ſenſit, vt ex paternis cenſibus prædiorũq; reditibus, magnos quotannis prouentus percipiens; nec vllum alienę decoctionis, aut ſuæ conturbationis detrimẽtum ſubiens, maximas opes & rem ſibi pararet ſplendidiſſimam; qua nimirum affluenter inſtructus, pretioſa domus ſuppellectile, magnificoq; Equorum ac Famulorum apparatu; necnon eleganti vel ſumptuoſa potius, in Hoſpites liberalitate, famam ſibi conciliauit prægrandem, & quod mirum videri poſſit, cum tantam pro Maieſtatis nitore ſeruando vel augendo pecuniarum vim erogare conſueſſet, vt *Profuſus* etiam interdum audiret; tam multum nihilominus ei ſuperfuit, quo & Villas coemere, & ditionẽ latè ampliare licuit, quibus filij ac nepotes magis ac magis abundarent. Eius præter Dandulum, meminit

Aucto. Hieronymus à Vaccis.

Summa quæ in Valerium Ioannis tertij primogenitum Naturę aſpirantis & Fortunæ ſubſequentis dona confluxerant, inſigne nobilitatis decus, ſtatura ſpectaculo digna, ingenium excelſum, candidiſſimi mores

res, oris perquam gratioſa venuſtas, diuitiarum affluentia, Calamitaté qua idem repentè oppreſſus eſt, continuò per ora virum latiſſimè euulgarunt: & miſerabiliorem multò memorabilioremque effecerũt; Cum enim vix quartum luſtrum prætergreſſus, impensè venabundus euaſiſſet, aliquandò excurrente acerrimo Equo deiectus, immerita, immaturaque morte interijt, nullum relinquens filium; ſed moeroris plurimum propinquis ingerens, & cum primis SIGIFREDO germano.

Cui cum perampla facultas iure ſucceſſionis obueniſſet: & ex ingenua probitate multum acceſſiſſet auctoritatis; mirandam quoque rebus geſtis ſibi cõparauit experientiam: & rei præſertim bellicæ ſcientiam; quiputà nullis ætatis ſuæ prælijs non interfuiſſet. Nec ſauciatus pluries: nec altero pede tam dirè offenſus, vt deinceps claudicare cogeretur animos demiſiſſet. Hic pater fuit Antonij, ac Palamedis ſecũdi. In eo autem bello quod Cæſar Henricus Quartus Gregorio Pontifici Septimo intulit, Sigifredus Mathildi Comitiſſæ inhęrens: tribuſque armatorum millibus pecunia propria conſcriptis, Pontificis partibus fauit ex animo. Diù multumque certatum eſt; tanta quippè fuit Guiſcardi Apuliæ & Calabrię Ducis, Mathildis atque Sigifredi: & piorum Principum, in tuendo Optimo Gregorio conſtantia, quanta Hẽrici Pertinacia: & Clementis Pſeudo Papæ audacia. De Sigifredo habetur mentio in Geſtis Imperatorũ, tum & penes Andream Dandulum, ac Io. Baptiſtam à Pigna. Ignoramus tamen domi nè diem clauſerit,

Auctores.

XXVIII

foriſuè occiderit in conflictu.

Secũdum littora Meduaci Amnis, quem Virgilius & priſci ſcriptores *Timauum*, recẽtiores *Bachilionem*, nouiſſimi verò *Brentam* appellant (ſi tamen idem eſt vti Blondo probatur, contradicente Leandro, hoc autem nihil ad nos) in ipſis limitibus agri Veneti, atque Patauini, Pagus iacet haud obſcuri nominis, cum ex populi frequentia & aeris ſalubritate, tum fertilitate ſoli, ac Oppidanorum diuitijs, vulgò dictus *le Gambarare*. Cuius iura & dominium Antonio Vitaliano ceſſerũt Sigifredi filio, titulo dotis; cum ſcilicet Vxorem duxiſſet ad quam hæreditas pertinebat eius Caſtri. ipſam Senatorio genere Venetijs omnes teſtantur prognatam, diſſident verò in aſſignãda familia, cum illi Badoeria, iſti Danduſa, alij Sannuta cognatione eam educere cõtendant, nec inaniter profectò; nam vnaquæque prædictarum indidem profecta cõprobatur; ſingulæ etenim inter Patauij præcipuas antiquitus deſcribuntur. at quo res cumque cadat. Antonius Oppido potitus, ędificijs, ac ſtructuris, cũ publicis, tũ priuatis, illud inſtaurauit decorauitque: inſuper & auxit, habitatoribus hincindè accitis: Emporium illi cõſtituit: adiecit immunitatem pedagiorum, ac vectigalium: munifica tandem pro animi ſui præſtãtia ope cumulauit: illicque iucundiſſima quiete fruens, vitam diù omnium perturbationum expertem duxit. Verum oborta inter Patauinos, ac Venetos controuerſia, ob prorogatos hinc, ſeù illinc ademptos ditionis fines. Cum ipſe neutri partium adherere decreuiſſet; ceù animo mitis, ac pacificus,

Forolin. de Albertis.

graues

graues abvtriſque perpeſſus eſt moleſtias. demum tamen ſedato fragore, ac rebus in priſtinum reſtitutis, Antonio gratiæ habitæ ſunt, tamquam de ambabus partibus optimè merito: edictoque cautum, vt illius Caſtrum pro vtriuſq; agri limite ſtaret, liberum penitus, nec cuiquam addictum.

Lætum ac fauſtum eiuſcemodi fœdus, at parum diuturnum extitiſſe compertum eſt; ſiquidem Valerij tempore (qui fuit Antonio vnigenitus, luxuique, ac otio vſquequaque indulgens) iterum diſſidia & altercationes eruperunt: Ventumque eſt ad arma, ad direptiones, ad incendia; proindè Valerio ingens ingruit procella calamitatum; nimirum aſſiduè vigilãdum erat, parandaque victualia & armamenta: adque munitionis tutelam comportãdi Aggeres: Propugnacula excitanda: idque demum ſolicitudinis, & procurationis genus imminebat, à quo placidi, ac pacifici homines, quietis amatores ſummopere abhorrent. Quapropter curis velut præfocatus, ac tædio victus, Venetis inſtantiſſimè rogantibus: magnãque auri ſummam offerentibus acquieuit, Pagum à muliere Veneta acceptum, Venetæ Reipublicæ concedens, Oppidoque reſignato, domicilium Venetias tranſtulit, inter eius Ariſtocratiæ Patritios aſcriptus. Huius nequaquam curę nobis fuit indagare poſteritatem, verum ab eo originem traxiſſe exiſtimantur Vitaliani, qui inter Senatores aliquãdo recenſentur, qualis inter cæteros Ianellus ille, cuius extat ſubſcriptio in Priuilegio quod vertente trigeſimo anno vltra mille ac centum humanæ ſalutis, Barium Apuliæ

Ciuitas, à Sereniſſimo dominio impetrauit. Valerius recolitur inter Chronica Veneta: nec non apud Dandulum. Antonij verò eius genitoris, præter eos meminerunt Sanſouinus, Ongarelluſque. Sed nos his ommiſſis ad PALAMEDEM Sigifredi filium, Antonijque fratrem conuolamus.

Auctores.

XXIX.

Cum filij omnes quotquot naturalis propagationis ordine in lucem prodeant, de Patrum ſubſtantia orti exiſtimentur. id teſtante natura perquam euidēter, dum Oua quæ ſinè Mare edita ſunt, minimè viuificari patitur, aut excludi; hinc fit quod æqua ſorte geniti, legitimo iure æqualiter enutriri: & æquis portionibus ad Paternam hæreditatem admitti debeant; nam tota ſoboles nulla diſtinctione habita, vocatur ad ſucceſſionem Parētis in vniuerſis bonis, ac iuribus ipſi Genitori competentibus. & ſic pro conſtanti tenendum, ſi primum antiquum Ius attendatur. vt notatur l. ſcripto hęredi. ff. vndè liberi l. Maximum vitiū C. de liberis præteritis & exhęr. Auth. de ſemiſſe. §. hinc nos. l. cum ratio. ff. de bo. damnat filij; etenim pars corporis Patris ſunt, quemadmodū oſtendit Seleucus ille Locrēſium Rex, vbi filio vterque erat oculus eruendus, ſupplicium ex æquo diuidens, vt vtriq; alter erueretur, & diſſerit Philoſophus 7. Ethic. & Oldrad. pluribus argumentis conſ. 94. Cauſa tamen agnationum: & familiarum ſplendori perennitatiq; proſpicientes. & ad firmamentum, ac tutelam ſtatus Reipublicæ; vt ſcilicet inſtar humani corporis, oſſibus neruiſque fulciretur, & Procerum auctoritate ac potentia firmaretur, Legum conditores qui per

æternam ſapientiam iuſta decernere didicerunt, Maioratus rité inſtirui poſſe ſanxerũt; vt Domus in Primogenitos deſcenderent, reliquæ vero ſuboles certis eſſent portionibus contentæ. Id ego deſumptũ crediderim ex Agricolarum ſciẽtia, quam Philoſophus in Oeconomicis potiſſimam ſecundũ naturam poſſeſſionem eſſe affirmat, Orator vero in libro Officiorum addit, quod omnium rerum ex quibus aliquid exquiritur, nihil Agricultura nobilius, nihil vberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. Agricolæ porrò vitibus arboribuſque minuſculos ramos circumquaque amputant; quatenus pręcipuum germen in ſolidiorem trũcum excreſcat. hinc Plato vndecimo de legibus præcipit. Qui liberos habet, & teſtamentum cõſcribit, primo hęredem de Filijs vnũ quem dignum putauerit conſtituat, alijs de alia pecunia licebit Patri legare, paterna ſorte ſemper excepta: & omnibus quæ ad illam pertinent. Nec dicendum quod per Ius ad hunc finem diſponẽs. ratio naturalis tollatur; cum videamus vnum in Ciuitate Gubernatorem præfici: vnum Ducem in Exercitu: Regem in Regno; tametſi naturali cõditione omnes pares ſumus; imò & vnicum in corpore Caput. facit & text. in l. filio. ff. de lib. & poſth. & l. 2. ff. de vſuf. earũ rerum quæ vſu conſum. præter alia. Ergo Palamedi huic, ceù primo edito partu, Auita paternaque caſtra Boionis, Boſchi, ac Sancti Angeli legitimè obuenerunt. Huic fuit altercatio cum Sancti Hilarij incolis, ob fundorum quorundã cõfinia, quæ cum ille ad ſe de iure pertinere, ſeque iuſtæ poſſeſſionis titulo ea

Ariſt.
Cicero.
Plato.

obtinere

obtinere aſſereret, illi è contra indebitè occupata, ſeque grauatos quererentur, Venetorum opem implorarunt. Nec detrectarunt Veneti patrocinium; quinimò eo ſtatim immiſſa Satellitũ caterua, Palamedis famulos indè deturbarunt, quod cum ille ęgrè ferret, Patauinos ſuos concitauit, qui affuere ex animo: demiſſiſque Prætorianis Cohortibus pluries, leuibus tamen prælijs decertatum; donec efferueſcente vtrinq; ira ac indignatione, validæ acies deductæ ſunt. Verum Patauini adeò iniquo Marte conflixerunt, vt ex eis ad duo millia occumberent, ſeptingenti captiui abducerentur, qui tamen breui obfirmata pace ad propria redierunt. Palamedes locum qui litis ſeminarium extiterat execratus, iuri illius ceſſit, ne iterum poſteritati eius ſcandalum excitaret. Vnicum traditur natum ſuccepiſſe, quem de clariſſimæ familiæ vocabulo appellari voluit.

XXX. VITALIANVM, quintum videlicet, iuxta generationis ſeriem, ad quem memorata bona tranſierunt, magnaque exiſtimatione refulſit. Ipſe Domum ſanè peramplam, ſumptuoſo opere Turritamque extruxit in via quam dicunt *le Toreſelle* intra Pauij mœnia; eius quippè temporibus, de mandato Patrum, & conſeruatorum Reipublicę Patauinæ edictum pependit, vt quique Nobiles, ac Ciues conſcripti, & Fundos ſibi in territorio coemere, & Domicilium intra Vrbis ambitum habere tenerentur. Tanti porrò momenti compertum eſt eam Ciuilitatem habitam fuiſſe, vt nedum Eſtenſes, Ezelini, Campoſan-Petrij, ipſique de Vitalianis, ac totius circumcirca

regionis

regionis Primores eam affectarent, & magno mercarentur; Sed & Reuerendiſſimi Patriarchæ Aquileienſes, cum Forijulij, Hiſtriæ, Stiriæ, & Carinthiæ leges dicerent lateque dominarentur; plurimi tamen ducerent eidem aggregari (inter hos notanter Guglielmus Ongarellus meminit Patriarchæ Bertoldi, quod de anno 1220. Ciuium Patauinorum albo adſcribi impetrarit) propterea enim, & Palatia inibi ædificaſſe conſtat: & ad hanc diem Vicus ſupereſt in ea Vrbe, quem *Patriarchatum* nuncupant, ex eorum incolatu. Summum autem è Vitaliani huius virtute, & auctoritate vniuerſa Venetiæ Prouincia fructũ tunc maximè percepit, cum ob Cęciliam Baoniam, Ezelino Secundo cui *Monacho* cognomen fuit, Ezelini *Balbi* filio deſpõſatam, & á Gerardo Campoſan-Petrio ad ſtuprum raptam, bellum ciuile exortũ eſt, tam atrox, vt hodiè quoque, ac ſemper, triſte futurum ſit ad recordationem; quippè non in Ciuitate modò, aut agro Patauino commorantes, cuiuſcumque gradus, aut conditionis; ſed circumiacentes Pagi, atque Vrbes, in factiones conſurexerunt. His perpetratum facinus nonniſi exquiſitis ſupplicijs expiandum, pœnaſque cum de flagitioſo connubij violatore, tum de eius affinibus ac propinquis, quorum fiduciæ innixus tantum is auſus eſſet, ſumendas contendentibus. Illis ex aduerſo Gerardum iuſto dolore ſuccenſum defendentibus, ſuique vlciſcendi gratia id condignè meditatum. Cum ab Ezelino *Balbo* auunculo ſuo, (nimirum *Monachi* ſorore *Balbi* filia Gerardus ortus fuerat) cuius fide & conſilio nitebatur, ignominioſis

Gugliel. Ongar.

Annal. Pataui.

ſis inſidijs ſe petitum doleret, inhumaniterque, ac perfidioſè deceptum. Certè vltionis iniuria mater eſt, ira autem ſoror, quæ in magnis amplius exardet: & quo maior ſit, eo minus frenis ſe patitur cohiberi; irati enim quãtũ libet, tm̃ volũt ſibi licere. Fœdũ porrò eiuſmodi facinus, ſiuè contumelia inexpiabilis, Venetam regionem, (quę vulgo dicitur *Marchia*
Fo.189. *Taruiſina,* vocabulo Longobardorum maleuolentia indito; vt in Meridionali facie ex Blondo retulimus) in duas partes ſecuerat: adeòque ardenti, vel inſano potius ſtudio vtramque iactabat, vt multa hominũ millia, inſigniaque Oppida, Fortuna vices alternante, miſerabili inuſitata clade; tãquam horribili quodam inceſſanti terremotu cõcuſſa delerẽtur. Eo pertinacię ęſtus, & inteſtina odia cuiuſuis ordinis viros ac mulieres redegerat, vt breui conflagraturum exiſtimaretur Solum vniuerſum: iamque fumare velut in proximo flammas accepturum. Atuerò piorum hominum interuentu, Vitalianique potiſſimum ſolicitudine atque auctoritate, miſerante Deo, aditus
Aucto-res. ad pacem patefactus eſt. Videantur Chronica Eſtẽſium: ſimulque Hieronymi à Vaccis. Vitalianus trina memoratur prole fœcundatus; nempè maribus Gaboardo Gerardoque: tum & elegantiſſimæ ſpeciei femella, quam ad progenitoris magni Vitaliani imitationem *Iuſtinam* appellari voluit.

Hanc ferunt ingenuis moribus mirandum in modum effulſiſſe: & ad ſubmouendas lites fœderaque firmanda, ab ipſomet illius patre Tiſoni Campoſanpetrio in matrimonium collocatam: eaſque nuptias

compo-

componendis diſſidijs multum contuliſſe. Porrò eam gentem inter Patauinos primates præcipuis honoribus cumulatam teſtantur Annalia paſſim; ſic namque latifundijs, & Oppidorum ditionibus abũdauit, vt nihil eius opulentiæ deeſſe videretur. affinitate iuncta inuenitur dominis Eſtenſibus atque Caminijs, qui tunc Taruiſio potiebantur, Ezelinis quoque: & vndique viris Principibus ſtipata; vt etiam è gentilitio eius arbore latè admodum ramificante, ac fructificante licet contueri. Sed hoc libenter omittimus nè lector tædio detineatur. iuuat tantillum commemoraſſe, nè omninò intacta reliquiſſe dicamur. Quemadmodum & de Gaboardo eiuſdem Vitaliani filio, in quo illuſtris, & planè miranda effloruit indoles: plurimum enituit ſapientiæ, & Martij ſpiritus. qui ipſa etiam adoleſcentiæ primordia tam pręclarè inſtituit: ſic militiæ poſuit tyrocinia, vt nullum ciuilis, aut bellicæ virtutis in eo deſideraretur ornamentum. ità cumulatè benignis Cęli fauoribus irrotatus videbatur, vt certo ac iucundiſſimo nobilium qualitatum concurſu, cunctos ad ſui amorem alliceret. Hic ex multis præclarè geſtis, egregiæ potius laudis, quam bellici quęſtus decora ſolitus fuit domum referre. Verum memorata factione vigente, multo luculentiora ſpectatę virtutis & fidelis operę pręmia, omnium iudicio promeruit: tantumque excelluit generoſi animi præſtantia. vt totius populi fauor in eũ tenderet: & vniuerſi ad eius ſe ductum applicarent. Proindè inter partes, belli ac pacis diſceptator grauiſſimus & arbiter; eam quippè ſibi compararat aucto-

ritatem, vt cuncta velut ex eius nutu penderent: vnuſque pro libito, lites & excitare poſſet, & conſopire. Ipſe ore militari, ſed placido: & toto corporis ornatu, inter armatos grauis, inter ciuiles valdè formoſus, atquè omninò cõſpicuus; perpetuo demum tenore vitæ magnificus, longè cęteros Dynaſtas anteibat. Talibuſque delectatus ſtudijs, proli ſuſcipiẽdæ, vxoriuè ducendæ nunquam animum appulit; vitam verò ad extremum vſque ſenium protraxit.

Tyndaridas Geminos Pollucem, & Caſtorem, tã arcto beneuolentiæ vinculo inuicem copulatos; vt dimidium immortalitatis alteri impertiret alter: fratremque Pollux alterna morte redimeret, facile Poetis credat, quicumque mutuam Gaboardi GERAR-
XXXI. DIQVE caritatem animo conceperit. Quod dico, nõ vt vaniſſimo Ethnicorum apologo fidem aſtruã; ſed quia ſub ſenſatarum fabularum integumentis (ſicut prænotauimus dum huiuſce ędificij fundamenta iaceremus, argumenta veritatis plerumque latent. Et in ijs non ſolum doctrina, ſed & illius condimentum accerſitur; cum omni ſuauitate. Aeſtiuum autem Zodiaci ſignum, ad quod Sol Maij dimidio iam elapſo accedere perhibetur. Aſtronomi vocabulo *Gemini* cõpellant, quaſi duplex ſydus. Quod verò moriatur, & reuiuiſcant ad vices; indè cultores Muſarum commenti ſunt, quia promiſcuè modo hoc modo illud Orientale ſe nobis offert, aut Occidentale. At nobis adfabulatio, in veritatis argumentum; Symbolum oſtendit pietatis germanorum in alterutrum; adeò enim Gerardus Gaboarduſque coniunctis cor-

dibus vixiſſe traduntur, vt vnà ſpirare viderentur ac idem; tametſi ſtudijs in diuerſa propenſi; Nam Gaboardo, prout relatum, armis tractandis addicto. Gerardus natu maior ingenioq; mitior, domo gaudebat & toga. Nihilominus cũ S. Hilarij Oppidani aliquando eius prædiorum fines inuadere auſi fuiſſent, tam acres Gerardum pugerunt indignationis aculei, vt diſiecto Meduaci aggere, totã vaſti Amnis alluuiẽ in eos effunderet; cuius nimirum inũdatione, cum illi propè ſubmerſi ſunt, tum & Venetiarum lacunę memorabile ſubiere detrimentum. id verò inique ferentes Veneti, ipſum repentè per emiſſarios comprehenſum in carcerem detruſerunt. Patauini autem agẽte Gaboardo, de ſibi dilectiſſimi fratris ſalute ſolicito, Legatis Venetias deſtinatis, obnixè rogarunt, nè Clariſſimum Dynaſtam diutius affligere vellent, quãdo non niſi ruſticorum hominum prouocatione laceſſitus, iniuriam vindicta à ſe propellere cogitaſſet. Legati autem cum rem diù agitaſſent inſtitiſſentque; vt Venetos inflexibiliter obduratos intellexerunt ſeque nihil proficere. (quod in mandatis acceperãt) bellum eis propalam indixerunt, quare inſtructis vtrinque copijs propediem incundum erat certamẽ, ni Viri principes amicè obſtitiſſent, progreſſuſque intercepiſſent: rebus itaque compoſitis; Gerardus ad propria dimiſſus eſt. Qui poſtquam Patauij Moderatoribus maximas gratias retuliſſet, deinceps ſibijpſi vacare: & apud Pagos agroſque proprios quieſcere decreuit. Gaboardo germano, vt potè Reipublicæ negotijs implicito Patauij degente, familiæque

ſplendorem conſeruante. Duos fratres recolunt Dandulus, Ongarellus Sanſouinuſque. Gerardus *Auctores.* Claro connubio copulatus aliquot ſuſcepit liberos, quorum tamen funeribus illachrymatus eſt: Vnico ſuperſtite.

XXXII. PETRO nuncupato, ad quem pariter deuenerunt caſtra Boionis, Boſchi, ac Sancti Angeli. Nec is profectò à præceſſorum Vitalianorum moribus degenerauit; nempè pugnax euaſit, ac ſummè feruidus. Cumque illius ætate nobiliores aliquot Italiæ vrbes fœdera pepigiſſent aduerſus terribilẽ Federici Aenobarbi aduentum, Mediolano pręſertim imminẽtem, excidiumque repugnantibus intentantem. Petrus affuit adducta nomine Patauinæ Ciuitatis centum electorum Equitum ala: [Veros amicos in rebus lætis adeſſe vocatos: in aduerſis, inuocatos & vltrò, dicere *Demet.* ſolitus fuit Phalareus; falleretur licet nunc vt ſępius) magnaq; ſatis ac memoranda geſſit in eo bello, quod plus nimio diuturnum, durum, variumque ac miſerandum, ſed in fine longè aſperius, ac lamentabilius extitiſſe, magno certè aut inſanè more ſuo ludentis, aut perfidè atrociterque deludentis Fortunę prodigio, omnes Hiſtorici produnt. de quo alias. Petrus demum domum reuerſus, coniugioque copulatus, publicis Patrię ſuę commodis animum intẽdit: momentoſis legationibus crebrò egregièque perfunctus. *Auctores.* De ipſo narratur in Chronico Danduli, ac Bonifacij, nec quidem eum reticet Ongarellus. Vbi notanter de Muliere quadam Vitaliana ſermonem habens, conſtare refert ex tabulis publicis, ipſam ab eo genitam;

prętet

præter eam verò duos iauenitur filios ſuſtuliſſe: deceſſiſſeque ætate planè decrepita, cum ſummopere, rerum opulentia: atque exiſtimationis dignitate polleret.

VITALIANI vocamen indidit Petrus potiori filio ad familiæ decus retinendum: iſque ſextus fuit in ordine lineæ. Alterū dici voluit Iacobinum, qui corporis habitudine planè tenellus ac delicatus, glorioſis præceſſorum veſtigijs inſiſtere nequiuit: nec magnū quidpiam aggredi, aut concipere; procedente verò tempore valetudine iugiter vſus eſt infirma ac imbecilla, & paulatim in deteriora lapſus. quare nihil patraſſe memoratur notatu dignum: nec liberos ſuſcepit: nec quidem connubij iugo ſubditus eſt.

Suppleuit in Fratre, & affluenter admodum quod XXXIII Iacobino denegarat munifica omnium parēs, quem præclara & verè heroica, ſummoque exercituum Imperatore digna facie, excelſa ſtaturę proceritate, artuum ſummè ad arma habilium firmitate, ingenio peracuto, inuicto ſpiritu, impauidi & ſemper conſtātis animi vigore exornauit: eaque morum & actionū moderatione, vt ab omnibus ſtudioſiſſimè coleretur. Certè hic tantum domi foriſque enituit, vt magnanimum quemque bello Ducem, aut optimū pace Principem æquaſſe cenſeatur. Eius prudentia incredibili fuit Patriæ ornamento atque vſui; pręcipuè in certamine quod aduerſus Vincentinos ſuſceptum eſt. Contigit ſiquidem ſeditioſos quoſdam latrunculos, vel graſſatores, in Oppido quod *Montegaldam* dicūt conſediſſe, qui frequenter extempore erumpentes,

agrum

agrum circumquaque diuexabant: rapiniſque, violentijs, ſtupris & omnigenis prædationibus, homicidia etiamnum admiſcebant ac incendia: protinuſque Mõtegaldam ſe recipiebãt, loci munitione freti, quarum infeſtationum cum Patauinos tædere cępiſſet; miſſis Vincentiam legatis (eius quippè ditioni ſuberat Pagus) obnixè rogauerunt Ciues, quatenus mutuæ concordiæ rationem habentes, prædictos factioſos corriperent: atque compeſcerent ab eiuſmodi direptionibus. Spoponderunt Vincentiæ Magigratus, ſe curaturos ac maturè præſtituros; ſed cum factis dicta minimè compenſarent: Patauini iteratò ac ſæpius iniurijs affecti: ſeque arbitrati per moras ſupiné nimium cõtemni, Troiano faſtu, & iuſta iracundia perciti: traditis Vitaliano copijs, vltionem in Sicarios ei demandarunt. qui Montegaldam fulmiminea celeritate aggreſſus, ingenti facto impetu, eam expugnauit: & captam diripuit, ac vaſtauit. Id iniquius tulere Vicentini: ocius propterea cõcurrentes, arma in vindictã ſumpſerunt; veriti tamen ſtrenuiſſimi hoſtis potentiam, Vitaliano minimè occurrendum putarunt; quamobrem eo præterito ad locum exierunt, qui dicitur *le Longare* illicque in aduerſariorum perniciem, Bachilionis amnis alueum, obicibus ac ſepimentis obſtruentes, aliò diuerterunt, quo factum eſt, vt Patauium varia multaque ſubiret incommoda, molendinis atterendo frumento, bombicinis coagulandis, & id genus artificijs: tum verò maximè camporum irrigatione ceſſante (neque enim adhuc fluentum deducendum curarant, quod nunc *Brentelam*

nuncu-

nuncupant incolæ) perexit eò Vitalianus cuia interat cepti diſcriminis explicatio: abruptiſque & cõuulſis repagulis, priſtinum fluuio curſum reſtituit. Vincentini namque indè maturè receſſerant, ardentis Bellatoris aduentum nequaquam ſuſtinere auſi. Verum dum Patauini voti compotes effecti, domumq; redeuntes amnem traijciunt, Vicentini paucos qui citrá flumen remanſerant, ſubitaria impreſſione á tergo inuadunt: facilèque repentino terrore perculſos perdidiſſent; ni Vitalianus tale quidpiam prçuidendo ſuſpicatus, etiam de occurſu cogitaſſet, paratis expeditis Lintribus, quorum adminiculo actutum trãſuectus, fuit ſuis præſidio. Eius præſentia aduerſarij repreſſi ac profligati, pacem ſub æquiſſimis conditionibus petierunt obtinueruntque. Vitaliani huius cõmeminerunt Dandulus ac Bonifacius, poſt Chronicon Ezelini: ipſique filius ſucceſſit. *Auctores.*

Nomine MATTHÆVS, ſecundus videlicet; ſpectabilis ſanè prudentiæ, & eximiæ auctoritatis Vir, qui ſapientiæ ac integritatis merito inter Patriæ Patres cooptatus eſt; cum Patauina Ciuitas ſexdecim Procerum Magiſtratum creauit: prçfecitque conſeruandç libertati. Ingruit nimirum eo funeſto ſeculo Venetorum populis dira lues *Ezelinus* tertius (Ezelino Monacho de quo ſupra, non ex Cecilia Baonia derelicta, ſed ex Aldeida Mangania, illicito cõtractu execrrandiſque nuptijs ſuperinducta, ad damnatæ tempeſtatis excidium propudioſo adulterio ſatus) vulgò nuncupatus *de Romano*. Quo vno nemini Patriæ, vel ditionis vocabulum, minus ad naturæ geniũ XXXIV.

reſpon-

reſpondit. ſed verius & ſatius dixerim, nemo *Romani* titulum indignius tulit, fœdiuſuè temerauit, quem antiphraſi vſurpatum exiſtimarem; niſi exploratum haberem, eum non ab alma auguſta fataliquè Vrbe fœcunda ſummorum Heroum genitrice & altrice: certiſſimoque pietatis, & omnium virtutum aſylo; ſed ab oppido in Euganeis ſito, cui *Romani* vocamẽ; quod ſcilicet Ezelinus primus cognomento *Balbus*, iſtius auus, iam diù ab Othone Tertio Cæſare dono ſuſceperat; cum ei Magiſtri militum promercali militia operam nauaſſet, id agnominis ſortitum. Is (tertius inquam Ezelinus) ſeù *de Romano*, Verona, Vincentia, Taruiſio, atq; Patauio, ſubridente votis Fortuna vſurpatis, in hoſtes ac ſuſpectos vel leui de cauſa, execrabilem malignitatem effudit. mox in eorundem propinquos, familiares & amicos, tetrum illius virus efferbuit; ſed in nobiles Patritijque generis potiſſimum, inter quos Matthæum acerrimè inſectatus eſt; quamuis eiuſdem Imperialis partis aſſeclam & fautorem; immò amicitię nexu pridem ſibi iunctum. qui fugam arripere coactus, exul ac moerens occubuit, filio relicto iam adulta ætate, paternę quinimò communis calamitatis hęredę.

XXXV. Gentilitium huic obtigerat nomen frequens vſitatum; VITALIANI ſcilicet: animiq: dotibus, & quęſitis habitibus haud quaquam ſuperioribus degener habebatur; niſi Fortuna quæ multos ex ipſius Præceſſoribus benigniore fouerat afflatu, crudeliori in eum excitato ludo, acerbè ſupra modum iocata fuiſſet. Quamobrem alios de claris facinoribus commendare

mendare ſoliti, iſtius miſerebimur ærumnas; imò huic pariter atque illis pronum fuerit ob grandia *geſta* gratulari impræſentiarum atque applaudere; ſed alio atque alio ſenſu, nimirum ex ipſius verbi efficacia ac ſignificatione; nam vbi maiores miranda *geſſerunt*, ideſt patrarunt, hic grauia admodum *geſsit*, ideſt portauit exantlauitque Deæ impotentis iacula vel ictus: ſeque viriliter ac ſtrenuè *geſsit*, tyranni feritatē æquanimiter tolerando. Taliter fermè quidam in Domitium Neronem luſiſſe viſus eſt, cum eum ſalsè de Parricidio notauit, quia ſcilicet Genitricem enecaſſet inquiens.

Quis neget Æneæ magna de ſtirpe Neronem? *Acclctica ad Virgil.*
Suſtulit hic Matrem, *ſuſtulit* ille Patrem.

Ille ſiquidem Anchiſa humeris ſublatum, Troiæ eripuit incendio. Verè igitur eximius Vitalianus hic ſeptimus in ſerie trunci, qui ſummos tempeſtatum aceruos ſibi ad gloriam cumulos fecerit; in perpeſſione etenim malorum, non minus quam in aggreſſione terribilium, conſtituunt Philoſophi fortitudinē. Ea olim Pittaci Mitylenæi fuit ſentētia Prudentis eſſe proſpicere ne quid eueniat mali, Fortis tolerare quicquid obtigerit. Porrò truculentum illud humani generis monſtrum, Ezelinus dico, poſtquam aduerſæ factionis Guelphæ videlicet, ſeu Pontificię ſtudioſos, horrenda nimium carnificina interemiſſet, nec quidē ſuis pepercit; nimirum Gibellinorum ac Imperialiū ſectæ; quin atrociora in dies excogitando meditaretur, ijs pariter atque illis exagitandis perdendiſque ſupplicia, quibus ſic noua continenter tormenta in-

gerebat, vt non tam viuere citò deſinerent, quam diù mori cogerentur. Fabuloſa reputari poſſint quæ de antiquis Mezentio, Diomede, aut Buſyride, & eiuſmodi, priſci tradiderunt Vates; niſi Chronica quæ titulantur *Ezelini*, atque *Rolandini*, imó neotericorum quorumcumque, amplam illis fidem conciliarent, his coloribus portentum iſtud delineando, quorum intuitu horreſcat animus: quorum reuolutione mens contabeſcat; quoties namquè impius Ezelinus in memoriam venit, certatim ſinguli Scriptores, aſperiora, dirioraque in eum exacuunt: nec ſufficit ſanguinarijs Dario Perſæ, Annibali Poeno, Lucio Syllę, Vediopollioni, Domitio Neroni, Gygi, Diocletiano, Typhęo, Athilæ, Phalaridi eum contuliſſe, ac ijs retuliſſe immaniorem; ſed Hircana Tigride ſæuiorem, famelico Lupo rapaciorem, irritato Moloſſo rabidiorem, Vrſa fœtum enixa violentiorem, Lybico Dracone viroſiorem, & infernæ duntaxat Erinni coæquandum.

Auctores.

Qui terras tonitru terres, & fulmine torres.
Fulgure fac ſubito talia monſtra peti.

At hęc per tranſennam; nè nitidiſſimam narrationis faciem obducto næuo polluiſse dicar; quamuis oppoſitione turpium, amœna adhuc amplius iucundent. Pluſquam triginta hominum millia, beſtia hęc inclemens ſuſtuliſſe perhibetur; prę cęteris autem in Patauinos graſſata, quorum vſque adeò puerulos euirabat genitalibus exectis. Verum tunc maximè excáduit, cum Brixiæ obſidendę intentus, nuncium accepit de Patauio expugnato, ſibique per Pontificis Legatum erepto; extemplo enim Patauinos omnes,

qui

qui ei ſuberant: tam qui in eius exercitu militabant, quam quos alibi vinctos detinebat, peremit ad vnũ, quorum numerus ſupputatur ſuper bis ſena millia. Iampridem in Nobiles latè debacchatus fuerat, opes eorum diripiẽdo: generoſoſque cuiuſuis ordinis enecarat, à quibus quidpiam periculi tyrannidi ſuę imminere ſuſpicaretur ſomniaretuè. Et de extorre quidem Matthęo non multum fuit ei curę; vtpotè adfecta ætate, ac imbecilli; filium autem Vitalianum præferuidi ſpiritus virum, & maiorum gloria conſpicuum, omninò intercipiendum decreuit. Itaque adhibitis artibus ac dolis, nuſquam eũ perſequi deſijt: & nihil intentatum relinquens; tandem fraude circumuentum in poteſtatem redegit: diùque in carceribus maceratum, Fũdis eius publicatis, & palatio quod per Vitalianum quintum Palamedis ſecundi *Fo. 262.* filium, & huius Atauum cõditum attulimus, ad nomen etiam abolendum diruto, tamquam illius miſeratus gratificaturuſq; vertente anno trigeſimo octauo (licet quidam ſcribant eum ſeruatũ ad quinquageſimum tertium; nẽpè ſupra mille ac ducentos humanæ ſalutis) caput ei præcepit, vel potius indulgẽdo conceſſit abſcindi. Sic curſum conſummauit Vitalianus ſeptimus, egregius plané Princeps: prorſuſque indignus tam triſti vitæ exitu; niſi quod miranda tolerantia, quam à Deo perpetua innocentia ac pietate promeruerat, aditum ſibi ad Cælum, perenni cum gloria patefecit. Deceſſit autem trium filiorum ſobole relicta, non ſoſpite modo; ſed propè matura, animoſaque & virtutibus exculta; Ioanne vi-

delicet, bellicæ indolis ſpecimen præ ſe ferẽtẽ, & iam iam ad ſummos militiæ honores vadente, ac læto ob prolem maſculinam haud ita pridem ſuſceptam: Bartholamæo litteris, & ingenuis artibus ac morũ elegantia ſpectabili: Iacobino demum cui fuit ingenium induſtre, ſolertia inſignis, mirandaque in rebus agendis dexteritas. de quibus ſingilatim narrabimus; ſi famoſi Prædonis vitam, quod genus mortis ſubſecutum ſit edixerimus. Perſpectum ſanè in eo quod verè nimium cecinit Propheta Pſ. 73. Superbia eorum qui Deum oderunt, aſcendit ſemper. Cum enim Ciuitates & Oppida, quę per fas ac nefas bipedum ſceleſtiſſimus ſubegerat, exaturandę illius auidati minus ſufficerent, ad huiuſce Inſubrum Regiæ Imperium aſpirare cepit, fretus (vt poſt innotuit) vanis perduellium quorundam noſtratum qui ad eum confugerant pollicitationibus, quorum interuentu, in ſpem aſſurexerat potiundi opulentiſſimi Principatus: quia Fortuna ad eam diem vſus eſſet valdè propitia, & ab eius veſtigijs vix abſcedente. Sed pręſtat vetus afferre prouerbium, quod *Hi à Deo ex arce deÿciuntur rationis, qui diuinis legibus ſcelerum pœnas daturi ſunt*. Et verò Ciuitati quamuis inuictæ; pauenti tamen ad tantæ immanitatis famã, appropians haud parum timoris incuſſit; Sed procedere obuiam Martino Turriano cum electa, ac robuſta iuuentutè, declinauit Vafer, animoſæ aciei congreſſum ſuſtinere veritus: noſtri retrocedentem inſecuti à tergo, validè vrſerunt ſupra modum, donec Nefarius ſecundum Abduæ littora, ad Caſſanum ſauciatus comprehenſuſque

ſuſque, paullò poſt infrendens, ac ſe diſcerpens, quod ſe opprobrijs patere: & ad plebis inſultus ac ludibrium ſeruari intelligeret, vulneris alligaturam vnguibus reſcidit. Memoriæ proditum nefarium hominem anteà dum felicitatis præſidijs redundaret, vt ſemper in verum Numen contumelioſus extitit, cōſuluiſſe Beelzebub (non quidem Deum Acharon; vt quondam Ochozias vrgente ægritudine; ſed infernū Cacodemona) quem locum ipſius interitui Fata pręſtituiſſent: retuliſſeque ex mendaci ac deceptiuo ſpiritu, *Ad Aſſan*; videlicet conficieris. Extat in agro Vicentino Pagus, cui titulus vernaculo ſermone *Baſſan*, ferunt a Laudenſibus noſtris extructum, cum aduerſo Marte attriti, Patrio ſolo exulare cogerentur: nomenque attribuiſſe eorum tutelaris; nam diuum *Baſsianum* præſulem Lauda præcipuè colit. ab hoc Oppido maximè abhorrebat Tyrannus: nec eò acceſſit poſt reſponſum acceptum, metuens nè eum extremus illic interciperet dies. Verum cū ſe grauiter iuxta Abduæ flumen vulneratum perſenſiſſet, ſciſcitatus quodnam Oppido imminenti vocabulum, vt audiuit *Caſſanum* appellari; tunc ſibi illuſum intellexit, Quamobrem cum fremitu id ſæpius repetere audiebatur, *O Aſſan, Baſſan, Caſſan*. ſic flagitioſus ille, blaſphemus, periurus, ſacrilegus, pluries anathemate notatus, Eccleſiarum direptor ac profanator, hæreticorum ſchiſmaticorūq; propugnator, diuini cultus irriſor, athæus, ac veneficus, paratus ad omne nefas, & monſtro quam homini ſimilior: de quo incertum adhuc, an meditata à Diabolis ipſe pfecerit, potiuſuè

Ezelini interitus.

ſpiritus

ſpiritus nequam illius conſilia iuuerint, malignum ſpiritum efflauit. Hæc verò de facinoroſo barbaro, minimè nobis prætereunda fuerũt, quia Vrbis noſtræ intererat, amicos iugiter ac federatos Patauinos, & Vitalianum ſeptimum vlciſci, quæ eius nepotem Vitalianum octauum, propediem ditatura erat atque ampliatura; ſed verius dixerim, eundem Patauij ſatũ in ſe translatura: & ab eius progenie decoranda ac ſublimanda; vt deinceps.

Ferum ferreumque ſeculum haud abſurdè dixerit quicumque, Ezelini extitiſſe tempora; Venetiæ præſertim populis, quibus ærumnarum exundarunt colluuies, perindé atque amnes omnes in Oceanum confluunt. mirabile dictu; ſed miſerabile magis auditu, quot Villæ exuſtę: quot Pagi funditus deſolati ſunt; quot Oppidum cadauera proiecta iacuerunt. Verum ab vnius eiuſque inculpatæ ac innocuæ; imò optimè meritę familię calamitatibus, pronum erit cętera contueri; ex quo tot illatis contumelijs, vix exaturata fortuna; neque enim ſatis viſum eſt Matthæũ proprijs laribus, & natali ſolo pepuliſſe, Patria extorrem effeciſſe: & clariſſimum Equitem Vitalianũ eius vnigenitum, opibus ſpoliatum diùque afflictũ,
XXXVI. capitis dãnaſſe, Donec IOANNIS eximiæ ſpei adoleſcentis, vibrato iniuſtæ iracundię telo ſanguinem ebiberet. Degebant Venetijs Vitaliani liberi: ſeque ſatis tutos opinabantur, cum Genitorem Verſipellis inſidijs deceptum: in carcerem Patauij coniectum: tandemque obtruncatum, fama facinus euulgante, didicerunt. Ioannem ceù natu maiorem. dudũ Pater

Matri-

Matrimonij nodo alligauerat, iamq; paruulus ei natus fuerat, quem dixere *Gerardum* fuitque eius nominis ſecundus in trunco generoſę arboris. Ioannis vxorem quidam domo educunt nobilium Eſtēſium. quod ſi minus exploratum habeo, tamen veritati cōſentaneum exiſtimo; ex quo is Ezelini odium in ſe cōuertit acerbiſſimū, eo pręſertim nomine, quod Eſtenſi Actio, cum quo graues ille gerebat inimicitias, intimus prę cunctis haberetur. Et ſi non me clam eſt, alijs etiam de cauſis ambas familias, eximia quadam neceſſitudinis caritate coniunctas. Vti pręnotatum in *Iocunda* Valerij filia, quę Tiberio Eſtenſi in Matrimonium elocata eſt: inque *Lada* Erneſti Eſtenſis ſorore, coniuge autem Maximi ſecundi: & in Alexandro Matthęi primi, cui cum Alberto Marchione primo, ſumma interceſſit familiaritas. Inſuper Auctor hiſtorię Ezelini, dum Atteſten Oppidum de anno milleſimo ducenteſimo ac trigeſimo nono, ab eo expugnatum memorat, illud minimè reticendum putat, quod per Portam intrarit, quam *Vitalianam* nuncupabant. Elucet quippè ex his, arctiſſimo amicitię nexu inuicem deuictos. Ergo Ioannis virtutem ſibi formidandam ratus ſceleſtiſſimus homo, ſuſpicacis tyranni more meticuloſus; cum eum Venetijs euocare, aut elicere poſſe deſperaret, immiſſis eo Sicarijs, improuidum interficiendum curauit. Ita ingenuus iuuenis Ioannes in hoc ordine tertius ſublatus eſt, innocēs, nec vlli affinis culpę, iacuerūt propterea amici & noti eius, omneſque circumcirca, in eo luctu & ſqualore, qui maior eſſet omni conſolatione. Eius au-

Lib. 2. fo. 139.
Lib. 3. fo 205.
Lib. 3. fo. 223.

tem caſu aut conſimilibus, fragilitatis noſtræ meminiſſe iuuabit; vt ad vitam æternam deſiderio anhelemus vehemẽtiori, vel calamitatibus ac periculis, quibus lubrica hæc temporalis obnoxia eſt commonefacti. Enimuerò euentus eiuſmodi nonnullis cauſarum veſtigatoribus, anſam præbuere exiſtimandi, in hominum genitura, quiddam occultioris fati inſitũ eſſe, omni humana cautela potentius & efficacius; ex quo aliqui repentè quin & horribiliter occidere viſi ſunt, qui nedum nulli delicto addicti; ſed puri prorſus á delicto, ac inſontes penitus cenſerentur: qui nihil iuſtitiæ legibus deberent, neminem læſiſſent; qui demum (quod ille dixit) nil conſcire ſibi, nulla palleſcere culpa conſueſſent. indè enim ad cunctorum iam ora manauit: inque prouerbium tranſijt dictum illud,

Fato prudentia minor. illud item;

Fata regunt homines, certa ſtant omnia lege.

At id etiam firmum ſit, ſtetq; omni tergiuerſatione immobilius, quod:

Fata mouere Deus, tollere Fata poteſt.

Tota humanę ſortis Fortuna ſua auſpicia è Cælo deducit; quapropter affatim decipitur vel etiam deſſipit, quisquis talia ab omni æternitate nõ credit ꝑordinata: & quicumq; Vniuerſi ſpatium omne, & ſingula in eo, ac totum tẽpus, vno ictu vel nictu conſpicere poſſet, is proculdubio comprehenderet, cum omnia numero, pondere, menſura conſtare: tum vnicuique iuſta rependi; Deus enim qui cuncta creauit, idem etiamnum omnia conſeruat ac deducit, lucis diuinæ radios continenter, & quaquauerſum dirigens: rebus

ſingulis

ſingulis non præeſt ſolum, ſed intereſt, imò ineſt: & in manibus eius ſortes noſtræ. Capillos capitis noſtri dinumerauit: nec quidem Paſſer eſt in obliuione coram eo. Cauſarum verò inquiſitionem, ſapientes difficilem valdè, ſed multò periculoſiorem oſtendũt, quamuis antiqui Philoſophi multifariam multiſque modis locuti, aut verius oblocuti legantur: curioſa nimiũ cura hæc: & callis (vt antea dicebamus) ignotior ac remotior, quam vt perſcrutationis noſtræ veſtigio imprimi queat. Moyſes ipſe poſtquam è ſeruo in amicum: ex homine in terrenum Deum promotus fuerat. Exod. 33. domini faciem quærit nec inuenit: videre cupiens petit nec accipit; admonetur verò poſteriora duntaxat rimari, id eſt effectus. Quod enim ſapientiam Dei præcedentem omnia nullus aſſequi poſſit, ſententia fuit magni Siracei Eccl. 1. Hinc & Danieli cap. 7. crine niueo, ſenectute veneranda, antiquitate terribilem, ſeptum ſe prodit Angelis, & ignitum ſede. Et Eſaiæ 1. Seraphinis velatum ardẽtibus, quò ſtricturas fortaſſè quaſdam, vel ſcintillas eius ignis indicet ab hominibus percipi poſſe, ipſum defixo obtutu contueri nequaquam; qui puta poſuerit tenebras latibulum ſuum. Dum igitur quidpiam infantium fermè more, lingua vel calamo titubante promere nitor, illud animaduertendũ prælibo, quod quotieſcumque, & vbicumque in caſus inopinatos, proſperos aduerſoſuè neſciens ac cæca impingit humanitas; ea ſemper meritis noſtris conſentanea ſunt, vel pręſentibus, vel pręteritis, aut certè futuris: & cõferunt quidem ſingulariter nobis quandoque, ſed

vniuerſo ſemper; ſic enim Cauſa cauſarum Mundi huius temperat harmoniam; vt licet nõnulla quibuſdam interdum diſſonare videãtur, toti tamen omnia conſonent. Idque in Ioannis huiuſce exemplo perſpicuum (mirum quam validè rationum vela perflent exemplorum venti, in quolibet ſcientiæ pelago) Ioannis ſiquidem leto, Venetorum ac vicinorũ Principum animi adeò commoti ſunt, vt in nefarij Ezelini perniciem omninò conſpirantes, Philippo Fontanæ Pontificis legato ſe vltrò ſocios adiungerent: & coactis viribus Patauium illi eriperent, id porrò perditionis eius initium extitit, hominibus non obſcurè Dei magni vltoris vim agnoſcentibus.

In tanto rerum diſcrimine, Bartholomæus eiuſdẽ Vitaliani ſeptimi filius, Fraterque tertij Ioannis ac Iacobini, ſibimet proſpiciens: anteactaque tempora ſecum ipſe reuoluens, quibus maiores ſui Vitalianus tertius (vt in Orientali præmiſſum) Anaſtaſiuſque, & Gaſpar, tum & alter Anaſtaſius (de quibus ad Meridiem) eiuſcemodi procellis agitati, fuga ſibi conſuluiſſent aliò demigrantes, & mutatione Cęli Fortuna inſimul vſi fuiſſent mitiore. ipſe pariter peregrè proficiſci conſtituit: Regiamque celeberrimam: & amœnitate feliciſſimã Parthenopem: quæ eſt *Neapolis* Vrbem, prouido conſilio incolendam delegit: in qua & maritali ſe copula ſociauit: & diuitias comparauit ſanè ingentes: fundoſque acquiſiuit ac Pagos, quin & liberos procreauit Gaboardum Vitalianumque, à quo proceſſit, Ingulphus & Iacobinus. aſt Gaboardus genuit Theubaldum. hi quippè duntaxat nobis

Vitaliani Regnicolæ.

Fo. 148.
Fo. 190. & 195.

nobis innotuerunt, qui poſtmodum temporis ſucceſſu, per varias citerioris Siciliç, vulgò *del Regno* Ciuitates propagati, complures familias excitarunt, è quibus permultos litteris & armis conſpicuos, ac Epiſcopum prodijſſe compertum eſt. Extat ſingrap ha quędam auctoramenti, qua nobiles de Vitalianis Patauij degentes, ipſos Regnicolas legitimo ipſorum ceſpite prodijſſe teſtantur. communemque originis deriuationem recognoſcunt ac profitentur; quam nimirum conteſtationem, ipſi domini Vitaliani Regnicolæ obtinuerũt de anno quadrageſimo octauo, ſupra milleſimum ac quingenteſimum partę ſalutis, cum fortè inter eius Regionis Equites ac Barones, oborta fuiſſet altercatio ſuper antiquitate, aut nobilitate proſapiæ. Hæc de Bartholomęi ſucceſſione.

Iacobinus autem inter Vitaliani liberos poſtremo loco natus; dum Venetijs moraretur, Gerardi nepotis adhuc puerui ſolicitudinem gerens (hunc enim potior manebat pars hęreditatis, in eum tranſmiſſa per ius de primogenitura diſponens; vt ſcilicet primogeniti filius ſuccedat in iuribus genitoris ſui. arg. l. ſi libellum, & ibi Bar. Bal. & Salyc. C. de diuerſ. reſcript.) Ezelino interempto, Patriaque in priſtinam libertatem vendicata incredibiliter lętatus, Patauium redijt: initoque coniugio, numeroſa ſobole ditatus: & planè felix haberi potuit; quiputà Pater extiterit omnium Vitalianorum, quotquot Patauij ad hanc diem viſũtur, ſiuè enaſcentur amodò. nec quiſquam in hac fœcunda Arbore tantopere ramificaſſe inuentus eſt: aut in tantas ſe effudiſſe ac dilataſſe propagines. Nepo-

Patauinorũ Vitalianorũ Ramus hodie viuens.

tum verò eius ſucceſſionem; rametſi lineam noſtram excedit ac ſeriem: nec in ſtylobatæ ſtructuram compingenda venit, ornatui vnicè deſeruiens: & numerum augens (quemadmodum & reliquæ laterales, quas icçircò omiſimus) referre tamen & connotare iuuat, vel in gratiā mihi iugiter colēdi D. D. Danielis
Fol. 89. Vitaliani, Monachi Caſſinatis quē in facie ad Orientem memorauimus; nempè nè excludi videatur á glorioſa progenie cordatus vir, cuius vigilantia ac pertinaci feliciique ſtudio, tam multa è tenebris eruta gaudemus; qui inquam adeò pretioſam ſuppellectilem hiſce noſtris Theſaurorum promptuarijs ſuppeditauit. Eos autem nouo ordine; litteralibus nimirum elementis ſupranotare placet; nè quandò nominum geminatio, frequenſuè repetitio, æquiuocatione ſeducat, aut multiplicitas animum confundat lectoris. *I*pſe igitur Iacobus ſeptimi Vitaliani filius, frater autem Ioannis interempti, ac Bartholomęi: Patruuſque & educator Gerardi minoris, genuit Palamedem[a] ac Vitalianum[a] qui fuit Eques, habuitq; Iacobinum[a], & Franciſcū[a], ex hoc prodijt alius Franciſcus[b] Rogeriuſq;[a]: at Iacobinus[a] dedit Ioannē[a], á quo quinque proceſſerunt; ſcilicet Iacobinus[b] dictus *Boſchinus*; Bartholomæus,[a] Gaſparinus,[a] Marſilius,[a] & Gerardus.[a] Ex Gaſparino[a] ortus eſt Marſilius,[b] Gerardus,[b] Martinus,[a] & Ioannes.[b] Ex Marſilio[a] proceſſit Ioannes[b] itidē Eques, qui ſuſcepit Iacobinum[c], Antonium,[a] & Frāciſcum[c]. Iacobini[c] filius fuit Franciſcus[d] ac Ioannes[d]. Franciſci[c] verò cognomēto *Piccenini*, proles fuit Ioannes,[c] quem exceperunt nati quatuor,

tuor, Georgius,[a] Nicolaus,[a] Lazarus[a] Doctor, ac Benedictus.[a] Georgio[a], ſucceſſerũt Antenor[a], Benedictus[a] Vitalianus[b], Alexãder.[a] Antenor,[a] reliquit Antenorẽ[b] qui Monaſticam vitam eligens, inter Religioſos Mõtis Oliueti, dictus eſt Don Clemens: dedit præterea idem Antenor[a] Nicolaum,[b] & Gaboardum[a], qui fuit pater Ioannis[f]. Vitalianus[b] autem dedit Iulium[a], Federicũ[a] ac Georgium[b]. In veſtigia verò Lazari[a] Doctoris cõſtiterunt Iulius[b], Ioanẽs Baptiſta[a], Marcus,[a] Raphael,[a] atq; Petrusmartyr.[a] Qui ſolus poſteritatẽ vidit Lazarum,[b] Matthæum[a] Doctorẽ, Marcum[b] Vitalianum[c] ac Ioannem[g]. Matthæo[a] Doctori ſucceſſerunt Ioannes Baptiſta[b], Paulus[a] ac Theſibaldus,[a] quẽ ſubſecutus eſt Matthęus[b]. Nũc redeo ad Gerardum[a] qui fuit vltimus inter Ioannis[a] Equitis filios. Ipſe enim ſuſtulit Obizonẽ[a] Melchiorem[a] Gabordum,[b] & Franciſcum.[d] Rursũque Gaboardus,[b] Carolum,[a] Vitalianum[d] Antonium[b], aliũ Gaboardum,[c] & Alexandrum[b]. Iamuerò progenies luſtranda venit Iacobini[b] cognomẽto *Boſchini*, quem diximus equitis Ioannis[a] primogenitum. is Porrò habuit Vitalianũ[c], Palamedem,[a] quẽ alij dicũt *Palamideſium*,[a] ac Marſilium.[c] ex Vitaliano[c] ꝓceſſit Palaminus,[a] qui accepit ab Epiſcopo Patauino Feudum Pagi quem dicũt *Boſco di Sacco*, confectis ſuper his inſtrumenti tabulis vulgo *Inueſtitura*, de anno 1349. Palamideſio[a] autem nati ſunt Martinus[b] ac Palaminus[b] Eques. Cuius meminit Siuo Polentonus ſcribens ad Nicolaum Florẽtinum, quod teſtis interfuiſſet inuẽtioni corporis Titi Liuij Patauini, olim celeberrimi ſcriptoris. Repertũ porrò fuit de

anno

anno 1413.Petrus Paulus[a] ſuſcepit Nicolaũ:[e] Iacobinuſque[c] Vitalianum[f]. Palaminus[b] autem Eques genuit Bernardinũ,[a]& hic Vitalianum[g] ac Martinum.[c] Vitalianus[g] aliũ protulit Vitalianum[h].Martinus[c] verò Marſiliũ,[d] Vitalianum[i],ac Palaminum,[e] hi omnes vaſſalli inueniuntur Epiſcopatus, ratione dicti Feudi, quod ſucceſſiuè obtinuerunt vltra annum 1500. Vitaliano[i] ſubindè ortus noſcitur Bernardinus,[b] cui ſuc ceſſerũt Lucas,[a]Antonius,[b]Vitalianus,[l]Fidelis,[a]Marſi lius,[illegible]& Alexander[c].Fidelis,[a] dedit Bernardinum[a]& is Matthęum,[a]ac Fidelem.[b]at Vitalianus[l] habuit Angelum,[a] Antenorem,[b] Bernardinum[d], ac Pãdulphum.[e] Antenor[d] pater eſt iunioris Vitaliani.[m] Bernardinus[d] tem,ipſe eſt R.P.Don Daniel,inter Illuſtriſſimę Congregationis Caſſinenſis Monacos, celeberrimi Cœnobij S.Iuſtinæ Decanus: erudiendiſque adoleſcentioribus Monachis Magiſter adhibitus, quod Præſides, & illibati eius Ordinis Archimandritæ,cupiant tyrones ſuos, religioſiſſimo Patri quam ſimillimos euadere. cui nos quoque plurimum debere fatemur: precamurque à domino perſeuerantem in eius volũtate famulatum.

Ea fuit Iacobini progenies,cui cum alios adiungere
XXXVII pronum eſſet nouiſſimè ortos;minus tamen neceſſe ducimus; nam verſamur in claris,faſtidimuſque prolixitatem. Sub eo patruo,patrino,ac tutore,pubertatem exceſſit GERARDVS ſecundus, quem retulimus ab infantilibus annis orbatum Patre Ioanne quarto,Vitaliani ſeptimi primogenito. Gerardus igitur cum adoleuiſſet, Patauium reuerſus, bona ſua recepit,

cepit, prædia oppidaque; quantumlibet Fiſco adſcripta (vt è publicis Patauij ſcriniſs proferri licet) nempè reſcindebantur paſſim quæcũque impius Prædo egerat aut ſanciuerat. Cuncta porrò Gerardus adeò euerſa, diſiecta atque exterminata reperit, vt innumeris laborũ difficultatibus diſtringeretur, pro ſubmouenda locorum calamitate: ſarciendiſque detrimentis quæ ſubditi dudum perpeſſi fuerant: inſtaurãda demum re familiari. nec tamen ita œconomices ſe præſtitit ſtudioſum, vt politicam negligeret vllatenus; quinimò multum opera, ampliuſque conſilio valens, maximo fuit Reipublicæ emolumento ac ornamẽto; Eo ſiquidem tẽpore Vrbs Patauina ſublato occupatore, ſtatũ abſolutæ libertatis redintegrarat: cuius argumentum vti colligitur ex Philoſopho, ſexto de Republica, eſt *Vicisſim parere, et imperare*. Quapropter ſui regimen tradiderat mille virorum concilio ad vices, Præſidente iuſque dicente Prætore alienigena externè accito. ac propediẽ refloreſcere ſperabat, ciuium fide ac virtute nixa, maximè quod Vincentiam Tridentumque ſibimet ſubegerat: indèque multa Rectoribus curanda ac prouidenda obueniebant: multa diſcutienda: nec armatis ſupererat deſidiæ locus; nam bellum inſtitit aduerſus Taruiſinos haud leue: itemque aduerſus Vincentinos obtemperare detrectantes, interdum & colla iugo ſubducere tentantes. in his omnibus Gerardus ſagacitatis ac feruidi ſpiritus egregia traditur inditia præbuiſſe. Moriens demum circa annum domini 1280. vnicum reliquit hæredem. *Ariſt.*

Quem

Quem inſtar primi Gerardi Vitaliano quinto ge-
XXXVIII niti,PETRVM appellauit,fuitque eius nominis ſecũ-
dus in ordine:& fermè primo aſſimilis;nimirum bel-
lator ſanè acer ac ſolers: & grauioribus Patriæ nego-
tijs dirigendis tarctandiſque ſæpè adibitus. Ipſe bel-
ligerantibus aduerſus Canem ſcaligerũ Veronæ Prin
cipem Patauinis,cohortis mille peditum Ductor,me-
moranda multa patrauit. Magna illi neceſſitudo,
quin & propinquitas cum Nicolao, cui cognomen
de Lozzo,viro primario,opum & aſſeclarum copia,
tumuerò Illuſtrium Caminiorum Scaligerorumque
adheſione valdè eminenti; ſed cum is tantis fauori-
bus auctus Ciuitatem ſub iugum mittere, eiuſq; do-
minatu potiri affectaret, Petrus ipſius genio, & con-
ſilio certioribus argumentis explorato, totis conati-
bus ei obſiſtendum ſtatuit;quod Patriam pietatis vi-
ſceribus complecteretur. & maxima proſequeretur
caritate; quamobrem cum bonum publicum omni
priuato commodo honeſtius reputaret ac ſanctius i
nefaſq; duceret quidpiam aduerſus communem Ma-
trem attentare aut admittere(Amicum eſſe oportere
ſed vſque ad Aras,dicebat Pericles;ideſt, Amici cau-
ſa minimè violandam eſſe religionem,qua nos & Pa
tria deuincit)Quantum Patriæ debeamus prędicant
aſſiduè Philoſophi,exemploque prodiderunt ſummi
Heroes priuata omnia illi poſthabentes. inter hos
Guglielmus Iacobini de Rubeis, Vgolinuſque, nõ di-
co Epiſcopus Parmæ, ſed Vgolinus prædicti Gugliel-
mi germanus,circa annum domini 1300 multa feciſ-
ſe ac pertuliſſe memorãtur aduerſus Gibertũ de Cor-

rigio

rigio ad Patriæ tyrannidem inhiantem ; ſed digredi nequeo. Petrus Patauinam Ciuitatem, velut in ſinum excepit, ſuſcepitque tuendam; ritè igitur ac iuré inter optimos Ciues, & validos Patriæ defenſores cenſeri potuit, in quem præconium conuenire exiſtimetur, quo Pyrrhus aliquando Fabritium honoraſſe fertur inquiés, Eum difficilius ab honeſti tramite, quá Solem à curſu ſuo auerti poſſe. Eo autem deſolationis publica tum negotia redacta videbantur, vt non minori numero, auctoritateuè cõſtarent ſeditioſi Vrbiſque perturbatores, atque ingenui eiuſdem propugnatores; pręcipué verò incertum vulges in contraria ſtudia diſciſum: adulatoreſque multa ambientium largitione corrupti: & ex eorum numero qui cũ nullam gratiæ ſpem pro ſe in comitijs habituri viderentur, extra ſortis petitionem poſiti, melioribus Vrbis clauum inuidebant. in quã nimirum ſententiã ſcripſit Tullius ſummè perpendendus, *Homines improbi, honores quos tranquilla Republica deſperant, eadem perturbata conſequi ſe poſſe arbitrantur.* huiuſce farinæ peruerſi, in tantas nutantem Patriam coniecerant anguſtias, vt paullò poſt ſui iuris eſſe deſineret, libertatiſque titulo deperdito improbis Dominis colla ſubmittere cogeretur. Aſt interim dum regimine adhuc vteretur Democratico (cum plebs ſuo more à magnatibus ſemper diſſidere ſoleat, *Excellentia enim nunquam non inuidioſa*, at in populari adminiſtratione potiſſimum) lege lata vetitum eſt Proceribus ac Baronibus, quocumque nomine vel titulo Oppidorum ditiones aut Feuda obtinerent, vt de cætero

Cicero.

Oo à cri-

à criminalibus Vaſſallorum cauſis cognoſcẽdis, nedum dijudicandis abſtinerent: nec de illis quoquomodo ſententiam ferrẽt; ſed eas ſupremo Vrbis Magiſtratui remitterent, earumque iudicia omninò ſibi adempta: & ad Patauij Tribunal fore meminiſſent aduocata. Quod vtcumque ab infimi ordinis, & malè feriatis hominibus liuoriſque tabe infectis procuratum intelligeretur; iuſtitiæ tamen congruens, & ad amuſſim ſani atque optimi regiminis cõſtitutum non ambigitur; ſic enim ſubditos ab illicitis Dominorum quorundam vexationibus vel extorſionibus palam eſt redimi: nec tam facilè inſontes prò poteſtatem exercentis libito vel libidine damnantur. En quomodò honeſtum ac vtile plebiſcitum, ab hominibus etiam toruè ſpectantibus ac peperam cogitãtibus elicere nouit, qui educit nubes ab extremis terrę: quique dixit de tenebris lucem ſplendeſcere. Verè *S. Auguſtin.* ſcribit Aurelius noſter, Melius iudicauit Diuina ſapiẽtia de malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere. Sed hæc extra rem dicta. Eia curſum teneamus. Petrus etſi oppida Boionis, Boſchi, & Sancti Angeli ſicut anteà poſſideret; ſatis tamen imminuta poteſtate regebat, Magiſtratu ſeuerè nimium in contumaces animaduertente. Filium genuit vocabulo Hieronymum, de quo, quemadmodũ de Petro patre auoque Gerardo, nonnulla memoriæ pro-*Auctor* didit Cortuſus.

Circà id tempus in poteſtatem Carrarenſium Ciuitas Patauina deuenerat, qui eam ſtudioſè exornarũt ędificijs peramplis, tam publicis quàm priuatis: Mœ-

niaque

niaque in gyro quadratis lapidibus extruxerunt, quę extare viſuntur vſque adhuc. Regiminis verò aliā, penituſque diuerſam formam introduxerunt. Quapropter de HIERONYMO illud vix memoriæ datū, XXXIX.
quod conſilijs aſſiduè intereſſet: quodque diuitiæ ei abundè ſuppeterent; quippè ei defuit occaſio exercēdarum ingenij virium, quod plerumque aſſolet animis etiam præferuidis, & ad præclara contendentibus. *Multum refert in quæ tempora quis inciderit*, dixit quidam Sapiens. Hęredem habuit filium, Iacobū nomine, quem *Iacobinum* ſæpè vocitari audio; ſic nimirum diminutiuè vocabula enunciare vſus fermè tulit eorum ſeculorum; ceù liquet annalia percurrenti.

Si quis generoſi Amnis decurſum, oppleto tabulis, glebis, ſarmentorum faſcibus, & id genus obſtaculis alueo, cohercere nitatur aut detinere, breui neceſſe eſt, vel exundante ac ſupereffluente fluminis copia, comportatos aggeres tranſmitti cernat ac præfocari, irrito ipſius conatu irriſaque ſolicitudine, vel riparum ambientium latera turmis ſpumantibus cōcuti, terreaſq; coronas horriſono impetu diſcindi atque proſterni: vel ſaltem aſſidua liquidi ſeque ſenſim ingerentis elementi impulſibus, tamquam actis cuniculis ſeu arietis ictibus, telluris meatus terebrari: paulatimque ampliato hiatu, vaſtum patefieri aditum, per quem decliues campi, & circumiacentia arua, erumpentibus ſubindè fluctibus occupentur, & ſubmergantur; velut congeſta aquarum vi, ſtagnum prorſus dedignante. Taliter fermè generoſa indoles

Ingenuorũ, Heroumque animis inſita, otiari neſciens, priuatæque ſortis impatiens, inceſſanter gliſcit: & venæ pulſatilis inſtar eorum præcordia quatit: adque preclara obeunda extimulat; vt perquam ſenſatè Patrimonium iſtud animi (veram dico nobilitatem) antiqui, *Soli* ac *Sali* aſſimilarint; quia ille calore attrahat ac repurget, hic mordacitate pungat, & condimenti
xxxx. impertiat ſaporem. IACOBVS ſiuè Iacobinus Hieronymo ſatus, cum ſibi ea tẽpora obtigiſſent quibus ad bellicam priſcorum gloriam nequaquam aſpirare licebat; Patria videlicet in Carrarienſis ſinu conquieſcente, per quem nec facultas erat Ciuibus apud exteros arma tractando mereri: nec verò Reipublicæ negotijs ceù quõdam vacãdi ſupererat locus (vtpote Ariſtocratia primò in Democratiã cõmutata: poſtq; ad Monarchiam deuoluta: & á multorum cõſilijs ad vnius arbitrium translata) præaltos ingenteſque ſpiritus, quos cohibere vix poterat, ad victus ac ſtatus magnificentiam ſplendoremque conuertit: omniũq; maximè ab excellentia nobilium operum laudem quæſiuit. Alias legiſſe recolo de Ariſtippo Philoſopho, quod cum quidam ei probro daret, quia exquiſitè nimium ſplendidèque viueret, reſpondit ille. Id ſi vitium eſſet, in Deorum ſolennitatibus nequaquam aſſumeretur; in his quippè, & magnificè veſtiri: & lautè ac opiparè veſci conſuetum. atqui cũ Dij mala abominentur ac damnent, nõ placarentur neù promouerent; quin potius irritarentur huiuſmodi lautitia, ſi ea quidpiam vitij haberet admixtum. Tali autem reſponſo, eluſit fortè conuitium; non tamen id

vn-

vndequaquè laudabile probauit. Perquam ſapidè è contra Zeno Cittięus, cuidam immoderatum luxum excuſāti, quia diuitijs affluerét (quod minus dedeceat ſumptus ex abundantia) argutum obiecit paridigma. Annè Coquo ignoſceres, dapes plus ęquo ſalſas apponenti, cauſantique multū ſibi ſuppetere ſalis? Pythagoras aiebat, in Ciuitates primum irrepſiſſe delitias, mox ſaturitatem, deindè violentiam, poſtremó exitium. & Franc. Petrarcha aſſerit. Indumentum molle & pretioſum nimis, eſſe ſuperbiæ vexillum, & ſenſualitatis nidum. & de hoc ſatis. Siquidem veró Iacobo huic inerat præcipuum naturæ donum, formæ decus, vultus hilaris, ſpectabilis ſtaturæ dignitas, iucunditas morum; ſuper omnia tamen præſtantiſſimæ liberalitatis ſpecimen prę ſeferebat, opulentiore Fortuna dignus cenſebatur. fortè hic ſtudia æmulatus Ioannis tertij Carolo geniti de quo ſub huiuſce libri initium, eumque imitari cupijt, licet non adeò firmus ab opibus. Imó verò in multis Ioanni ipſi cæteriſque præferendum dixerim; neque enim ea cultus elegantia, eo apparatus nitore, aulæ ornatu, victualium lautitia, sūptuoſarum veſtium luxu, dignitate equorum vel armorum copia: & frequenti famulorum aſſiſtentiū ac hipagiorum concurſu contentus erat, quę Procerem decerent ac Dynaſtam; ſed magnos æquabat Principes eius temporis, nedum aduerſus auaritiæ morbos inuictus, ſed opum ac parſimoniæ contemptor: interdumque vel inconſultè munificus. Proptereaque cum graui iudicio, licet inuidioſo faſtu, vnus ipſe dignus habitus eſſet, qui clariſſimam Borromæorū gentem,

Zeno. *Pytha.* *Petrar.* *Fo.256*

Vi lib. 6 tem, antiquæ originariæ Vitalianorum familiæ in ſe-
ipſo denuò cenſereret: atque iterato copularet, ex le-
ctiſſimæ Margaritæ coniugio, ipſam etiam auri pon-
dus, & dotalitia munera quę illa ſanè ingentia detu-
lerat, ſuperfluo cultu. (cum cenſus quantumlibet co-
pioſi, profuſis tamen largitionibus ac expenſis minus
ſufficerent) breui exhauſit. Animo quippé reuolue-
bat (vt reor) inclytus Heros foreque cogitabat, vel
ab ſuo felici ſydere, vel mentis conceptu magnum
quidpiam præſagiens, proſapię ſuæ grandem diuitia-
rum cumulũ obuenturum. facundiſſimi porrò Chry-
S. Petr. Chryſ. ſologi ſententia fuit, quod Deiectæ mentis ſit, qui fa-
miliaris rei meminit, cum vocatur ad Regnum; non
enim poteſt dominari grandibus, niſi qui puſillis non
tenetur: pauper ſenſus paruis incubans magnis ex-
cluditur: iacens animus plebeius, numulum metitur,
indignus amplis Theſauris & cęt. Et hęc quidem au-
ditu ſuauia, imitatu longè delectabiliora; niſi quod
fallax plerũque ac deceptiua nimium eiuſmodi ſpes,
cui euentus rarò admodum reſpondiſſe inueniantur;
imò his qui inanibus opinionibus hiſce lactati vel im
buti, prodiga ſubſtãtiæ effuſione, neruos ſibi imodicè
præciderunt (quod Salomon Pro. 6. pigro cõminatus
eſt) vt ſępius noſtra etiã ętate, ſuperuenit quaſi viator
egeſtas: & pauperies quaſi vir armatus. Quid Iacobo
ipſi acciderit referemus, ſi Vxoris eius prius ſcrutati
fuerimus originem; permagni enim intereſt ſtructurę
huic perſiciundæ. Interim ille auitis opibus ac bonis
proſperè perfruatur. Fatis feliciorem adhuc Fortunã
eius poſteritati deſpondentibus.

Hactenus de Occidua facie.

Illuſtriſſimo Domino ſuo Colendiſſimo,

MARCHIONI

IO AMBROSIO DE ABDVA.

D. Baſilius. Serenius,

A Domino Saluatore irriguum inferius, & ſuperius irriguum.

ARcana Naturæ, Artis, ac Scientiæ myſteria: mirandos effectus, altiſsimaſque abditas origines et cauſas, non Parabolis modo, Symbolis, aut Apologis quæ ad rem litterariam ſpectare videntur; ſed Signis quibuſdam, Notis, ac Figuris, cum celare et recondere, tum reuelare, atque efferre in lucem, perquam familiare Philoſophis olim extitit, ac Sapientibus. Ea verò Aegyptijs Hieroglyphica dicta, Graijs Enigmata, nobis Imagines in vniuerſum. Id imitati ſuccedentibus ſeculis nonnulli Heroes, Stemmata ac Inſignia quædam ſibi adaptarunt, ſiuè à Principibus promeriti ſunt, quibus vel ſua, vel certè progenitorum ſtudia ac facinora comprehenderentur: et quis eorum Reipublicæ vſus: quiduè partum emolumenti, ſimilitudine ſaltem, ſeù dicam typo vel cō-pēdio, ob oculos reuocaretur; nimirum ex inditis Signorum qualitatibus, ſi phyſica mutuati fuiſsent; vel nuncupatiuis, ſi artefacta. Hinc obuia paſsim habentur nobilium familiarum Emblemata, ab Animali-

malibus, varijſuè Alitibus deprompta: ſæpè etiam Arcibus, Turribus, Machinis, diuerſiſque Fabrilibus expreſſa. Iam de Antenore relatum, quod & cur, Marinos in Scuto effinxerit fluctus. Porrò in atrijs ac porticibus maiorum tuorū ſanè peruetuſtis AMBROSI Marchio ſuauiſsime, cōſimiliter fermè Fluuiales vndæ effigiatæ viſuntur. Quid ita? Flumina dici putantur ab affluentia; quod per ea Terris affluat vbertas & copia frugum; vel à fluendo, quia perpetim decurrant, donec in Mare dilabātur vndè digreſſa ſunt: aſſumunturque frequenter in Sapientiæ, Multitudinis, Opum atque Eloquentiæ symbolum. Appellantur et Amnes, quia circumſitas regiones amœnent (amœnum autem vocamus quod allicit ad ſe amandum) At verò opulenta ſoli agrique noſtri feracitas: inuidioſaque qua perfruimur cornucopiæ felicitas, à gnaris rerum æſtimatoribus, Cæli clementiæ aſcribi ſolet, Aquarumque irrigationi, quæ in riuulos ac fiſtulas diuiſæ, perque campos diſtributæ, planitiei ſupereffundūtur: adque germinandum fæcundant. Harum quædam ſpontè è ſubterraneis ſcaturiunt; vt plurimum verò è Regijs fluminibus deriuantur, Ticino, Abdua, Ambroque potiſsimum; hi enim præcipui habentur Agri Mediolanenſis Amnes. Quorum primus, Oppido noſtro ac Municipio celebri nomen dedit, quod ſubindè populo, diuitijs, ac bonis artibus mirificè auctum,

Papiæ ſibi vocabulũ aſcripſit, Ciuitas aliquãdò Lõgobardorum Regum, nunc Muſarum domicilio inſignis; nempe Gymnaſio Inſubricæ Prouinciæ. Secundus verò (de Abdua *loquor) nè quid minus eſſet, præclaræ familiæ tuæ vocabulum indidit. Quo ſanè illud portendi viſum eſt; vt tantum Patriæ decoris è clariſsimorum Domus iſtius Heroum geſtis prouenturum crederetur, quantum vtilitatis hauriré putatur, ex ipſius Fluminis irrigatione, onerum vectione, ſimul ac munitione; nam eiuſdem lymphæ per nauigabilem cataractam (quæ à* Marte *nuncupatur) deducta, et Vrbem circumcircà alluit, velut brachijs complexa, et ipſam Iouis Arcem alioqui inexpugnabilem, inacceſſam quoque ſuo ambitu efficit. Laudẽſe ſolum quod feracitate cætera quæque tota Europa antecellat, totum* Abduæ *pinguedini acceptum refert. Plinius obſeruat Abduæ fluentũ Lario infuſum, Lacui minimè permiſceri, ſed fermè intactum ſupernatare, Cui ipſe ſubſcribo occulatus teſtis. Alias quin etiam eius Amnis qualitates pronum eſſet afferre, & ad Proſapiæ tuæ præſtantiam referre; niſi ipſius quoque Ticini noſtri initia perſcrutatus, eius fontem exilire comperiſſem è radicibus Montis cuiuſdam inter Alpes, quem dicunt* Adulam *eiuſmodi autẽ nuncupatio, quantum germanitatis retineat cum cognomine* de Adda, *verba proijciam ſi oſtendero. Et quid ſi indiuiduale nomẽ*

tibi dum ſacra regenerationis aquis intinctus es attributum, prædictis coagmentauero? Ambroſius *quippè perbellè ab* Ambro *trahi conſpicitur; vndam verò lucidam ſplendentemque inſtar Ambræ vel ſuccini, vocabulum Torrenti indidiſſe ſententia eſt grauiſsimorum Auctorum. Ergo ex vna domo tua, tantum Vrbi noſtræ accedit ornamenti, quantum vniuerſa gleba vigoris, aut commodi percipit, ex toto Aquarum confluxu; maximè cum et olim ſummus rerum Opifex, congregationes Aquarum appellarit* Maria. *Cuius præciſè vocaminis, lectiſsimam ſortitus es Coniugem. Hæc verò commentari iuuit, nè dùm Boreale hoc latus vndè Maternum diuo CAROLO eductum genus, auſpicijs tuis exhibeo, ſterile quidpiam, aut in frugiferū nomini tuo aſcripſiſſe dicar; quin potius fœcundum atque omninò vber. Præter id enim quod Aegyptij ſapiētes aſtruūt, nec Ariſtoteles diffitetur, Septentrioni vim maſculā ineſſe: Ventoſque hyperboreos Marium prolificos. Amplius madefaciendæ ariditati (ſi qua ſupereſt) latices vndecūque adducere cogitaui, et de regionibus cōgregare eos, à Solis Ortu, et Occaſu, ab Aquilone & Mari; nè quandò horreat hæc plaga ad Arctum ſita: et fiat ſicut terra ſine Aqua tibi. Quamuis et cæteroqui, vocabulum tuum deſumptum nouerim à ſuauolenti illo fragrantique cibo; nempè* Amroſia, *quam fabulantur immortalitatem ve-*

ſcentibus impertirè ſolitam, nam eatenus Cælitibus in eſcam reſeruata. Sed verius à Sanctiſsimo Doctore patrono Ambroſio; *quemadmodum, & clariſsimæ viragini Vxori, nomen tribuit ſuperbenedicta Virgo virga aromatica, quæ ſuperno perfuſa rore, Florem protulit plenũ gratiæ et veritatis, quam imploro vtrique propitiam.*

AD EVNDEM.

CLARISSIMUM MARCHIONEM
PHILIPPI RICCII THEOL.

BAſilius Ceruo ſimilis, ſimiliſque gementi,
Currit ad Ambroſij fontis anhelus aquas;
Dumque fugit dicit remorantibus indique turbis,
Nè mihi currenti præpediatis iter.
Æger eo: quid adhuc manu me ſtringitis? Eheu,
Linquite; ſi febrim diſcere vultis, amo.

EIVSDEM.

Abdua (crede Heros) placidis tibi plaudit in vndis
Immenſum celebrat teque Maria Mare,
Fortunati ambo, Cęlum vos iunxit in vnum,
Vt ſolet Oceano iungere flumen aquas.

EIVSDEM.

Abdua dum Fluido curret per iugera curſu,
Ambroſium curret nomen vbique tuum:
Vxoriſque genus facundo hic pectore pandet,
Sydera qui calcat, nomine Baſilius.

ELOGII
LIBER QVINTVS
STYLOBATÆ FACIES Aquilonaris.

SIcut omnia quæ Summus Opifex in ſapientia condidit, in numero ſunt conſtituta, librata pondere, & determinata menſura; vti diuino palam erudimur eloquio, Sap. 12. ita & ſuũ cuncta nanciſci debuerunt tempus; quatenus certis & opportunis ſpatijs ſingula abſoluerentur ſub Sole. Eccleſ. 2. Anteà dum rationalis Stylobatæ Faciẽ quæ ad Meridiem vergit luſtrando percurreremus,
Fo.130. duo nobis occurrerunt Vitaliani iuuenes, magno illo Ioanne geniti, cuius virtuti id attributum memorauimus, vt *BonRomanus* vocitaretur; nota triũphali è glorioſis facinoribus relata atque traducta. ad perpetuum inclytæ ſobolis decus. Eos verò quoniam Patrio ſolo exceſſiſſent, & in Germaniam demigraſſent, vix illic ſalutare potuimus, enucleandis Pauli primogeniti geſtis ac propagationi, prout ordo depoſcebat præcipuè intenti; duobus propterea tantum benè precati, reponendos duximus in hunc proſpectum, quem multiplici de cauſa *Septentrionalem* nuncupamus. Cum enim eximij Coloſſi Scabellũ, quadrata quam maximè figura deceret; pręſertim propter ſtabilitatis firmitudinem, quã tetigimus in fronte Occidentalis; dimenſio autem quarto & vltimo loco

diſpanſa

diſpanſa adhuc deſideraretur: in ea duorum fratrum nempè Gaſparis, & Anaſtaſij generationes, perquàm appoſitè arbitrati ſumus conſeri vel delineari, & cõcinnari poſſe. non iccircò quia in Germania coaluerint, quæ regioni noſtræ Italicæ Aquilonaris eſt: aut quia à *Borea* deriuatum *Borromæi* vocabulũ (vt quidam aerambulus ſomniauit) tamquam Patauina ciuitas diceret, Filij, vel Ciues, aut Alumni *mei Bor*ealem oram incolentes. futilis quippè bulloſaque prorſus Etymologizatio iſthæc. Sed quia in his Materna clariſſimæ familiæ genealogia deſcribitur, Mulieres autem poſt viros ritè locãtur, vel ad Læuã Virorum; iuxta quod vates etiam ſacer diſponere viſus eſt Pſ. 127. vbi cecinit, Vxor tua in lateribus domus tuæ. Videatur Tiraquellus tractatu de leg. connub. l. 5. nu. 15. & 16. vbi adducit Nicol. de Neapoli. in additionib. ad Bart. in l. Amiciſſimos. §. fin. ff. de excuſ. Tut. ſed & in ipſo Mundi exordio Gen. 2. Femellam de primigenij latere ædificatam, neminem latere puto. Iure igitur poſtrema hæc Stylobatæ facies, quæ ad Polum vergens ſtat pro ſiniſtris ipſius ſtatuę, Maternæ generationis deſcriptioni fuit reſeruanda. Nec quemquam terreat, quod Aquilo ſemper ferè in deteriorem partem ſumatur: quodue Siniſtra malum præ ſe ferat omen, quia iſthęc tropicè intelligenda veniunt, nam alioqui, Omnia munda mundis, Tit. 1. Diligit Deus omnia quæ ſunt, nihil odit eorum quæ fecit, Sap. 11. qui & cum olim expoſuiſſet ac luſtraſſet cuncta quæ fecerat, reperit valdè bona Gen. 1. & penès quem non eſt acceptio perſonarũ, quis aſtruat

accep-

acceptionem eſſe locorum? Certè qui facit Arctu-rum, & Oriona, & Hyadas, quę in Septentrione cernimus, idem ipſe nihilominus facit, & interiora Auſtri, Iob. 9. A quatuor ventis indifferẽter ſe pollicetur ſumma veritas cõgregaturam electos, Mar. 13. Cardinales autem ventos, à ſingulis Orbis quadrãtibus, vel limitibus proflare compertum eſt, Subſolanum ab Ortu, Auſtrum à Meridie, Zephyrum ob Occaſu, & à Septentrione Aquilonem. Hos duntaxat inuenimus antiquitus notatos, vt eſt Plinius teſtis, nec apud Homerum plures reperias memorari; licet recentiorum acumen, ad Nauticæ artis theoricam illuſtrandam, alios intermedios explorãdo indagarit, donec è quatuor, trigintaduo cõſurexerunt; Octonos nempè eduxerunt è ſingulis Mundi plagis. At uerò Saluator patentius adhuc Lucæ 13. venturos enũciauit ab Oriente, & Occidente, ab Aquilone, & Auſtro prædeſtinatos, ad recumbendum in Regno Dei. *Deus ab Auſtro veniet*, ex vate Habacunta 3. ſed *& Sanctus de monte Pharan*, quod eſt de monte Vmbroſo, & condenſo, ex Ruperto; imò ex traditione Eccleſiæ. Quod ſi priſci Agiographi, Inferos in Septentrione locarunt, quibus concinit Poeta in Georgicis, ſcribẽs quod Aquilonem.

Plinius. *Homer.* *Rupert. Abb.*

Sub pedibus ſtyx atra videt, maneſque profundi. *Virgil.*

Aſtronomique; imò & Platonici, Aquilonares Demonas malos eſſe autumant, id totum à noctis fuligine: & horrore frigoris: Saturnique ac Martis prędominio deriuatum. Omnia tamen operatur vnus atque idem Dei ſpiritus; Nam vbi legitur, Ab interioribus

ribus orietur tempeſtas, & ab Arcturo frigus Iob 37 illic & ſubiungitur, Flante Deo cõcreſcit gelu. Quod etiam Ieremias 1.4. & 10. mala ab Aquilone potiſſimũ exarſura minitatur, de bello quod illaturus erat Nabuchdonoſor: & de irruitura Chaldeorum colluuie, ad litteram vaticinatum ſumpto, quos ad Boream reſpiceret ipſa Ieroſolyma. nam ſi mala illa ad allegoriam pertrahere malis, quidni & ipſum Aquilonem myſticè interpreteris? Vnius Solis circuitu, acceſſu ac receſſu, diurno & annuo, vices nobis gratiſſimas vtiliſſimaſque Hyemis, Veris, Æſtatis, & Autumni: lucis & noctis effici, variarique pro ipſius ad terram habitudine, atque diſtantia à punctis verticalibus, omnes intelligunt; tametſi cauſas rationemque non perindè peruident ſinguli. ad hæc, in eodemmet poſitum quod Terræ rotundus circumquaque ambitus, & medius Tropicis vtrinque definitus, quem *Zonam Torridam* nominant, perpetuò ceù deuſtus aret aut æſtuat. Extremi contra limites, vtrinque Mundi ſubnixi verticibus, glacie rigẽt, horrentque niuibus, & frigore aut illuuie ſqualent ac ſitu. Reliqui duo medij, & his extremis incluſi tractus, variant; abundant enim frigore, qua vltimos attingunt limites, caumatũ ardoribus infeſtantur vehementioribus, in cõfinio itineris ſolaris: verſus medium, temperata vtuntur cõſtitutione, plus minuſuè prout ad alterutrum limitum extremorum propius accedunt. Quid ſi iuuet in oppoſitum niti? dicendo quod Fauonij ac Septentriones, diſploſis nubibus aerem expurgant ac ſerenant, è contrà turbant ob-

nubi-

nubilantque Auſtri: Eurumque ſiuè Vulturnum caliginoſum experimur; quantumlibet ab Ortiuo iucũdiori proflet cardine: & quod magis attinet, nullus ibit inficias Europam noſtram quamuis Septentrioni maximè ſubiectam; (nimirum polum Arcticum, & Cynoſuram ſibi contuetur imminentem) Regionum præſtantia, veræ Religionis cultu, Victualium vſualiumque rerum vbertate, Vrbium frequentia & amplituine, Ingeniorum perſpicacitate diſpoſitioneque ad virtutes: & alijs prærogatiuarum excellentijs, non ſolum Occidentalibus Americæ Inſulis, Meridionalique Africæ, ſed & Aſiæ ipſi Orientali longè prçferendam. Addam quod viri Septentrionales in vniuerſum, & fortiores, & formoſiores, & longæuiores, & viuaciores, ob denſiorem corporum conſperſionem: & ob igneam vim, ab antiperiſtaſi eorum temperamento admixtam exiſtimantur. Sed & animo magis quam corpore candidi, ſinceriqueac ingenui, propoſiti atque fœderis tenaces, induſtrij atq; ingenioſi experimento probantur. Vtinam verò quidam nõ adeò faciles extitiſſent aut creduli; neque enim ſe ſiuiſſent á Sacroſanctæ Eccleſiæ gremio per Satanę miniſtros auelli: nec tot phanaticos errores virulentaſque opiniones, è calice Babylonico combibiſſent. Eſt ergo cur Aquilonem honoremus, & hãc ędificij partem, quę ad illum vergit adornemus; nec hæreamus, quia ſiniſtrorſum poſita. nam quod eo ipſo quo *Læuum* quidpiam dicitur, perperam ſonare infauſtumque concipitur, ex opinione pẽdet humana, nullo prorſus rationis fulcro innixũ, Antiqui à

Sinendo,

Sinendo, vocabulum *Siniſtræ* deriuatũ, á qua nihilominus felices plerumque portendi comminiſcebantur euentus. Verum mittamus hæc ſomnia nugaſque canoras. Abraham Gen. 13. Lothum conueniens ac paciſcens, eligendorum paſcuorum optione data, nil curat ad ſiniſtram pergere, ſi ille dexteram eligat: ſuſque deque habet hanc vel illam tenere. Et Ezechiel. 4. ſuper vtrumque latus dormire mandatur. Spõſa quoque Can. 2. dilecti Lęuam optat capiti ſuo ſubmitti. Et nè multis. Quod in nouiſſimo magni Iudicij die, reprobi conſtituendi ſint à ſiniſtris, Mat. 25. id pro humanæ duntaxat imbecillitatis captu taliter expreſſum: cum cæteroqui in Deo nihil fas ſit ſentire ſiniſtrum; quod iccircò ſacræ etiam ſcripturę phraſis haud raro declinat, Dauid Pſ. 90. Cadent (inquit) à latere tuo mille. nè dicat à ſiniſtris. & ipſe veritatis Magiſter Mat. 5. Si quis te percuſſerit in dexteram, prębe ei & alteram. Item de Aioth, qui *Laus* interpretatur, & *Saluator* dictus eſt, ideſt figura domini, fertur quod vtraque manu pro dextera vteretur. Iud. 3. neque enim ſiniſtra ei opus erat; quia ſcilicet, nihil damnationis eſt, his qui sũt in Chriſto Ieſu, ex Paulo. Rom. 8. Nullum itaque malum omen ab eo à quo bona cuncta procedunt, vel ſi quid diuersũ prodeat aut diſſimile, ea certè norma metiendũ, qua de ſumma Sapiẽtia ediſſerit Salomon, Pro. 3. ſcribẽs, quod longitudo dierum in dextera eius: Et in ſiniſtra illius diuitiæ, & gloria. Cuius ſententiæ cum priorẽ partem in oblunga Vitalianorum ſerie præcisè verificatam oſtenderimus; agè nunc rationem ineamus

ſecundæ. Sed prius miremur quã appoſitè ad Aquilonaris regionis naturam, hæc ipſa quam præ manibus habemus narratio accedat; idem quippè nobis contigit in conſtruenda hac Genealogiæ parte, quam *Borealem* ex ſuimet poſitione diximus, quod ipſi Orbis plagæ ad Arcticum ſitæ; nam perindè atque ora Septentrionalis horrida, ſqualens, ac ſubobſcura perhibetur; quod Phœbi currus nunquam eo pertingat: nec aliquando nitidiſſimus hic Mundi oculus eam rectà contueatur: imò vix obliquio illi collucet radio. Quemadmodum (gratia exempli) ſignari videtur in Romano Byreto, quod paſſim ad capitis operimentum, & ad ornatum à Clericis, & Curialibus potiſſimum, quaſi mundus virilis defertur, non quidem Sphericus inſtar pluuialis Galeri, ſeù Mahumetici pilei lintheo conuoluto turbinati; ſed figura quadrata; ipſum namque, cum quatuor panni ſegmentis conſtet, totidem quin etiam cornua producit, ſeù criſtas, Crucis ſignum effingentes. & ad ſingulos Mundi Cardines protenſas, quarum tamen vna, nẽpè ſiniſtra, mergitur: & reliquis aſſurgentibus erectiſque, ipſa plicata & euerſa deſidet; velut Aquilonarẽ denotans & indicans defectum. Ita & nos, dum proſapiæ ſeriem ab Anaſtaſio vel Gaſpare profectã, præmiſſis connectere pergimus, in ipſo deſcriptionis limine, ſic lumine deſtituimur, vt per quingentos fermè annos, tenebris offuſi omninò cęcutire cogamur & calamum contrahere, ſilentioque totas annorum pertranſire centurias. Neque enim iuuat eos imitari,

qui

qui antiquitatis occaſionem gratanter: & obuijs (vt fertur) vlnis excipiunt; in ea quippè tamquam in tabula raſa, quicquid libuerit temeritatis penna depromunt: nec verentur longi temporis atredine obtecti, hiſtoricam veritatem commentitijs ambagibus reſpergere, putantes nugas ſuas Iudicem minimè habituras; nec vllo incerniculo excutiendas, ex omni herba faſcem (iuxta prouerbium) conficiunt, quod vetuſtatis fuligine, ſeculorumque interuallis, ceú craſſiori & opaco quodam vitro, legentiũ acies offuſcatum iri ſperent: nec fictitia ſubdolaque eorum inuẽta, reſtinctis Scriptorũ facibus facilè deprehẽdi poſſe. Horum nos ſtudia deteſtamur damnamúſque; quin & ipſis veteratoribus haud impunè fore pertimeſcimus, cum de execratione, & mendacio annunciabuntur in conſummatione; niſi etiam in præſenti ſeculo eorum pateſiant adinuentiones, quod nuper accidit Cucullato cuidam, audacia pro ſapiẽtia vtẽti, & noſtra ſibi arrogare contendenti, ea fiducia quod originalia ſcripta, cum fortè ad manus ſuas deueniſſent, èa combuſtum tradiderat. at Saluatore beneuolente, in ſe occulatiorem impegit Clericum almæ ſocietatis Ieſu; verè lynceum, cuique propterea Clerici Canonici in vniuerſum tantum ſe debere fateantur quantum maximè; deprehenſa enim inſidiatoris fallacia, Clericus Clericum ſpontè vindicandum ſuſcepit: Panopliaque argumentorum ineuitabilium, & rationum peremptoriarum inſtructa, effecit vt deluſus recederet qui doloſus acceſſerat. nunc ad rem, Abſit á me vt quicquam mihi excidere patiar

quod non veracibus teſtimonijs, vel certis ſaltem inditijs, adhibita temporum, locorum ac perſonarum amuſſi indubitatum exiſtimem; qui nõ vndequaque ratum cẽſeam, quicquid certorum Annalium auctoritate careat. Itaque digitum ori meo apponere prę eligo, nè quandò pro veritate, commenta aut coniecturas venditare depræhendar; quæ autem comperta habeo, hæc promam.

Lib. 3. fo. 190. Currebãt anni à diuini verbi incarnatione, plus minus quingenti & octuaginta, cũ præfati Adoleſcẽtes Patauio digreſſi, in Sueuram feliciter cõceſſerunt, vbi & præſtantiſſimo honore affecti ſunt, priuilegijs ac titulis potiti eius regionis Equitum: remque poſſederunt ſanè peramplam, cum ipſi, tum eorum ſucceſſores ac nati natorum; claris namque coniugijs copulati liberos procrearunt. Gaſpar quidem Ioannem Erneſtum ac Philippum. Anaſtaſius verò Vitalianum, & Antenorem: nonnullas præterea femellas. Hucuſq; nobis innotuit, ſeù diſcere licuit è Scriptorum monumentis, quæ deinceps nullatenus progrediuntur. Hanc porrò fatalem vniuerſæ Germanicę regioni extitiſſe puto calamitatem, vt Chronographis, & rerum geſtarum commentarijs quam diutiſſimè caruerit; ea nimirum de cauſa (vt reor) quia viri illi qui *Alemani* regulariter appellantur, nõ quidem à Lacu *Lemone*, ſed quia colluuies eſſet, & gens collectitia; vt ex Aſinij Quadrati hiſtoria Agathius *Agat.* lib. 1. refert, indomiti viribus, procero ac robuſto corpore, ad exantlandos labores, & ad arma geſtanda præualido. (indè enim *Longobardi* interdum vocan-

tur

tur ab etymo; quaſi vnius eiuſdemque regionis ſtrenui; *Lang* enim terram, aut Patriã nuncupant; *Vuart* verò fortitudinis vocabulum eſt, non quia longas Barbas gererent) cum ad bella nati videantur; præter id quod ingenio pugnaci, & ob aperti animi puritatem ingenuè fidi habiti ſunt (propterea quippè ad Principum cuſtodiam, ex ipſis cohortes paſſim deligi conſueuerunt; imò & propterea *Germani* dicti celtico idiomate, quaſi ſemutuò integros proboſque reputarent; cũ id ea voce ſignificetur: non quia Gallorum fratres viderentur, vt ſatis ineptè cõminiſcũtur quidam) Rudes tamen, & agreſtes nimium, planèque humaniori cultu abhorrentes ſuperiori æuo exiſtimabantur, quo factum eſt, vt de eorum geſtis pauca vel potius nulla extent veterum documenta. Fortè etiam ob Theutonici ſermonis duritiem, & tetricas dictiones, neſcierunt vel horruerũt Hiſtorici ſcriptis mandare. Et quidem Plinius atque Samonicus, nonnulla de eis memoriæ tradidiſſe referũtur, quę tamen gentis negligẽtia interiere. Ea infelicitas Mahumeticis hoc æuo ingruit, ipſiſque Graijs, apud quos palam eſt olim conſtitiſſe Muſarum domicilia; nunc vero Barbarico tumore, armorum fragore vnicè delectati, diſciplinarum ſtudia penitus ablegarunt, & exulare iuſſerunt; vſque adeò pro Medicinæ adiumentis, vt plurimum Hebræis vtentes. Verum de Bonromanorum noſtrorum ſucceſſione, prẹter ſuperius tradita, nihil amplius inuenire potui; quantumcumque curioſa perueſtigatione adnixus. Id autem detrimenti, Ciuitatumné euerſionibus ob

Plinius Samon.

clades

clades ac bellorum vexationes, vel potius indigenarum vecordię aſcripſerim, ſatis ambigo. Nec id mirum, arguenti [vt dicitur) à maiori ad minus; quandoquidem eadem caligine obtectæ noſcantur præcipuæ eius Regionis familiæ, inter quas Auſtriaca quæ nunc vtinamque ſemper totius fermé Chriſtiani Orbis ſceptra moderatur, Ipſam volateranus Roma educere conatur, aſſerens propaginẽ eſſe familię Perleonum, qui olim Monte Auentino potiti, aliquandò Abſpurgum demigrantes ſenſimque potẽtia aucti, Auſtriæ demum obtinuerunt Principatum. huic contradicit Spiegelius in Gunther. pro ſua virili repugnans, cõtendenſque eos omninò aborigenes eius regionis, quę inter Noricos ac Vindelicos ſita eſt, finitima Rhetię. Quapropter cum non ſit meum iudicare vtri adhærendum, illud ſaltem elicere pronum eſt: minus mirandum ſi Sol in Boreali regione, & ad Septentrionem nube tegatur, qui in Auſtrali, ac Meridie Eclipſim patitur; ideſt, ſi Auſtriacę domus quæ per totum Mundum rutilat: nec eſt qui ſe abſcondat à calore eius, primordia dubietatum velo obuoluuntur, non magnum videri debet ſi Borromeę exordia non adeò rutilent; quandoquidem ipſi Bonromani fratres, eorumque nati deinceps, nobiles certè ac generoſi; priuati tamen degerent: fortèque per ea tempora, exerendarum animi virium: facinorumuè aggrediendorum quibus heroica virtus inclareſcit, locus eis defuit, & occaſio. Sic ignis quantumlibet sũmæ actiuitatis, conſopitus tamen, etiam diutius deliteſcit. Itaque parum an multum coaluerit eius fa-

Raphael.

Iacobus Spieg. in pri. Liguvinum.

milìæ

miliæ Arbor ramificarituè, aut quãdò nouis antiqua permutarit inſignia, nobis penitus ignotum; nil quippè de his audire aut inueſtigare licuit, certi inquam; (quantumlibet recentes multa commententur vel cõminiſcantur potius, exilibus nimium coniecturis nixi) donec circà annos humanæ ſalutis mille octoginta; velut exſuſcitante Henricó Quarto Romanorum Imperatore, FEDERICVS quidam quaſi Lethæo flumine emergit; nimirum exurgit inter Scriptorum monumenta, prę́ſertim Guntheri atque Othonis Friſegenſis, quem Baronem dicunt à *Hoenſtaufen*, ab ipſis proculdubio Bonromanis Vitalianis qui trãſmigrarunt originem ducens; vt vetuſta ferebat traditio in omne vulgus recepta. *Baronem* autem ferunt, non in ſignificationem Hominis ſtolidi atque inertis, qualis videtur accipi apud Tullium 2. de finibus. & ad Attic. Epiſtola 5. & lib. 9. Famil. Epiſtola vltima, (ſi tamen loci illi incolumes cenſeantur, & non vitiati librariorum incuria,) Nec in ſignificationem Apparitoris aut Prętoriani, cuiuſmodi adhibentur in excubijs Principum; hos enim quandoque *Barones*, alias *Verones* appellari palam eſt. Plutarch. in vita C. Marij. Iul. Cæſ. 4. commentar. ciuil. Sed *Baro* pro Generoſo, & inſigni viro, ac pręcipuo Dynaſta accipiẽdus eſt, quem dicimus *Dominum*, vel *Feudetarium*, qui Iuriſdictionem exercet, Imperiumque tenet merum, aut mixtum, conceſſione ſupremi Principis. Sic accipitur penes Bald. c. innotuit de elect. cęteroſque Iureconſultos; recentiores pręſertim. Hunc ſcilicet virtutis & antiquæ nobilitatis merito, prædictus Cęſar Henricus ſibi

Gunth. Otho. Friſ.

Cicero.

Plutar. Caſar.

ſibi Generum delegit. Agnete filia eidem deſpõſata; ex quorum progenie ſubindè Conradus Tertius, Federicus Primus, Henricus Sextus, Philippus Secũdus, Federicus item ſecundus, & Conradus Quartus Cęſares, pręter innumeros Heroas prodierunt, vt tantoperè decantatum Troianum Equum, lato interuallo poſt terga uiſa ſit reliquiſſe. Videatur Pandulphus Colenutius in Hiſtoria ſua. notanter verò ab ea ortũ duxerunt hi, qui ex Bonromanis *Borromæorum* vocabulum temporis proceſſu, per Hetruriam Venetiamque ſortiti ſunt. de quibus locis ſuis ſingilatim. Sed interim [magnum quippè opus molior, nec typis antèhac fortaſſè inuulgatum) propitium mihi Numen adeſſe opto, nè in Pſyllum quempiam hæc noſtra ſcripta impingant aut Ariſtarchum. Candidos autem ac beneuolos lectores rogo atque obteſtor, nè pigeat iudicium ſuſpendere de hac narratione; quam verè ſcilicet, aut probabiliter hęc ipſa compilauerimus, quoaduſque Aquilonarem faciem hanc, à ſummo vſque deorſum, & ſuperductam Coronidem luſtrarint; nempè Quintũ hunc ac Sextum qui ſubſequitur Librum percurrerint; tunc enim liberum erit vnicuique ſano æſtimatori ſententiam proferre, firmis rationibus, ſeriјſque auctoritatibus necnè, iſta de obliuionis tenebris eruerimus; quandoquidem optimè noui, iſtiuſmodi in ſpecię, & primo occurſu, noua viſum iri quibuſdam & inaudita; non tamen impoſſibilia cuiquam qui ſit mentis compos; ſed nec inſolita; præter id enim quod Gen. 10 Noemi nepotes ab initio, ꝑ terras prorſus ignotas diſperſi sũt: paſſimq;

Pãdul. Colen.

Colonias

Colonias excitarunt, donec vniuerſę Inſulæ totumq; quantum patet Continens, habitatoribus compleretur: Et Deus Scalæ innixus ſpopondit Iacobo iter Meſopotamenum peragenti, quod dilataretur ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem & Meridiem. Gen. 28. nè Italia noſtra digrediamur, nemini ignotum eſſe puto qui Chronographorum Bibliothecas vel à limine ſalutarit, quot alienigenę Græci, Arcades, Galli, Gothi, Mauri, (nouiſſiméque Longobardi, qui & vberiori, inſigniori, feliciori, & in cũctis præcipuę eius oræ *Lõbardiæ* vocabulũ indiderunt) & cuiuſuis propè generis Barbari, eã incoluerint atq; in ea regnarint. Idẽ eſto iudiciũ de ſingulis Orbis prouincijs. Quod ſi Troiani (id enim notius quam vt quis audeat in litem vocare) patrijs pulſi laribus, in Italiam aduecti, nouas ſedes fixerunt, Ænæaſque in Thirena ora, Antenor in Adriatica, Anglus in Inſubrica (vt dicetur) dominati; non ſatis perſpicio quidnam abſonum conſequatur, ſi clariſſimus Eques, naturæ ac Fortunæ donis conſpicuus: antiquiſſimiſque progenitorum imaginibus commendatus, Imperatoris filia in vxorem ſuſcepta, poſteritati ſuæ ad ampliores honores aditum patefeciſſe aſſeratur. Sin verò adhuc hæret animus, quia tandiù deliteſcere potuerint, vt nulla prorſus de eis haberetur mentio, ſubindèque primæuę eorum originis tantoperè illuxerit notitia; dico quod imò diù ſatis viguit prædeceſſorum ſuorum fama etiam apud noſtrates: eaq; Alphonſo Ciaconi erroris cauſa fuit, in Sancti Pontificis Vitaliani geſtis; prout in Meridionali proſpectu *Fo. 197.*

oſtenſum. Et tamen nihil exurget incõmodi ſi affirmemus, quod penes gentem illam, nõ adeò obliuioni traditæ ſupponuntur municipum ſuorum proſapiæ; licet apud exteros non tantundem ſpecifica aut indiuiduali diſtinctione ſecretæ inueniãtur, maximè bellorum tumultibus vniuerſam aſſiduè per ea ſecula Europã concutientibus. Ex his illud inferri poteſt, quod cum ipſis priuatè agentibus nequaquam ignota haberetur eorum Origo, tum verò iiſdem ad Imperiale faſtigiũ ſubuectis micantiſſimè rutilauit. Grauiſſimus Auctor Sigonius dolet, libro *de Faſtis Romanorum*, quod nulla pars Hiſtoriæ tam neglecta fuerit à veteribus ac recentibus, quam ea quę de nominibus & cognominibus agit: idque de Romanis ipſis aſtruit, vrbanæ elegantiæ ſtudioſis; nedum extraneis rudioribus, & incultis. Audiuntur ſiquidem aliquandiù in populo eminere Catones, Marcelli, Cicerones, Fabij, Hortenſij, Lentuli, Scypiones, & alij. ſed ad modicum temporis, vel tantisper donec eorundem illuſtrium Virorum, qui ea nomina inuexerant ſeù euexerant memoria viguit, deinceps verò tamquam obliterata euaneſcunt: nec amplius audiuntur; cum tamen vix credibile exiſtimetur, vt ipſæ Familię tam citò interierint. Enimuerò nihil his poteſt eſſe non certi, quorum ratio pendet ex ſimilium coniunctione, ſumma veritati aſtricta propinquitate; vndè tã multus eſt in exemplis Cicero: non rarus Demoſthenes, & eruditi quique. Vt nec Diuus Archipræſul noſter pronunciare dubitarit, quod Morale ſit omnibus qui fidem exigunt, fidem aſtruere; Cum anteà in proſpe-

Carolus Sig.

S. Ambr.

ctu, qui eſt ad Solis Ortum, prioris Iuſtini ingenium magnifecerimus; quiputà obuentura quodammodo proſpiciens, Nepotum ſortem typo expreſſerit ac præſagio; nempè futurum indicans, vt eius ſoboles aliquandiù velo obliuionis obducta, planèque ſubmerſa, repentè micantiori inclareſceret radio; vbi ipſo eorum ſtemmate pro themate vſi ſumus. Non erit fortè inutile; Nilum amnium omnium notiſſimũ totiuſque Orbis maximum pro ſimili adducere, quod & domino meo Marchioni iucundum fore confidã; quippè is ab Abduæ flumine cognomen deſumit; *Similitudinem verò gratiæ conciliatricem*, axioma eſt Philoſophis, maximè cum & Nilus quibuſdã *Chryſorrhoas* nuncupetur ideſt Auro fluens, ipſeque Sole in Cancro exiſtente, aruis ſupereffuſus, miram eis feracitatem conferat, vndè *Iouem* eum compellat Permenon inquiens, Iupiter Ægypti Nile, & Tibullus. *Fol. 96.* *Perme.*

Te propter nullos tellus tua poſtulet imbres
Arida nec pluuio ſupplicat herba Ioui.

Seneca quoque in Quæſtionib. Natur. aſſerit Niloticas aquas Mulieribus fœcunditatem impartire: & partus inſigniter adiuuare; ita vt quarundam viſcera longè præcluſa, ad conceptum relaxauerit, quod approbat Galenus; bonitatis excellentia eas incomparabiles iudicans. Auicennas 1. Canon. ex quatuor cauſis primatum illis attribuit: ſed præ cęteris eas laudat Rodiginus. cũctis virtutibus eas præditas deſcribẽs, Lect. Antiq. lib. 14. c. 39. Verum quod noſtra modo intereſt. Nilus penſata rei conuenientia, caſum hunc perbellè exprimit; ac velut penicillo repreſen- *Seneca.* *Galen.* *Auice.* *Cælius.*

tat. is enim cum Moyſi ſit *Gyon*, indidē manare perhibetur, hoc eſt ab eiuſdem fontis ſcaturigine, qua & Tigris, & Eufrates, & Ganges, qui ab eodem Chroniſta Gen. 2. *Phiſon* nuncupatur: idque citrà hæſitationem affirmare auſim, ſacri fultus auctoritate eloquij; quantumlibet aliæ & aliæ à Scriptoribus aſſignari legantur Nilo origenes; imò & quidam Acephalum exiſtimat ſcribens, *Lucan.*

Arcanum natura caput non dedit illi,

Is porrò ſtatim ab egreſſu, ac velut in margine ſubmerſus: & occultis quibuſdam cuniculis ſpecubuſque abſorptus, telluris operta ſubiens: perque latentes meatus dilapſus & circumuolutus in orbem, poſt quam diù vaſtaque terrarum intercapedine latuit, aliò demum emergens, in rapiſſimum fluuium patenter pernici decurſu ingentique fragore prorumpit. Pronum foret referre, & de Lyco, qui Ponti regionem præterlabitur, ex lectione Pythagoræ Samij.

Ouid. ex Pytha.

Sic vbi terreno Lycus eſt epotus hiatu
Exilit procul hinc, alioque renaſcitur ore,
Sic modò combibitur, tecto modo gurgite lapſus
Redditur Argolicis, ingens Euſinus in agris,

Et id genus alia, ex eiuſdem Philoſophi placitis. Verum á Nilo nil recedens vnum addo, idque mirū magis, quod cum vno eodemque Fōte prædicti quatuor prodeant, vt præter anticipatam diuinarum litterarum atteſtationem, Pauſanias, & Solinus, Pliniuſque ex ſymbolis qualitatibus comprobant; Tribus tamē ad Auſtrum decurrentibus, vnus ac ſolus Nilus, ab Auſtro in Arctum tendit. Ea igitur quæ de Nilo flu- *Pauſan. Solinus. Plinius.*

mine

mine à Coſmographis traduntur, ita præciſè eius Familiæ progreſſui concinnari reor, vt nihil ſupra. Eoque amplius quia dum Nilum recolo, ſubit in mentẽ Moyſes infantulus: tenui fiſcella incluſus, & in Nilũ quaſi ad certam ſubmerſionem, & ad Crocodili cibum proiectus, qui à Regis filia cum plauſu exceptus, paullo poſt domus Regiæ alumnus effectus eſt: & ex priuato, exercitus ingentis Imperator. quidni enim reſpondeat Thamuræ Pharaonis filiæ Moſen ſurrigenti, Agnes Henrici filia, Federicum à priuatis laribus ad Sceptra promouens? Cum ergo Nobilem virum Dynaſtam ac Baronem, ad Imperatoris affinitatem prouectum refero, nihil nouum aut inſolens memoriæ tradere exiſtimo; Nam & primus qui Turcici Imperij Diadema geſſiſſe legitur, ab *Othomanzico* quod Galaciç Oppidulũ ſcimus; profectus narratur. & ex Pagi vocabulo *Othomannus* nuncupatus, quod poſtea trãſijt in titulum vniuerſæ ſoboli. Adhuc mirandus magis Baſilius Macedo, qui captiuus Conſtãtinopolim inter venales adductus, idem ipſe haud multo poſt, Imperiali ſerto refulſit. Bonoſus quoque ad Imperium euectus, natus fuerat patre Pedagogo litterario, ſi Vopiſco fides ſit. Celeberrimus Darius Perſarum Rex, primum Cyri Pharetrophorus fuiſſe traditur: & lictorio munere functus. Agatocles ab Figulina officina Siciliç conſcendit ſolium. Sed quid Egyptum Aſiamuè peragrare neceſſum? Primus Frãciſcus qui apud nos regnauit, ille dico, Sfortia magnanimum gloria prima Ducum, qui vniuerſos æui ſui Principes, celſitudine animi, ſplendore vitæ, cle-

Flauius Vopiſc.

mentia,

mentia, omnibuſque tam bellicæ quam ciuilis virtutis numeris abſolutus, vel aduerſantium ſententia ſuperauit : Cuius ſtirpem ſanè inclytam, hodieque Regnũ maneret Inſubriæ; niſi Auſtriacæ genti ab Aquilone nihilominus profectæ , Italiam Fata promiſiſſent, is inquam, nonnè ex Milite, Equitum Ductor, & ex Primipilo Princeps euaſit eximius ? Et hic quoque omiſſo Attendulæ familię vndè proceſſerat cognomento, titulum Mutio genitori ob violẽtum robur attributum, ſibi voluit eſſe gentile: poſteritatẽq; *Sfortiadum* nomenclatione notari. Moleſtus videar ſi per ſingula euagari velim humilium exempla, qui ad ſublimes honorum gradus perlati tradũtur, vt nequaquam incredibile exiſtimetur , quod illuſtris Familia, poſt plurima ſecula in ea regione ſplẽdidè, nedum honeſtè exacta, & Regibus connubij iure copulata , dominatum aliquandò obtinuerit hæreditario nomine , quantumlibet aduentitia , ſed ab immemorabili . Nec parum decoris huic Federico acceſſiſſe putandum eſt ex eo Coniugio ; cum præſertim Quarto Henrico, præter Henricum filium , qui & ipſe Cęſar extitit eius nominis quintus, vnica adeſſet Filia , vel ob id ſplendidis nuptijs, potentiſſimo cuipiã de more in Matrimonium collocanda . Quod itaq; Vaſſallo nupſerit, id certè tanti æſtimandum, quanti Dauid feciſſe noſcitur, cum ſeſe tali connubio indignum reputans diceret , *Num parum vobis videtur Generum eſſe Regis ?* 1. Reg. 18. Sed intuitu nobilitatis eius antiquæ, virtutiſque inſimul, ipſius Socer eſſe concupiuit Imperator ; vti bellicum ſui generis vigorem,

rem,

tem, certiſſimo Antenoreæ magnificentiæ ſplendore cumularet; quandoquidem Henrici quoque progenitores Materna ſaltem genealogia [vt videre eſt in vita Conradi Secundi] à Francorum Regibus originem ducerent, qui primitus Troianorum ſanguine creti perhibentur. Glorioſam itaque proſapiam iteratò nectendam decreuit atque conſerendam; quaſi iubar ingens indè præſagiret exortum iri: & ea cura nequaquam ipſum fruſtrata eſt, rei euentu ſpem ac vota etiam exſuperante, vt patebit.


Nunc illud obuium foret expendere atque contẽplari, quod Quemadmodum *Carolus* Alexandro genitus, in præmiſſa Occidua facie auſpicatò primus occurrit; ſic huius proſpectus qui eſt ad Septentrionem frons, nullo Pyropo vel ſmaragdo honeſtius aptiuſuè cõſignari potuerat, quam vno *Federico*; quẽ ſanè palam eſt, ipſa rei euidentia per ſe loquẽte, Nullo à nobis artificio conquiſitum; Sed ſuoptè iure in ſuccedentis lineę caput (ex quo anteriorum nomina deſiderantur) debuiſſe conſtitui. Id porrò vocabuli, cum cõmune noſcatur Domino ac Mœcenati meo Illuſtriſſimo ipſius Sancti CAROLI ſucceſſori, qui & eum haud diſſimulanter æmulatur, prægeſtit animus ſcrutari quam felici ómine id acciderit; nempè vt in caput Anguli erigendum veniat; quin & quiddam eruere myſterij occultioris; neque enim ea nota tam bellè in alium quempiam quadrare perſpicitur; ſiquidem Theutonicũ *Federici* nomen, importat *Diuitem pacis*. atqui in neminem æquè id conuenit atque in hunc, cum nil niſi pacem redolere aut ſpirare videatur, *Fo. 231*

tur,

tur, quare & *Angelus pacis* congruenter ac optimo merito appellandus; nimirum aſpectu angelicum eſſe contuemur, omnes fatentur: titulumque non ſua optione aut electione: non caſu fortuito; ſed superna diſponente prouidentia ſortitus [*S. Mariæ Angelorum.* tum verò ex multijuga eruditione, varijſque quibus tamquam vernaculis vtitur idiomatibus, non ab re aſtrui poteſt, quod linguis Hominum loquatur, & Angelorum, præter alia quæ mens mea tandem parere gliſcit, dudum parturiens. parco tamen; tum quia eius prȩconia, nec modicis terminis comprehẽdi, nec breuis Elogij compendio exprimi valeãt: tum maximè quia experimento apprimè didicerim, ipſum veræ virtutis præſidio vnicè ſtipatum, ingenuæ verecundiȩ probitate ad proprias laudes obſurdeſcere: præſentemque rubore perfundi: nec minimè talia auerſari. quare ad Baronem Federicum redeo. Qui cum ex lectiſſima Agnete duos liberos ſuſcepiſſet, Henrico Quarto Socero è viuis ſublato: poſtmodumque Henrico Quinto cognato, qui ſecundum Patrem Imperauit abſque liberis decedente, Patrimonialium eius Ducatuum Sueuiæ, Franconiæ, atque Alſatiȩ hȩreditate potitus eſt: Gentilitiaque eorundem in ſe tranſtulit inſignia, [vt quidẽ D.D. Borromæi Hetruſci affirmãt: comprobantque teſtimonijs velut per manus traducta, tametſi non deſunt qui eadẽ à fratribus aſſumpta affirment cum primum in Germaniam aduecti ſunt, vel ab altero eorum ex cognatione, ſiuè ad diſtinctionem; hæc verò ipſe vltrò citròque ferenda reor; cum enim affirmare nequeam, quia nuſquam

vidiſſe

vidiſſe cõtigerit priſcorum Sueuię Principum Scuta; nimirum antequam Imperium obtinuiſſent; neutrũ tamẽ improbare audeo; pręſertim cum id Stemmatis Germanicum valdè ſapiat.)



Nimirum, tria Repagula vel faſcias rubras, totidemque virides, trãſuerſum Scutum occupantes, aliamque deſuper albam, e dextra in ſiniſtram obliquè deſcendentem. Hæc Signa deinceps poſteri eius geſtaſſe referũtur: viſũturq; ad hanc diẽ cũ Sanminiati, Florentiæ, Piſis ac Senis, tũ Venetijs, Patauij ac Mediolani; licet à quibuſdam ex parte variata pro ſingularium libito; vt enim ex ad me tranſmiſſis exemplis didici, nõnulli Vittas rubras cęruleis commutarunt, alij virides nigris, ſunt qui Faſciam albam reliquas oblique interſecantem omiſerunt: & qui ipſam quoque virentem effinxerunt. Patauini verò ac Mediolanenſes, nihil omninò alterãdum putarunt de Sueuorum coloribus; tametſi alias etiam imagines iſti in Scutum compegerunt, illi non perindè; nam antiquum à Sueuis (vt aſſeritur) acceptum, adhuc ſimplex purumque retinent. Sed ad rem.

Alterúm Federicus ex filijs *Conradum* dici voluit, alteri nomen ſuum reſeruauit *Federicum* appellans, quem etiam *Monoculum* cognominatum lego, pro diſtinctione (ni fallor) ipſumque pater Sueuię Ducem creauit, Franconia & Alſatia priori Cõrado aſſignata. Interim (poſt obitum videlicet Henrici Quinti) Lotharius Saxo Imperium obtinuit. Cum quo &

diù Conradus hic Franconiæ, grauem geſſit ſimultatem; tandem verò ſub quibuſdam pactionibus recõciliati ſunt, cum iam Ferream coronam Conradus Mediolani à Roboaldo Archiepiſcopo ſuſcepiſſet. Lothario autem defuncto, proximè Conradus ipſe Imperiale ſolium magna Principum conſenſione cõſcendit, Bauariæ ſolummodò ac Saxoniæ Ducibus renitentibus; hic tamen facilè reſipuit libenſque adhæſit, ille verò ob contumaciam proſcriptus fugatuſque infeliciter obijt. Ei conuentui interfuit ac conſenſit: Imperatoremque denuò Aquiſgrani coronauit Theodeuinus Cardinalis Portuenſis, Pontificis Innocentij Secundi Legatus. Hic Innocentius qui pridem fuerat Don Gregorius de Papapareſcis Romanus, Canonicus Regularis Lateranenſis. Conradum porrò eius nominis tertium, Hiſtorici concordi voto Clementem, inclytumque Principem extitiſſe prædicant, propterea que eximio Dei ſeruo Bernardo Clareuallenſi vnicè dilectum. Ab eo Genuenſis Reipublicæ Patres, cudendæ aureæ argenteæque monetæ poteſtatem impetrarunt, quam hodieque eius nomine ſignant, beneficij memores. Conradus ſedatis Germaniæ turbulentijs (quod iamdiù animo conceperat) ad ſacri Belli expeditionem vires conuertit. Itaque Crucis charactere munitus, adiunctiſque ſibi Alphõſo Hiſpaniarum, Ludouico Franciæ, atque Henrico Angliæ Regibus, ipſe primum cum ingenti comitatu terreſtri itinere Conſtantinopolim peruenit: indèque Iconium obſidione cinxit: poſtea & Damaſcum, infelici tamen exitu, ob Græcorum inſidias, annonçque

& aquæ defectum. ac morbos exercitum affligẽtes; ſed verius arcano Dei conſilio; quamobrem re infecta domum redire compulſus eſt, mœrens ac dolẽs; non tamen piæ intentionis aut conatus meritò fraudandus. Cum autem in Italiam accedere meditaretur, ad Imperij Diadema de manu Pontificis ſuſcipiendum. iamque apparatum ſplendidè inſtrueret, viroſa potione (vt creditum eſt) interijt, triluſtri potitus dominatione. Dilexit hic impensè Federicum egregiæ indolis, & ſummæ ſpei; imò & experientię adoleſcentem, nepotem ſuum ex Fratre Federico Sueuiæ Duce Monoculo iam defuncto. cui & moriens Regalia inſignia tradidit, ſimul illi cõmendans puerum vnicum filium ſuum pariter nomine *Federicum*, quem ex ſibi cariſſima vxore Gertrude de Sultzbac Bauara genuerat. Quod factum Friſegenſis Chroniſta, Imperatoris Comes indiuiduus commendat his verbis. *Priuatæ & publicæ rei melius profuturum iudicans, ſi is potius qui fratris ſui filius erat, ob multa virtutum ſuarum clara facinora ſibi ſuccederet.* hæc ille. *Otho. Friſeg.*

Hunc inquam FEDERICVS cognomento *Monoculus* Dux Sueuiæ, Federici Hohenſtaufenſis Principis filius, & Conradi Tertij frater, vir primarius, domi foriſque clarus, plurimum auctoritate, plurimum exiſtimatione valens, & vndecumque grauis, iampridem ex coniuge Iuditha, Henrici *Nigri* Bauariæ Ducis, & Gerundæ Lothario Cæſare genitę filia, ſorore autem Guelfonis, atque Henrici, cui ex rebus geſtis ac ſtudijs, *Superbi* partum eſt agnomen ſusceperat; nimirum de anno Saluatoris vigeſimo primo

vltra milleſimum ac centeſimum. Qui ab ineunte vſqueadeò ætate, Heroicæ virtutis indicia protulit admiranda; tradit nãq; eruditus vir Iacobus Spiegelius, in Guntheri Ligurinum, quod adhuc adoleſcentulus expugnarit *Turrhe*, in eo bello quod pro patre Federico, Conrado patruo imperante, fortiter geſſit aduerſus opulentiſſimum eo tempore fortiſſimũque Ducem Zeringenſem Conradum, quem ad patrem patruumque ſupplicem venire, ac imperata facere coegit. hęc Spiegelius. Alia quinetiam in diſciplina eiuſdem Cęſaris educatus, iam tum ephebis egreſſus, ſub militię tyrocinium, ingentia tractauit ac perfecit. Vt enim exemplo vtar Contradi Ritheuſuſij; perindè atque olim Romæ nobiles adoleſcentes, Iuris prudentiam potius ex conſuetudine Seniorum in quorum ſe familiaritatem contuliſſent, quam ex libris ſcholiſuè diſcere ſolebant, Federicus ità, benè Imperandi facultatem, ex viuo quodam & domeſtico exemplo, quod in patruo cernebat ſibi comparauit. Is enim Federicum hunc nepotem, filij loco dilexit: ſecumque habuit omnium conſiliorum, omniũ actionum, ſermonum & arcanorum conſcium atque participem. Inter cætera, cum in obſidione Damaſci Syrię, Conradi copię ob commeatus inopiam, aeriſque inſalubritatem, maximis affectæ & afflictę incõmodis iam planè fatiſcerent: Guelfoque Federici Auunculus, occaſione aduerſę valetudinis in Siciliam enauigaſſet: indèque (vt ex 19. libro Vueſpergenſis colligitur) Rogerij Regis hortatu, in Germaniam perexiſſet, excitandis tumultibus, procurandęque defectioni:

Iac. Sp.

Brũſuicenſis.

Abbas Vueſp.

ctioni: iamque Procerum animos vehementius ſolicitaret. Eiuſmodi moliminum rumor ad Conradū delatus eſt Tyri Paleſtinæ agentē. qui eo nuncio permotus: tum etiam quod Orientales conatus ſibi improſperè cadere animaduerteret, cœpit cogitare de reditu; ſed prius vt citatus ſcribit Friſegenſis, Federicum nepotem præmiſit ad cognoſcēdum, vel potius corroborandum Imperij ſtatum. Et vt compendio ad rem properemus. Cum tandem Imperator Cōradus, iuxta quorundam ſupputationem anno milleſimo centeſimo quinquageſimo quarto, Romæ ſedente Quarto Anaſtaſio, qui antea fuerat Don Conradus de Suburra Canonicus Regularis, & Abbas Sancti Rufi, ſeù ad aliorum calculum, quinquageſimo ſecundo, ſub Eugenio Tertio Pontifice, Rambergæ diem obijſſet, Principes illicò Francfordiæ conuenientes, Federicum ipſum, non quidem Conradi filium, ſed nepotem ex fratre, animi præſtantis, excelſæque illius virtutis habita ratione, concordi conſenſu Imperatorem ſalutarunt. *Otb. Fr.*

Fuit is FEDERICVS eius nominis primus inter Cęſares, á Comæ verò ac Barbę rubore, vocabulum ſortitus *Ænobarbi*, vulgò *Barbaroſſa*, qui vbi primum ab Electoribus ſe canonicè renunciatum intellexit, nihil antiquius habuit, quam vt à Domini Ieſu Vicario Benedictionem atque Imperij Diadema legitimè reciperet. Et in primis cum Aldam Diepoldi Marchionis de *Voburg*, dudum ſibi deſponſatam, didiciſſet ſibi alioquì eo propinquitatis gradu coniunctam, quo per Canonicas ſanctiones minus contrahere liceret,

diuortio

diuortio facto eam dimiſit, Beatricemque duxit Rinaldi Burgundionum Comitis filiam. Mox maturata profectione in Italiam terrifico cum apparatu cõmeauit. Per id tempus mortuo Anaſtaſio Papa Quarto, omnium ſuffragijs ſuffectus fuerat Don Nicolaus Brechſpear Anglus, ex Regulari Canonico, & Abbate prædicti Sancti Rufi Aurelianenſis Diœcæſis, tunc Cardinalis Albanus; quem dixere *Hadrianum* itidem Quartum. Cui obuiam factus Cæſar in campis Sutrinis, debitam reuerentiam ac tutelæ ſponſionem plenè exhibuit, ab eodem in Baſilica Principis Apoſtolorum Imperiali ſerto redimitus, ſummæ in eum beneuolentię, ac filialis affectus reliquit indicia. Hic namque Pontifex, quemadmodum & prędeceſſor Anaſtaſius, ingentes à Populo Romano in ſeditionem concitato perpeſſus traditur anguſtias, quos Imperator cohercere conatus eſt, Pontifici ingenuè fauens; quin & pœnas de illis ſæuius ſumere ſtatuerat; nì pius Paſtor Gregis ſui miſeratus, iratũ pro eis deprecatus fuiſſet. Tiburtinos etiã Eccleſiaſtici dominij pertæſos, ſeque vltro Imperio Cæſaris ſubmittentes, grauiter reprehendit: deditionemque reſpuẽs, Apoſtolicæ ſedi parere mandauit. Radeuinus & Guntherus ijs temporibus magni nominis auctores, affirmant, Omnes Chriſtianos Reges veneratos fuiſſe Aenobardum: qui etiam coegerit Emanuelem Gręcorum Imperatorem, vt ſe ſe non *Romæ*, ſed *Neoromæ* Imperatorem appellitari iuberet. Vladislao Bohemię Duci, Regium Diadema, titulumque conceſſit. Polonos iamprідẽ Imperio vectigales, defectionẽq; machi-

Ex Nicol. Neubrig.

Friſigen.

machinantes, caſtigatos territoſque in fide retinuit. Henricum memorati *Superbi* filium rebellantem (vti ex queſtionis tabulis conſtitit) Ducatu Saxoniæ ſpoliauit. Et vt paucis multa perſtringam, grauiorũ auctorum ſententia, nemo ex his qui per plurima ſecula antè eum Imperarunt, tanta reliquit fortium factorum monumenta, ſi vel à numero, aut à varietate, vel demum ab ipſarum rerum pondere expendãtur; generoſi ſiquidem ſpiritus: & inuicti animi magnitudinem tantam in aduerſis, pariter & ſecundis euentibus oſtendebat, vt amici hilareſcerent, inimici contabeſcerent, cuncti in admirationem verterẽtur. materiam ſuppeditauit Scriptoribus ſanè peramplã multijugemque, ad quos lectorem ſtudioſum remitto, ipſe vno vel alio teſtimonio contentus; quiputà promiſſę breuitati vnicè ſtudeam. Compilator *Faſciculi temporum* ſummopere aduertendus ac perpendendus, eam de ipſo Heroe ſententiam affert, *Federicus fuit vir magnorum operum, ita vt poſt Carolum Magnum, in geſtorum magnificentia, Orbis ſimilem non habuerit*. Eximium planè ardentis virtutis elogium, quaſi *Carolum* ſolus adęquarit *Federicus*. & nullus *Federico* conferri valeat, pręter vnum *Carolum*. talis porrò ac tanti viri vel à tergo veniſſe, conſũmatæ perfectionis argumentum eſt: & ſummę cuiuſdam felicitatis indicium vel initium. Conradus Ritheuſuſius luculẽta oratione Barbaruſcium proſecutus addit, quod hic laudatiſſimus Imperator, non magis belli gloria quam pacis artibus inclytus effulſit: idque rationibus comprobat, inquiens, Quantę curę optimo illi Principi,

Brũſuic.

cipi,

cipi, etiam inter arma fuerint Muſæ, & harum cultores, videre in promptu eſt ex eius ſcriptis, non minus neruoſis & grauibus, quam copioſis & eruditis, quibus eum igneo ingenio, & animo cordato: doctrinaque exquiſita, & excellenti facundia conſtat fuiſſe præditum; litteratos verò tanta complexus caritate, vt ſecuritates immunitateſque vltrò illis conceſſerit: à ciuilibus oneribus exemerit: priuilegiaque liberaliſſimè indulſerit, vt ex eiuſdem conſtitutione liquidò apparet. Concludit tandem his verbis. Indignus igitur fuerit ſtudioſi nomine: indignus tanti Principis tam benigno reſpectu: indignus tot tantarumque gratiarum muneribus, qui non eorum auctorem Federicum grati animi memoria proſequatur & colat. Alia ſanè quamplurima procliuè foret é claris Auctoribus vndecumque cõuectare; ſuperſedeo tamen veritus nè qui artificij mei ingenium olfecerint, non tam viro me ſuſpicentur agglomerare encomia, quam quia nomen ipſum in ore meo dulceſcat.

Occurret fortaſsè aduerſator quiſpiam hęc noſtra carpens, obijcienſque, Tu nè ferum truculẽtumque hominem, laudum titulis exornandum putas, qui tãtas Chriſtiano Orbi calamitates inuexit? qui tantoperè ſummo Sacerdoti noſtro infenſus: & ab eo toties anathematæ damnatus, Schiſmata non tam fouit aut eis fauit quam excitauit: Italiam tam immanè diuexauit: per quem innumera Oppida, & Ciuitates ferro ignique conſumpta, penitus eſſe deſierunt: quique pręſertim tuum ipſum natale ſolum tam dirè

vaſtauit;

vaſtauit: ſpecioſiſſimam inquam Vrbem quæ te genuit, aluit, educauit, Patriam tuam poſthabere videris, quæ communi omnium gentium ſenſu, ſanctiſſima ſummèque colenda Parens exiſtimatur. Ipſam namque ille pro nihilo duxit afflixiſſe, calamitatibus affeciſſe ac diripuiſſe; ni diruiſſet funditusque euertiſſet; immò ad execrandi facinoris cumulum, aratro proſcidiſſet, adque perpetuam nominis internitioné, Sale ſuperſeminaſſet. Hunc tu portentoſum gentis tuę exterminatorem: diram hanc populi tui cladem, Encomiorum ſerto circundas? huic applaudis? huic aggeras Tropheą? talia obmurmurando effutiet fortè neſcium vulgus: reumque me conſtituent nedum criminis, ſed & ſupplicij. armabunt forſan & conſpiratores ſucclamando Ferte citi flammas, liber pereat exulet auctor. Hæc verò ipſe non floccifacio; quippè quatuor eruditorum concilium, longè honeſtiſſimum Theatrum cenſeam, totius ignaræ multitudinis concurſu. quem nec pigeat, modo ſub recto Iudice prouocer, aduocationem eminentiſſimi Viri ſumere, obiecta diluere, furentes compeſcere, atque aſſertionis meæ afferre cauſas.

In primis namque conſtat quod Ciuilem poteſtatem Deus omnipotens per legem naturalem, quæ ſuæ ſempiternę participatio eſt ordinauit. prout libro Sapientiæ cap. 14. innuitur. *Tu pater prouidentia ab initio cuncta gubernas*. nimirum naturalium legum miniſterio, quas Plaſmator ipſe nobis indidit ac inſeuit, quibus alligamur ac deuincimur, non tenui opinionis filo, ſed firmiſſimis compedibus

Naturæ. Cum enim pro humana felicitate fruenda, homines non ſparſim palantium ferarum more, ſed gregatim, & coniunctim viuere deberent, quia aliàs emolumentum ſocietatis minimè capeſſerent, homo autem ſicut interdum homini Deus, ſic plerunque homini Lupus; vt experientia plus nimio probatum. Propterea ad cohercendam præpotentum audaciam: adque conſeruandum iucũdæ cohabitationis fœdus; neceſſarium fuit adhibere Rectores, qui Capitis inſtar, vnicuique coetui, tamquam ficto ſimilitudinarioue cuidam Corpori ſupereminerent, dirigerent, proſpicerentquè. Nimirum Imperia non eo cõſtituta ſunt, vt vnus alios expilaret, depaſceretur uè, aut locopletior fieret cæteris; ſed vt commodius Reſpublica per vnum adminiſtraretur, quod diffuſè diſputat Dion. lib. 54. Ex quo igitur cõſtituendorum Regum cauſam præbuit publica vtilitas, iuſti & recti Mater, vt eſſet qui publica tueretur; fas nefaſque dijudicaret: iniurias prohiberet: ſummoſque cum infimis pari iure teneret (quod innuiſſe diuina ſapientia intelligitur Prou. 8. cum initio temporum legem ponebat aquis nè tranſirent fines ſuos) Vtique rationi cõſentaneum videtur affirmare, quod Regia Romana poteſtas (quam Græci *Monarchiam* Latini *Imperium* vocitant) ab ipſa humanæ naturæ ratione (quę optimè viuendi Dux, renuit entia malè diſponi) originem ducat, eique ſuprema in temporalibus eſt ex alto commiſſa facultas, vt pacem ſuſtẽtet: decoretque communem gentis ſtatum (tametſi non me clam eſt, nomen *Imperatoris* modeſtius ęquabiliuſque

Dion.

biliuſque

biliuſque cenſeri titulo *Regis*, aut *Domini*, & eo colore C. Octauius Rempublicam occupauit, vt eſt apud Tacitum ac Dionem) Lunæ comparata congruenti ſanè proportione, quia rerum ſecularium nocti colluceat; quemadmodum Sacerdotalis dignitas Solis inſtar ſpiritalium diei præfulget. Non hic ego inducta *S*olis ac Lunæ metafora, diſceptare intendo, Imperialis Maieſtas ex Pontificia deriuetur necnè; id enim nil modò intereſt, inducit verò naturam identitatis ſimilitudo, ſi in omnibus conueniat & ſingulis; licet nec illam ambigam ab hac dependere, vt corrigatur, & in officio contineatur quoties exorbitarit, præuaricataue fuerit; nempè in ordine ad diuina. cōſimiliter nec in diſcrimen adduxerim, num Hiſpaniarum Rex, aut etiam Galliæ, Imperatorem recognoſcant aut, illi parere teneantur; quod valdè cōtrouerſum ſciò penes Iuriſtas. id liquidò claret, quod Imperator maior eſt ac dignior cunctis Regibus, quos nedum præcedit, ſed cum ſit protector ac propugnator Catholicæ veritatis (ad id quippè inungitur] cui & ab Eccleſia dicitur, *Aprehendo arma & ſcutum & exurge in adiutorium mihi.* in his ſaltem quę Sacroſanctæ religionis munimen concernunt, qualia ſunt Infideliū repreſſio, Hæreſum extirpatio, reſtinctio Schiſmatum, & ie genus, legitimè poteſt Chriſtianos Principes ac Reges omnes aduocare congregare, atque armare in prælia. Quod autem ad eum ſit prouocatio in cauſis ab vniuerſis Romani Orbis Prouincijs, videatur Lancelotus Conradus Lauden. lib. qui inſcribitur Templum Iudicum. Item tractatus Reſtauri *Corn. Dion.*

ſtoldi Peruſini.& l.Deprecatio.ff.ad l.Rodiam de Iactu. vbi Alphanus Collectaneo 4. & quæ latè habentur in Inſtitutionibus iuris ciuilis. Itaque rectè ac ritè Laudenſes, Comenſeſque aut Papienſes, & ſi qui alij, Mediolanenſium potentia iniuſtè[vt aſſerebant] diuexati atque oppreſſi, ad Cæſarem confugere potuerunt: eiuſque implorare tutelam. Ipſe veró impius meritò diceretur, ſi querimoniam diſſimulanter nõ admitteret, ineptus ſi cauſã cõniuẽdo nõ recognoſceret, improbus ſi in delinquẽtes ac ſontes animaduertere, poſtratoſq; ſurrigere detrectaret. Honor Regis iudiciũ diligit, inqt Poeta Sacer. Pſ. 98. & pfanus,

Regia mihi crede res eſt ſuccurrere lapſis.

Ouid. Philoſophus autem Hebræus Eccleſ. 7. Noli fieri Iudex, niſi valeas irrumpere iniquitates virtute.
Syrac. Igitur pro clementię ſuæ munere Maiores noſtros in Ius vocauit, admonuit non ſemel neque bis, inſtitit vt eos ad ſanam mentem reduceret. Tandem opibus, virtuti, ac potentiæ nimium fidentibus indignatus eſt: inque faſtuoſos irritatores & pertinaciter cõtumaces, iram ſuam nonniſi multifariam laceſſitus effudit. quod me non falsó affirmare, teſtes ſunt quotquot de his temporibus extant volumina vel monumenta. Ego autem cum Florentiſſimam hanc Inſubrum Regiam, totius Ligurię, Aemilię, & Gallię togatę caput, ac Lombardiæ vrbium Vrbem, Cuius aerem primitus hauſi, in qua infantia mea vagijt, pueritia luſit, iuuentus exercita eſt, vehementiſſimè diligam, & toto proſequar caritatis affectu: qui & prædicantibus quod dulce ac periucundum ſit pro Patria, & in Pa-

tria mori, vltrò libenſque ſubſcribam [ſed moraliter] quique Patriæ vocabulum præ cęteris ſalutare cenſeam ac ſuaue; iuſti tamen & recti metas nequaquam mihi tranſiliendas intelligo. Propterea cum viam veritatis elegerim, ab ea nec latũ vnguem declinare propono. Vt autem videre videor, Agricolas imitatus eſt Barbaroſſius, dũ vernali plenilunio, Olera ſuccìdunt, ſummitateſque amputant herbarũ; indè enim viuidius pullulant detruncatæ: multiplicemque ſurculorum emittunt ſobolem: & in lætiora, latiora, copioſioraque germina ſe effundunt. Deo namque beneuolente: & exulantes Ciues ad inſtaurationem congregante; etiam obnitentibus inſidiaſque iugiter ſtruentibus fœderatis vicinis; adiuuãtibus tamen Parmenſibus, Placentinis, ac Vercellenſibus, ad tantum opulentiæ, virium, & virtutis præſertim bellicæ aſſurexit illicò vrbs noſtra, quantum ipſemet ferociſſimus expertus eſt Cæſar. Indignabundum ſiquidem vix exacto triennio redeuntem: Extremumque excidium, validiſſimo ducto exercitu interminãtem, adeó promptis animis ac firmo pectore exceperunt; vt deleto ipſius peditatu, trucidatiſque equitum turmis, ipſemet Federicus fœdè nimium fugaretur; imó & interemptus crederetur, ac inter cadauera requireretur; dum graui dignitatis incommodo, ruſticano integumento obuolutus, ægrè ſatis Papiam ſe recepiſſet. Sed quidnì coloni habitu redimitus appareret, quem Agricolæ ſupradiximus munere perfunctum; dum ſcilicet ſolum hoc noſtrum ſarculo inarandum putauit ac ſuperſeminandum? Benè tibi ſit

Arator

Arator Arguſtiſſime, qui dum glebas noſtras diro ferreoque vomere proſcidiſti: & amplius ſæuiens inſolentique reſpergens ſemine ſeuiſti: demum & noualia hęc ſanguine militum tuorum irrigaſti: cęſiſque ac diſperſis cum Germanorum tum auxiliariorum cadaueribus, velut fimo impinguaſti; feritate tua, ad feracitatem mirandam arua noſtra parare atque excolere viſus es; deinceps quippè tã graui frugeiſſe probauimus hos campos ſedulè adeo elaboratos, vt exiſtimentur Agri primitiarum: & de regione hac impletum Prophetę dictum Pſ. 138. Sicut tenebrę eius, ita & lumen eius. illudque de Ciuitate noſtra comparatiuè ad Lombardię reliquas vſurpari poſſet, quod de

Virgil. Orbis domina *Satyricus* cecinit, ſcilicet.

Hæc tantum reliquas inter caput extulit vrbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.

Et nimirum Sal Campis hiſce inſperſum, per ſui acrimoniam, omnem ab eis inſulſitatem abegit atque reſtinxit, ſuperfluos ac nocituros humores exſiccauit purificauitque: & ad inuidioſam fertilitatem prouexit. Idem prorſus remedium legimus 4. Reg. 2. ab Eliſeo adhibitũ ſanando agro Hiericontino, conquerentibus incolis quod Aquæ peſſimæ eſſent & Terra ſterilis. Miranda planè Salis virtus atque præſtantia; indè enim vocabulum etiamnum *Salutis* maanaſſe,

Plinius Plinius eſt auctor, pecori quam maximè vtile in vniuerſum: & inter cætera condimenta indubiè prima-

Cælius Rod. tum tenens. Olim conciliandis fœderibus apponi conſueuerat, vt lib. 12. Antiquarum lectionum Rodiginus tradit, ſed quid Cęlio indigemus, cum in libro

dierum

dierum expreſsè caueatur, *de pacto ſalis*? 2. Paral. 13. Num. 18. id autem ſymboli ad pacem & amicitiam Sali putarim intereſſe, quia iucunda ac neceſſaria inter homines cenſeatur Pax, perindè atque Sal inter ciborum condimenta quin & ſacrificijs Sal nunquam nũ admiſceri iubebatur, Leuit. 2. longè ſacratioribus myſterijs quæ præſentis tractationis metam excedũt, in Statuam Idealem commodius referenda. Sed quãnam ſatis dignam Salis laudem attulerimus, quod anticipatum ab eterna Sapiẽtia elogium habet quod bonum ſit? Lucæ 14. Eugè ergo macte virtute domine, bonum ſemen ſeminaſti in agro noſtro, vndè tam ingens ac pretioſa meſſis emerſit. Memini me aliquãdo vidiſſe in Fabulis, quod è Serpentis *dentibus* per Cadmum olim *arato humo* iniectis, armati Pugiles pullularint, nimirum *dentes* arma ſunt quibus Feras inſtruxit Naturæ prouidentia, igitur nec mirum, ſi ſemente Salis qui ſapientiæ typus eſt, tantopere fœcundatum noſcatur ſolum iſtud: tamque affluenti ſapidæ ſcientiæ fruge locupletatum, vt exindè tot tantoſque viros diſciplinis excellentes protulerit, quantos vix catalogus excipere ſufficiat, Chriſtophorum, & Brãdam Cardinalem de Caſtellione, Paulum de Cittadinis, Signorolum de Homodæis Coætaneum *Bartoli*, Iaſonem de Mainis, Ioannem Gloſſatorem Iuris Canonici, Lancelotum eiuſque Fratrem Philippum Decios, Io. Ant. de S. Georgio S. Ambroſij Præpoſitum quem dicunt Cardinalem Alexandrinum, Andream Alciatum. Io. de Lignano, Io. de Beſutijs: innumeroſq; eiuſmodi legum interpretes. Hieronymum Cardanũ, *Metam.*

ac

ac Franciſcum Vicomercatum, Michaelem de Buſtis Minoritanum, Ambroſium Barbauarium ordinis Prędicatorij, Paulum Areſium Theatinum, Franciſcum Panigarolam Epiſcopum, & nè nimium diffluere videar, dominũ meum Federicum Archiepiſcopum, qui ſolus pro innumeris ritè computari queat; nam ſi *Omniſcium*, enunciauerò, id tantum repetiſſe dicar, quod propalam conteſtari audiuntur quotquot audiũnt ſapientiam eius; verum ex actis eius ac ſcriptis, velut viuens ipſius perpetim eluceſcet imago. Et quidem anteà Vrbs noſtra dederat Statium Cęcilium Comediarum ſcriptorem, Saluium Iulianum Iurecõſultum. ex cuius lucubrationibus magna pars corporis Iuris ciuilis deſumpta putatur, Vbertumque Orte, & Iacobum de Nigris, compilatores vſus Feudalis, alioſque non paucos. Verum citrà eam deuaſtationem, mirum quam denſo agmine hinc prodierint, indieſque exurgant viri illuſtres: quam innumeros Theologos, Philoſophus, omnifarioque Theoriæ atque Praxis genere, in armato togatoque Iure conſpicuos germinarit, quibus Ciuitas noſtra tamquam bonarum artium officina ſeù diuerſorium, toti Europę circumſpectabilis habetur, quam propterea *Vrbẽ ſuperbam, mirandam, maximam, perlucidum ſydus Togatæ Galliæ*, clari paſſim inclamant Auctores. Nec nobis duntaxat ſapidum inſtillauit ſenſum; ſed & ad propinquas circumcircà Ciuitates defluere fecit; Veluti enim per venas ac rimas, ſenſim vigor permeauit gratioſi condimenti; ita vt non iam ceù quondam, membra ab ipſo capite diſcrepare audiantur: non caput

vice-

viceuerſa illa pręgrauare; quinimò æquabili & conſonantiſſimo Reipublicæ concentu ſinguli ijſdẽ honoribus potiuntur, indifferenterque participant, quod vnicum libertatis argumentũ eſſe cenſuit Philoſophus ſexto de Republica, nempè *Vicisſim parere & Imperare*. vt non tam multarum quam vnius Ciuitatis ſtatum efformarint. Nec reticendum quod illud etiam ex aduentu Federici decerpſit Inſubrica regio emolumenti; nimirum occaſionem Mediolanẽſibus præbuit clariſſimæ ſubſtruendæ nouę Colonię, quam *Alexandriam* diximus, de nomine Papæ in Rẽpublicam noſtram valdè propenſi beneficentiſſimique; ea vero ad præſens ſtatiua Ciuitas, ac murus velut ęneus, Aggeris munitione, Agri feracitate, Cęli ſalubritate, Vrbis amornitate ac Ciuiũ elegantia, illuſtre ſibi parauit dignitatis nomen, ſed mihi in primis periucunda. Inſuper & *Derthonam* antiquiſſimam vrbem fideliſſimamque inſtaurauimus, commodiorique ſtitimus planitie, cum ille montanam diruiſſet. ſed & ipſo curante innouata eſt *Lauda* in littore Abduæ, ſchemate & ſitu longè decẽtiori quam fundator ipſe *Laudus* Conciuis noſter eã dudũ extruxiſſet. Et *Nouumcomum* vetuſto diruto, in extremis marginibus Larij lacus conſurexit, à quo etiam Lacui deriuata nomenclatio. Alia permulta ingentiaque ab eo, vel per eum nobis commoda obuenere, quæ cum pronũ ſit ſtudioſo cuilibet ex Hiſtoricorum colligere monumentis, eatenus pertrãſeo nè ſuperfluitatis inſimuler; inuitus tamen, quia qui virtuti quem debet amorem honoremuè non reddit; tamquam iniuſtus rem Aristo.

detinet alienam.

Etquidem nil abnuo eum intuliſſe crimen gloriæ ſuæ,dum Chriſti Vicario aduerſaretur, Schiſmataq; cieret; ſed enim illum poſtea ingenuè pœnituit, errataque correctione compenſauit:nec pœnalem detrectauit ſatisfactionem. Quamuis in promptu ſit excuſare,quod ignorans peccarit;neque enim credebat Alexandrum legitimè aſſumptum: idque eo facilè conuincitur argumento; quia Hadrianum eius prædeceſſorem,nullo non affecit honoris genere: Arnoldumque hæreticum eiuſdem arbitrio plectendum perimendumque conceſſit; imò cum illi priuata de cauſa ſupra modum indignaretur, ob ictum fœdus cum Guglielmo Siciliæ Rege ſibi infenſiſſimo; non tamen à Pontificis obedientia deſciuit, tantum abeſt vt de Schiſmate inducendo cogitaret, quia nihil de Canonica eius electione ambigeret. de Alexãdro autem non tantundem ei conſtabat, quare haud difficulter labi potuit ac ſeduci, Vir præferuido ingenio, maximorum præſertim virorum ſuaſionibus, ipſum ad id impellentibus;quippè non deerant Præſules, & ex primoribus permulti perperam ſentiẽtes,quibus Alexander admodum inuiſus: quique prouocatum Cæſaris animum amplius irritare, & ab Alexandro etiã atque etiam auertere conarentur. Ipſe verò neque aduerſus Sanctam Sedem quidpiam molitus eſt attẽtauituè,nec profano iure inducto(vt quidam nuncupantes *Ragion di Stato*) Canonicas ſanctiones interturbauit, Pontificiamuè labefactauit neuè imminuit exiſtimationem ſiuè auctoritatẽ: nec Sacerdotia ſibi adiudi-

adiudicauit, aut pẽſionibus aggrauauit: aliquidue de eis putauit ſibi licere; quin & in ipſa Mediolani euerſione. Eccleſijs omninò pepercit: eaſque quoquomodo attingi vetuit diſtrictè præcipiens prorſus incolumes aſſeruari, Sanctorumque reliquias pro theſauris habuit; quinimò Victori Ponficatus competitori fauit enixè, Paſchalique, & Caliſto ſucceſſiuè quos ſtudiosè admodum coluit, & adorauit. vnum auerſatus Alexandrũ, quoaduſq; adulterinũ Papã reputauit; factioſorũ videlicet vafricie doliſque ſeductus, ideoque miſericordiã à Deo cõſecutus credi poteſt, quia ignorans deliquit. Audiamus ipſummet de ſe loquentẽ in Oratione dum ipſi Alexandro reſpondet, Venetijs coram Patribus. habetur enim Annal. Eccl. 1177. fol. 714. *Suggeſtione prauorum hominum, ignorantiæ fuimus tenebris inuoluti: & per viam veritatis credentes incedere, extra inſtitiæ ſemitas nos inuenimus; Ecce enim Dei Eccleſiam quam credebamus defendere, impugnauimus: & quã credebamus extollere, penè deſtruximus. decepit nos cauſæ meritum, & color negotij perturbauit.* & cæt. hæc ille ingenuè faſſus pro Cõcione, vt enim intellexit ſuperno colluſtratus radio, Alexandrum ritè in Petri cathedra collocatum, ſacroque Chriſmate ex ordine legitimè delibutum, Continuò iniquis ſuaſionibus nequaquam acquieſcendum ſtatuit. Nec quidem Clade ab Mediolanenſibus accepta perterefactus attrituſuè, vt Merulæ probatur; neque enim tantum Cõciuibus noſtris tribuere audeo: nec quia iteratò Principes, & aſſeclæ defectionem machinarentur, quod comminiſcitur Sabarienſis; nimirum de eis *Georg. Mer.* *Io. Sab.*

potius pœnas ſumpſiſſet, grauiterq; mulctaſſet, quod
Io. Na. anteà eum egiſſe teſtis eſt Nauclerus. Nec item ſubſcribo aſſerentibus, quod paternus amor quo filium Othonem complectebatur, eiuſque liberandi deſiderium, ad Imperiales faſces Alexandro ſubmittendos attrahere potuiſſe; ni reconciliationem apud ſe iamdiù meditatus fuiſſet, cogitaſſetque cogitationes pacis. Quamquam non pauca legiſſe contigerit de Parentum in Filios dilectione: probèque nouerim, quod
Plato. *Filij* vocabulum, à verbo *Philin* deriuatur, quod eſt *Amo*: audierimque ex Platone quod qui Filios negligit, immortalitate ſe priuat; quin & experientia probarim, Genitores nihil natorum incolumitate habere antiquius: nihil non velle eorum gratia: ſenioque cōfectos ſæpè in eis repueraſcere: & ex ſapientibus interdum inſanos fieri. Vero tamen abſimile exiſtimatur ferociſſimum animum, vnius Liberi incolumitatē tam efflictim deperijſſe, vt nomini ſuo ignominiam prudens ac volens conſciret: eumque vel cum Maieſtatis dedecore redimendum decerneret; quem præſertim apud Venetorum Senatum, animo forſan hoſtili, nullatenus tamen inimico aſſeruari noſſet, ac detineri. quem ſi etiam ęquitate; imò humanitate poſthabita, immerentem iugulaſſent; nihilominus Augu-
Ex Vrſpergēſi. ſto alij ſupererant ſoſpites ac validi, & in his primogenitus Henricus, iam Cæſar deſignatus, Federicuſq; ſecundo loco genitus, ſed præcipuè dilectus, quem Sueuiæ patrimonium manebat. Addo quod cum Otho taliter captiuus Senatorum comitiua ſtipatus, tranſigēdæ pacis gratia ad eum miſſus eſt, vt ex Ve-

neta

neta Hiſtoria,& ex Obonis libro octauo liquet, præſtabat ipſum retinuiſſe, violato etiam iure gentium, quam ſemet Hoſti infenſiſſimo offerre proculcandū. Verum ſi dicam quod ſentio, eam occaſionem magno mercatus fuiſſet vir integer, vt pij naturaliſque affectus titulo, id tandem impleret, quod erat ei in votis præcipuum. efflagitaſſetque obnixè puto, nì veritus fuiſſet celſitudini Imperatoriæ nimium derogari, ſi ceptis decederet. Itaque Deus qui ſanctam illi intentionem præueniendo aſpirarat, etiam adiuuādo proſecutus eſt. quid multis? cum pium illius deſiderium, ſubindè elucidauit effectus? Namque pignore recepto abſcedens, nec promiſſis ſtare recuſauit, nec valetudinem cauſatus eſt, aut tale quid (quod ſæpè factitari videmus) quinimò aſſumpto Crucis vexillo, ſacram profectionem ocius maturauit, vbi memoranda multa patrauit ac pertulit, vbi ſudauit valdè & alſit, vbi & diem clauſit extremum, iuxta quod ſcriptum eſt Iobi 36. Compleuit dies ſuos in bono, & annos ſuos in gloria. Non comittam vt Iuſtum prędicem, virum qui tamdiù tamque dirè Chriſti ſpōſam exagitauit; verum nemo mihi ſuccenſeat, ſi pœnitentē enunciaueró ac reſipiſcentem; Qui enim tam execrāda in eum iaculantur, animi morbo ſe laborare produ̅t: mortui carnibus ſatiari: lętari in perditione proximi: aut certè æternam illi inuidere ſalutem. Inter magna autem opera domini, illud cenſetur excellentiſſimum, quod ſanabiles fecit nationes; porrò in pœnitentia eſt peccatorum remiſſio, & totius anteactæ vitæ, quantumlibet horrendis ſceleribus contamina- Rauer.

tæ purificatio, iuxta quod ſpopōdit Deus in Ezechiele 18. Si impius egerit pænitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor; Quamobrem verè pœnitentes etiam inter innocentes computari poſſe crediderim; nam etſi abundauit delictum, ſuperabūdat gratia. ſique coinquinauerunt veſtimenta ſua, tamen lauerūt ſtolas, & dealbauerūt eas in ſanguine Agni; per pœnitentiam quippè etiam coccinea, niuea redduntur. Vel potius alio dicendi charactere idipſum excipiamus. Notum quod omnipotens Creator, cū olim populum Hebræorum peculiarem haberet tāquam vnicè dilectum, in plenitudine temporis effudit viſcera, oſtenditque diuitias miſericordię ſuæ; vaſa ſcilicet quę in contumeliam ficta erant, in honoris & gloriæ vſus aſſumendo; ſteriles namque Arbores, fructuoſis inſęuit; ideſt, alienigenas ſibi in filios adoptauit: Et Area irrorata eſt cælitus, Vellere prorſus arefacto: mandatum inſuper nubibus nè pluerent ſuper illud imbrem; nimirum Deus pertęſus ducitiei Iudeorum, damnata eorum crudelitate, & credulitate Gentium delectatus, ſeruos admiſit ad Patriarcharum hęreditatem. Quod dico quia quæ Ezechiel 17. Vaticinatur ſub plantarum metafora, *Siccaui lignum viride, & frondere feci lignum aridum*: Apoſtolus ad hoc trahit: talibus Gentilem conueniens, *Tu cum oleaſter eſſes, inſertus es in bonā oliuam*, & cęt. Rom. 11. Et quod Eſaias 34. prædicat, *Lætare ſterilis quæ non paris, quia multi filij deſertæ &c.* Idem Apoſtolus Gal. 4. interpretatur de Gentium Eccleſia ac Sinagoga, ſub nomine Saræ & Agaræ. Cum igitur nos quondam extorres

res à benedictionis gratia, nunc Deo propitio ſecundum Iſaac promiſſionis filij ſimus, quis prohibeat vaticiniũ illud Iſraelis in benedictione Beniamini, *Lupux rapax &c.* Federico adaptare quemadmodum pater Auguſtinus, Paulo idem applicauit? nec me carpatis in verbo, quaſi in ſtudium incumbam, Federicũ æquandi ſummo illi Apoſtolo, eximio illi diuinę electionis vaſi, qui in Domo Æterni Patris manſiones multas eſſe didiceritis. Sic namque & hic Lupus rapax, mane ſæuijt ac rugijt, ad veſperam diuiſit eſcas. ſi minus prædicationis, aut ſacrorum dogmatum, quemadmodum Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam; ſaltem pœnitentiæ, ſubmiſſionis, obedientię, & ſalutaris exempli, iuxtà menſuram acceptę gratiæ, ſiuè talenti ſibi à domino crediti; quandoquidem & hunc ipſum, dum mater Eccleſia parturiret vocauit *Benoni*, ideſt filium doloris; ſed Pater Cæleſtis appellauit *Beniamin*, filium dexteræ. Verum ex quo Lupinæ rapacitatis incidit mentio, aliud conſequenter pronum fuerit concipere; in hoc videlicet Cęſare admodum quadranter conueniſſe Eſaiæ dictum 21. *Habitabit Lupus cum Agno*; nempè quia, cum Imperialẽ maieſtatem eximio quodam faſtus ac luxus nitore ſuſtinere, vel potius augere videretur, intrinſecus tamen de ſeipſo abiectiſſimè ſentiebat: Humilitate enim quaſi vinculo quodam attraxit eum Deus, ſiuè retinuit; ne in deteriora prolaberetur. quemadmodũ & olim Paulum zelo Moſaicæ legis, velut infrenauit, valdè æmulatorem efficiens paternarum traditionũ. has dixerim ſcintillas quaſdam virtutum, ſiuè pietatis incen-

S. Aug.

incentiua, Electorũ cordibus ingeſta, quas Eſaias 1. memorat vocabulo *ſementis* inquiẽs. Niſi dominus reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus. Iacobus verò. 1. Suſcipite inſitum verbum. Ita Federicus aliud ad oculos hominum, aliud ad inſpectorem cordium exhibebat. Porrò in alto poſitum, non altè
S. Bern. ſapere, perquam arduũ arbitratur Bernardus Sacer. Hinc apud veteres Romanos, dictum illud prouerbij fermè locum obtinuerat. *Cui plus licet, quàm par eſt: plus vult quam licet*. id enim in vita mortalium ſæpè accidit, vt cum potentia; licentia maior indies fiat. Plus nimio illud iam in vulgus difamatum, Iuliæ ad Antoninum Carcallam, *Si libet, licet*. Etenim *Leges dat Imperator, non accipit*. fertur & Diocletianum dicere ſolitum, Nihil propè in tota vita eſſe difficilius, quam Imperatorem benè Imperare. Inditum humanis ingenijs dominatu inſolenter vti: nec facilè modum retinere, in his quæ ſunt ſupra modum. Verum quod ad Federicũ attinet, ipſius ſenſum procliue fuerit cognoſcere, cum ex ſupra poſitis eius verbis, tum ex ſequentibus, in eadem reconciliationis actu ab ipſomet prolatis. *Ille qui Humilia reſpicit. & alta à lõgè cognoſcit, potentiam noſtram & aduerſæ partis Humilitatem conſiderans, more ſuo potentes de ſede depoſuit, & Humiles exaltauit*. hæc ore prompſit publicitus: quæ ſiuè ad ipſum Pontificem diù profugum, ac latitantem priuati habitu: ſiuè ad Vrbem noſtram dudum euerſam referantur, quis non indè eliciat contriti cordis indicia? Didicit itaque egregius Princeps, per ſublimioris agricolationis diſciplinam, celeſte ſemen

in

in *Humili* cordis gleba vberius exurgere: quodque vas de quanto profundius, de tãto capacius eſt ad ſuſcipiendum liquorem. ſic & animus *Humilitate* diſponitur ad Dei gratiam. Exercebat propterea ſe in ſancta ſuijpſius contemptus virtute, vileſcebatque ſibimet, intrinſecus (inquam) quamuis externè pro perſona quam gerebat; fortè in fimbrijs aureis incederet. Beatus qui habet partem in reſurectione prima, Apoc. 29. nimirum quia particeps erit & ſecundæ; illorum quippè corpora configurata apparebũt claritati Chriſti, quorum corda reformata fuerint ad eius *Humilitatem*. Hanc dilexit, hanc quæſiuit, vir alioque excelſus: & amator formæ illius effectus eſt, quæ ei ad diuina munera promerenda, gradum parauit ampliſſimum.



Eam ille pro ſtemmate ſuo delegit, ipſiuſque nomen ſuperiecto Diademate ex aduerſo effigiei ſuæ, aureis, argenteis, æneis numiſmatibus cudẽdum curauit, pro coronario ſibi debito auro triũphali, quod ad hãc diem extare videmus, ijſdẽ Theutonicis, ſeú Longobardis Characteribus expreſſum, & Regio ſerto deſuper ornatum, in vetuſtis calculis vulgo *Medaglie*, & pro clariſſimæ Borromæorum familię, Inſubricorum potiſſimum inſigni gentilitio, ab ipſo eorum Proſapiæ auctore Federico repetitum. prætulimus quippè ex Friſegenſi Othonis continuatore, quod Fridericus multum gloriaretur originem ſuam trahere à magno Duce Romano, ſeque *Bonum Romanũ* nominari. ma- *Rad eu. Friſeg.*

gnum porrò Ducem illum Ioannem eſſe memineris, quem delineauimus in Auſtrali. Sunt qui velint eius monetæ inſcriptionem, putà *HVMILITAS*, ab ipſo ſubmiſſionis actu deriuatam, quo Imperator ad Pontificis pedes ſe proiecit, teſtante Romualdo eius fermè contemporaneo, quod *cum ad Papam appropinquaſſet, tactus diuino ſpiritu, Deum in Alexandro venerans, Imperiali dignitate poſtpoſita, reiecto pallio, ad pedes Papæ totum ſe extenſo corpore inclinauit*. id autem quã veré aſſeratur, viderint Sapientes; mea etenim ſententia inſigne quidem æſtimandum id humiliationis indicium, at non adeò mirandum virtutis opus, vt ex eò ſummum ſibi gloriæ comparaſſe reputaret, & ad illud exaggerandum, numiſmata excudi mandaret; nihil quippè nouum, aut inſolitum præſtitiſſe prædicãdus eſt, adorans Sacrorum Principem, diuinæ aſſiſtẽtię opinione omnibus gentibus religioſiſſimè venerãdum; cum in ſummo dignitatis culmine ſupra homines, citrà Deum ſolum conſtitutus dignoſcatur. Non tam ergo ab actu Humilitatis exhibito, quam ab habitu Humilitatis illi indito, exortum opinamur Coni titulum, quia in ea virtute maximè delectaretur Cæſar ipſe magnanimus: eamque ſibi aſciſceret pro Corona, Regnis pręponens ac ſedibus. Eo permoti Ciues noſtri, quos ille victos in Germaniam adduxerat, vinctoſqne detinebat, in habitu albo Humilitatem conteſtante ſe illi obtulerunt ſupplices, ſola *Humilitate* quam tantopere eius cordi infixam didiciſſent, ſperantes illius poſſe effringi, aut emolliri duritiem, nec quidem ſpei defuit euentus nam ſimul atque ei

Lib. 3. fol. 169.

Romua.

perſua-

perſuaſum, ipſos ex animo humiliatos, libertate donauit: reditumque indulſit, iuxta Poetæ dictum

Parcere ſubiectis, ſcit nobilis ira Leonis.

Ipſiq; viciſſim cũ in patriã repedaſſẽt: inq; religioſũ cœtũ cõuenire decreuiſſẽt, quo magis liberatori gratificarẽtur, Ordinẽ appellarũt *Humiliatorũ.* is eſt quẽ Pius Quintus diebus noſtris extinxit. Dilexit igitur Humilitatem eximius Heros ſummoperé, quam & vnicam ad ſublimitatem viã eſſe exiſtimauit, de qua Auguſtinus, O medicinam omnibus cõſulentem, omnia tumentia comprimentem, omnia tabeſcentia reficientem. Bernardus autem obſeruat, quod non ſit magnum, humilem eſſe in abiectione, magnum verò atrarum Humilitas honorata. Hinc quod nonnulli affinxerunt, & plurimi poſtmodum confirmarunt, in recognitione, ſeu recõciliatione, quæ Venetijs peracta eſt; quod ſcilicet Alexander Pontifex procumbentis Federici ceruicem, veſtigio compreſſerit, illud Pſalmi pronunciando, *Super aſpidem* &cęt. irritatũq; Cæſarem reddidiſſe. *Non tibi ſed Petro.* ſi vera fatear ego nec ſequor nec aſſequor. quid enim aliud egiſſet Pontifex, ſe adorantem tam infeſto ariete adoriens, niſi quod negotium ſibi creaſſet inexplebile: rem in vado poſitam, ad deſperationem redegiſſet: ac morbum propè iam alexipharmaco depulſum, incurabile reddidiſſet? notum illud, *Exacerbari vlcera, ſi manu aſperiore contrectentur.* Præterea, quis neſciat eiuſmodi ceremoniarum ritus, non pro libito, aut arbitrio; ſed conſultò, & ex conuento adhiberi ſolitos; propterea enim formulæ de ijs circumferuntur. alio-

Supplem. Chronic.

S. Aug.

S. Bern.

quin ſcandalo ac ludibrio populi patere neceſſe ſit Sacrificos ac Præſules. ſi ex eorum ſolennitatibus ad ædificationem ac pietatem inſtitutis, emergant diſſidia. Quodſi adhuc præmonitus Federicus tam iniquè tulit: tam acriter retudit, meritò non impœnitẽs ſolum, ſed inconſtans, ac mentis impos adiudicãdus, quod abſit vel ſuſpicari. Hoc factum aſtruunt quidam, mordicuſque tenent, ceù particulam aut circũſtantiam adminicularem tropheo, quod de victa Ænobarbi claſſe, ad *Piranum*, ſiuè *Salborium* Veneti reportarunt. Verum alij his fortè grauiores, cum de Venetorum victoria nil ambigant, appendiculam tamen velut inanem reticent aut reſpuunt. Nec mihi obiectetur tabella prę foribus Marcianę Baſilicę olim vt fertur affixa, cui ea verba inſculpta eſſent, *Super Aſpidem & Baſilicum* & cęt. namque ad myſticum intellectum appoſita fuerant. nec quidpiã inibi perctum exprimebant, ſed ſymobolicè duntaxat enũciabant indèque (vt reor) locus fuit fabellæ de calcato Imperatore. Quale & Martini Poloni figmentũ, de Fœmina per fraudem in Pontificem Romanũ electa, quod protinus ad omnium ora manauit, diuulgante magiſtro doli, miniſtro mali, falſi artifice Satana, ad pię credulitatis ſubuerſionem. quod tamen *Onuphr. Panuin.* Onuphrius Panuinius doctè confutauit, & cum eo eruditorum cohors vniuerſa. Enimuerò æneam laminam illam, dixerim ſe habuiſſe inſtar Inſcriptionis adiectę Emblemati cuipiam, vulgò *Motto, od Anima d'Impreſa*, ipſũ enim Alciatus, rei totius *Animam*, & *Andreas Alciat.* ſenſum eſſe affirmat; porrò eiuſmodi inſcriptiones, ea

ſanè

ſanè lege apponi conſueuerunt, vt non verbis popularibus conſtent, aut de medio ſumptis, triuialibus & cõmuniter vſitatis, ac protritis, ſed (quod res magnas reconditaſque decet) grauibus & grauidis, meditatèque concinnatis ac ſucculentis; etſi non tam luculentis; imò & pluſculum abſtruſis, aut longé arceſſitis, nõ tamen ænigmaticis neú imperueſtigabilibus. Quale (exempli gratia foret, ſi Riuulum effingerem ab excelſo monte per fiſtulas, ad decliue & imum conuallis deriuari: moxque in gratioſum fontem erũpere, & ſaltu exurgere vehementi, adderemque notã ex Euangelio decerptam. *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Aut ſi conficto Infernali baratro, vtrumque pœnarũ genus quibus miſeri obſidentur; Damni, nimirum, ac ſenſus exprimerem, aſſumpto Dauidis ſchematæ, *Supercecidit ignis, & non viderunt Solem.* ſimile quiddam acri ingenio, tropicè connotaſſe voluerunt priſci Veneti, ea tabula Propheticis verbis inſculpta, ſacrãque Aram adeũtibus pręfixa, Quemadmodum & Serpẽti olim prędixit Deus fore, vt Mulier cõtereret caput eius. licet commento anſam præſtiterint, plebæis & hebetiori popello id ad litteram accipiendum exiſtimante: ſolenniſque reconciliationis illius actui ad vulgi libitum applicante, tamquam hiſtoricè patratum, vt verba ſonant. Eiuſmodi quippè Argumentĩ genus, videlicet; *Tabella olim illic affixa his notis inſculpta: Ergo his verbis vſus Pontifex, Cæſarem comprimens,* Entimema dixerim, ac Syllogiſmum trũcum, ex falſa hypotheſi reſultans, nihil ideò concludens; id enim ſupponi noſcitur, quod omninò probatione ege-

egebat. Hæc prò mea tenuitate diſſeruerim; tametſi nihil ad rem, quare nec probanda, neque defendenda ſuſcipio. Illud haud leuiter ferendum; imò grauiſſima animaduerſione dignum, quod quidam ſæui magis quam ſeueri, de ſeriò grauiterque pœnitente, ſcribere non erubuerint, *Neque tamen Humilitate illud à Deo impetrare potuit, vt non etiam morte horribili, ac totius exercitus puniretur.* Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis? verè ſcripſit Philoſophus quod ad pauca reſpicientes de facili enunciant. Quis cognouit ſenſum domini? Ego è diuinarum ſcripturarum ſacrario didici, quod quos Deus amat arguit & caſtigat: flagellatque omnem filium quem recipit: Apoc. 3. Heb. 12. alioquin innumera admittamus neceſſe eſt, à vero exorbitantia: idemque iudicandum de Sanctiſſimo Ludouico Francorum Rege, qui eandem Terræ Sanctæ recuperationem aggreſſus, primò deuictus, captiuitatem ſuam ſuorumque compulſus eſt pretio redimere: ſubindèque rediens, peſtilenti morbo interijt. ſed quis nolit mortem oppetere, in loco vbi vitę auctor occubuit? Quis niſi temerè hunc à Dei gratia excludat, quem is tam ſancto operi intentum euocauit? notum illud. *Si ceciderit lignum ad Auſtrum, aut ad Aquilonem ibi erit.* Eccleſ. 11. Quod ſi timendum ducimus & meritò, cum in operibus manuum ſuarum comprehenditur peccator, quid de Federico ſperandum ſit, ritè depromitur ex oppoſitorum Regula. Hinc ipſemet in pręcitata Oratione lętabundus diſſerebat, *Diuina clementia nos ad correctionem noſtram ad tempus errare voluit, ſed de-*

Ariſtot.

Gaufrid. apud Sur.

Annal. vbi ſup.

uiare

mare in perpetuum non permiſit. valeant igitur qui tam rigida cenſura de viro eminentiſsimo pronunciare non erubeſcunt. Et vbi quæſo *Mors adeò horribilis*? profectò cum ineuitabiliter cuique ſemel calcanda ſit via lethi, nullus placidior exitus, nullus optabilior repentino; ſic enim & in Apoptegmatibus legis à Sapiente reſponſum, ſed addenda ea conditio, *modò non improuiſus*; eatenus quippè vigilãtia nobis à domino Ieſu indiciditur, nè imparatos Lethum intercipiat. cęterum quibus fuerit indultũ ſubitario caſu emigrare (paratis inquam) ij nec diutius amaræ conuulſionis doloribus excruciantur: & acres calcaneo inſidiantis tentationes euaſiſſe putantur. Hunc contritionis ac pœnitentiæ lauacro, ex pręmiſsis crediſſe iuuat ſordes affatim abſterſiſſe culparum. ad quod ſignandum, de Gurgite potiſſimum ſublatus eſt, quod eſt emundationis ſymbolum. Cum enim aſsiduis laboribus, & meridiei incendio æſtuaret Torrentem ingreſſus eum vnda confeſtim abripuit; quidni igitur concipiamus, quod trãſiens per ignem & aquam, eductus ſit in refrigerium?

Faceſſant qui inclyto Heroi ingentium operum gloriam inuident: & quem diffiteri nequeunt extitiſſe magnum, malum tamen ſucclamare non ceſſant. Ego autem dum nullo corruptus beneficio, nulla ſpe lactatus; magis verò lęſus, communiq; affectus iniuria; nempè Patrii ſoli vices dolens, quod adhuc pręcipua ornamenta huius feritate ſibi adempta mœret, nihilominus virtutis ac veritatis ſtudio, pro tenuitate mea egregium Virum obliuionis faucibus eripere nitor;

nitor; imò & calami fauore, faſtis ac æternitati illius conſecrare magnanimitatem, æmulationis ſtimulum ingenuis legentibus immittere cupio, vt & ipſi gerāt, quæ gloriæ penicillo delineari mereantur, quæque vel ab hoſtibus ipſis laudationem extorqueant. Sed ad ſeriem argumenti reuertor.

Ad hæc, ſtultè traditur Alexander Pontifex ad diuæ Mariæ Caritatis cœnobium, habitu coqui, aut hortulani, vel famuli inuentus. Ego enim ad euitandas eiuſmodi ſirtes, rem, cùm ex fidiſſimis annalibus, tum ex Clericis Canonicis profeſſionis meæ conſortibus *Alphōſus Ciacon.* ſedulo ſciſcitatus, ſic didici. Alexandrum videlicet anteà nūcupatum Don *Rolandum* de Bendinellis, Patria Senēſem, profeſſione Regularem Canonicum, diù Piſis commoratum, ipſumq; ad Apoſtolicum culmen accitum, *Alexandri* nomen expetijſſe, propenſione quadam in mores ac geſta Don Anſelmi quondā Bedagij Mediolanenſis, qui ex eodem Canonico ordine, in Lucēſem Epiſcopū Aſſumptus, egregia multa patrarat: indèque ſupremo Eccleſiæ Throno ſublimatus, vocabulum elegerat *Alexandri* Secundi. Quare cum hic Tertius Alexander, conſpiratores, qui Caliſtum Pſeudopapam tuebantur: occultaſque Romanorum inſidias pertimeſceret: nec tutum ſibi in Latio morari exiſtimaret, ob nimiam Barbaroſcij omnia fermè tenentis potentiam: neù in Patriam ſuā profiſci, vniuerſa Hetruria tūc ab Imperatore ſubiugum miſſa, quam liberorum cariſſimo Federico in poſſeſſionem largiri cogitarat, ſuppreſſis dignitatis ſuæ inſignibus, clanculum Venetias contendit.

Cumque

Cumque applicuiſſet, illicò perrexit ad regularem diui Saluatoris Canoniã, vt ex Chronicis liquet quæ *Sannuta* dicuntur, vbi notanter habetur, quod ſubtus eius porticale prima nocte dormierit. poſtera autem luce, ad Diuę Marię Caritatis Eccleſiam diuertit. vbi ipſiuſmet inſtituti Clerici religioſi degebant, prout hodieque deſeruiunt. Obo Rauennas obſeruat ijs temporibus ingentem ſupplicum turbam, ad Oratorium illud confluere ſolitum, ad famam eorum quæ Chriſti parens Virgo miracula exhibebat. quamobrem piè credendum, Pontificem calamitatibus circundatum acceſſiſſe ad gratioſam imaginem illam, in qua vultum Virginis deprecabantur omnes diuites plebis, leuaſſeque oculos ſuos in montem illum gratiarum almam Deiparam Mariam, quæ germine ſuo tortuoſi ſerpentis caput contriuit, deprecatumque obnixè, vt fieret ſibi aduocata, quæ hęreſum prædicatur omnium interemptrix. Canonicis autem reſidẽtibus nil mentitus eſt ſe itidem Regularem Canonicum; factioſorum verò dilapſum manibus, qui domũ ſuam inuaſiſſent diuexarentque. Canonici autem Veneti primum quidem vt par erat ei compaſſi vices eius doluerũt, mox ipſius grauitatem, modeſtiam, ac prudentiam admirati, communem illi conuictum ac ſocietatem, gratanter detulerunt; quare erat inter eos quaſi vnus ex ipſis; quipute eorum moribus, & inſtitutis iampridem apprimè eruditus ac imbutus fuerat. Regulares Canonici proprijs collegijs, & capitulis addicti, ſub eorum Archipresbyteris iugiter permanebant olim, neque hac, aut illac demigrabãt;

Chron. San.

Obo Rau.

donec de anno ſalutari 1401. Don Leo Caratus Mediolanēſis Canonicus, nonnullas Canonias reformauit; ex tunc enim manauit conſtitutio de transferendis Canonicis. videatur *Apparatus ad priuilegia Canonicorum*, quæ nos ipſi magno labore collegimus. Quod dico nè quis mihi obijciat. Qui fieri poteſt, vt ſe latere poſſe conſideret Alexander apud Religioſos ſub quorum dogmate tamdiù vixerat, cum ij de loco ad locum migrantes, frequens ſe inuicē obuios habeant? huic inquā inſtātiæ ſatis arbitror feciſſe inquiēs, quod Canonici ab initio talē conſuetudinē nō habuerunt. Ergo inibì moratus Alexander, haud ita multo poſt. Cum fortè ad Altare Sacroſancta myſteria perageret, ab aduenis quibuſdam qui eum Romæ atque Anagnię ſæpè vidiſſe meminerant, & loquentem audiſſe, firmata ex effigie, ſtatura, lineamētis, ac vocis ſono coniectura, agnitus eſt. Quod cū Ziano Duci ac Senatui conſtitiſſet, continuò vniuerſis ordinibus ſolenniter prodeuntibus exceptus, & ad Ducale Palatiū deportatus, in Solio collocatus, gratulantibus, ac plaudentibus cunctis nullo non honoris genere affectus eſt. Octauo Calendas Aprilis, Anni ſeptuageſimi ſeptimi, ſupra vndecies centeſimū à natiuitate Domini Saluatoris: qui & poſtmodum Venetorum Reipublicæ, ipſique Collegiatæ S. Marię Caritatis, ſummas habuit retulitq; gratias ac indulta. Verum hæc obiter.

Federicus cum ſe anathematis vinculo ſolutum, pijſſimæque Matris gremio receptum exultaret, pœnitentia ad peccatorum expiationem alacri animo

ſuſcep-

ſuſcepta (neque enim in vnguem cuiuſquam geſta enarrare inſtitui) priuſquã in Paleſtinam proficiſceretur, coacto Moguntiæ Principum conuentu, Henricum primogenitum, in Romanorum Regem eligi curauit, Imperijque ſucceſſorem. Federicum cohoneſtauit patrimonialis Sueuiæ Ducatu, ac Dominio Hetruriæ. Othonem Burgundiæ Ducem, Matris videlicet hæredem dixit. Conrado attribuit Franconiam. Philippo Alſatiam. Demum cum in Aſiam copias traieciſſet: iamque Armeniam ſubiugaſſet: & (vti erat eius ſtudiũ vehemens ac expeditum, & cõprobante fortuna rerum euentibus felix) Saladino ingentem incuſſiſſet terrorem. aliquando æſtiui feruoris impatiens (vt prætactum) ſui refrigerandi gratia torrentem ingreſſus, repentè vndoſo vortice abſorptus eſt. Vir ſtrenuus ac omnium inſignium virtutũ numeris ſupra Reges bello inclytus. Cum vniuerſam Europam Aſiamque rerum ab ſe magnanimiter geſtarum fama ſuſpendiſſet complexiſſetque, planè egregius vir.

Qui ſi quiſquam alius mortali lege creatus.
Viuere dignus erat, viuere dignus erat.

Sed in hoc Federico vtpotè primo illuſtris huius lineæ Imperatore glorioſique ſtemmatis; quod eſt aurea coronata *HVMILITAS* auctore, aliquãtò diutius quam in præmiſſis compendijs conſueſſemus immorati; preſtricta deinceps breuitate prolixitatem hanc compenſabimus.

Henricus Sextus Milleſimo centeſimo nonageſimo, pleno Electorum conſeſſu, & cõſenſu, Patri ſuf-

fectus eſt Ænobarbo, quem is priuſquam bellū Aſiæ inferret, Romanorum Regem Moguntiæ deſignarat, Aquiſgranique coronandum curarat: pro quo & Milleſimo centeſimo octogeſimo quarto, Veronæ agens, Lucium Tertium Pontificem rogarat obnixè, vt Imperialibus eum Infulis exornaret; quatenus ipſe quoque filius, *Imperator* publicitus acclamaretur abnuēte verò Pontifice, quia inconſonum videretur, ipſo ſuperſtite alium Imperatorio titulo cohoneſtari, Federicus Mediolanum veniens, ſummaque populi lętitia exceptus, Henricum petijt Italiæ Regem coronari, obtinuitque, inungente illum Lamberto de Cribellis Archiepiſcopo, qui poſt Lucium Pontificatu ſubuectus, *Vrbanus* Tertius dictus eſt. Nullum certè fuit obſequij genus, quod ingenui Ciues noſtri Cęſari non exhiberent, præteritæ ſimultatis prorſus immemores: ipſeque magnanimus viciſſim, incredibili Ciuitatis profectu atque incremento ſupra modum exhilaratus, antiquorum priuilegiorum confirmatione muniuit nouiſque adauxit. Illic & filij Henrici Regis nuptias celebrauit, iuncta ei Cōſtantia Guglielmi Siciliæ Regis, Rogerio nati filia, ſpecioſiſſimæ venuſtatis Virgine, in aula paternę domus ſplendidiſſimè educata, tunc quadriluſtri, cum Henricus vix annum exceſſiſſet vigeſimum primum, in quo cō-
Auctor. cordant Otho Friſegenſis, Abbaſque Vueſpergenſis, Gothifredus Viterbienſis, & Guglielmus Neubrigēſis, quibus (mea ſententia) magis fidendum ceù oculatis teſtibus, quam Blondo, vel Platinæ, & neotericis, contendentibus eam Rogerio ipſo tunc Apuliæ

Duce

Duce genitam, Guglielmique ſororem: ipſamq; iam diu ſacro velamine Chriſto inarratam, in Monaſterio Panormi profeſſam, & Abbatiſsã, nonniſi Ænobardo è viuis ſublato, ipſi Henrico iam Imperatori traditam, diſpenſante ac deſponſante Celeſtino Papa Tertio; quatenus ad ipſum Henricum, iura transferret Regni Siciliæ. Hæc enim vix vero ſimilia comprobantur ex ſupputatione temporum. Cum Rogerius de anno vſque 1126. Neapolitani Regni ſibi impoſuerit Diadema; Cæſar autem Henricus anno 1198. decedẽs filiũ Federicũ bimulũ reliquerit. perperam inſuper ac iniuria optimo Pontifici, ingenuoq; Imperatori, ea iniuſtitiæ, vel potius dementiæ nota inuritur. quod ille tam infeſto odio in Tancredũ Regni ſucceſſorem exarſerit, vt Abbatiſſam ſexagenaria maiorem Clauſtro abducere: & carnali connubio obligare voluerit, eo intuitu, vt Tancredum licet minus legitimo thoro prognatum, paterno Regno deturbaret, Hic verò Anum ſeminecem thalami ſui ſociã adhibuerit, alieni Principatus inuadendi libidine, Quin & illa vecors, opprobrium adoleſcenti facta, Naſonianique præcepti immemor.

Si quæ voles aptè nubere, nube pari.

Ratum illud, quod Henricus vbi primum Imperator inauguratus eſt, nimirum de anno 1191. confeſtim in Italiam accedere parauit, cum ob inſignia de manu Apoſtolici ſuſcipienda; tum deſiderio vtriuſque Siciliæ Regni indepiſcendi, quod legitimo hæreditario iure, ad Cõſtantiam dudum Vxorem ſuam deuolutum prętenderet; quippè Tancredus ſpurius, lege excluſus.

excluſus ferebatur. Adueniens itaque Cæſar, primò Tuſculum quod à Romanis defecerat, ſeque Imperatori dediderat, libens Pontificis poteſtati reſtituit (quod & patrem eius de Tibure prætulimus præſtitiſſe) Mox citeriorem Siciliam, vulgò, *Regnum Neapolitanum*, adorſus, poſt multa illata ſublataque incommoda, iterato tandem prælio obtinuit: breuique vlteriorem etiamnum ſubegit. Mox Papæ hortatu validas auxiliares copias, in expeditionem Terræ Sanctæ dimiſit: demum cum Federicum filium adhuc in cunabulis vagientem, Romanorum Regē per Electores appellari curaſſet: eumque Philippi fratris ſui, cui Sueuiæ Ducatum detulerat, tutelę & patrocinio commendaſſet, Meſſanæ febri concepta deceſſit.

Huius fratrem FEDERICVM Secundo (vt prætactum) editum partu, Barbaroſcius genitor ſingulari quadam caritate proſecutus traditur, quem maximis opibus ditauit: Sueuiæ Ducem creauit ac Etrurię dominum: demum & Principem Antiochiæ. Quamuis non me fugit, grauiſſimos auctores non vſquequaque in hoc conuenire, quin & obluctari, aſſerēdo eum Thuſciæ Gubernatorem datum: Vicarioque nomine duntaxat eam obtinuiſſe. Quibus & ipſe adſtipularer; niſi illa me vrgeret ratio; nimirum quod parum credibile videatur, vt ei Genitor Hetruriam regendam tribueret, quem ſecum in Aſiam abducturus erat; cum enim poteſtas ſit propter vſum, vſus autem ſit impoſſibilis, quia Rector tam vaſto receſſu remotus, non poteſt calore ſuo ſuſceptam prouinciā fouere. inanis igitur omninò foret ea inſtitutio. quare

conſen-

conſentaneum magis, quod iura dominij in ipſum Ducem Federicum liberè tranſtulerit Cæſar, ille verò profecturus, Philippo filio ſuo adminiſtrandam cõcrediderit. Hæc cum controuerſa videam, explicata nullatenus inuenio. illud verò compertum, quod inuidentiæ & odij ſeminaria ea fuerunt: Federicoque Duci: necnon Philippo eius filio inimicitiam Henrici Cęſaris conflarunt, vt infra. Itaque Dux Federicus Patris lateri indeſinenter adhęſit: potiſſimumque in Aſiaticis certaminibus ab eo nunquam diuulſus eſt. Imperatoreq; aquis præfocato, ipſum filium exercitus Ducem ſupremum, ac dominum ſalutauit: ipſius virtutis præſtantiæ quantum par erat tribuit: & ei in omnibus ſe ſubdidit obtemperauitque. Is paterno funeri egregiam ſanè impendit operam: Tyrumque aſportauit cadauer, maximis etiam periculis ſe exponens. Poſtmodum Philippo Franciæ, ac Riccardo Anglię Regibus adiunctus, memoranda bellicæ virtutis, & inuicti animi monumenta reliquit. tandem Chriſtianorum copijs toto adnixu Ptolemaidam expugnare contendentibus, cum ſtrenui multi, ac Viri Principes, tum ipſe Federicus occidit, vnico filio Philippo ſuperſtite, eius ditionis, & pretioſę gazæ Imperialis, quam apud ſe ſeruandam acceperat hęrede. Nec prętereundum, in manuſcripta ſchedula quadã vernaculo idiomate, Mediolani inter ſcrinia Illuſtriſſimi quondam Comitis Renati Borromęi reperta. de Ænobarbo haberi, quod poſtquam Thuſciam occupaſſet, eam adminiſtrandam tradidit filio ſuo, cui nomen *Fabio*, à quo originem duxerunt Borromæi qui

poſt-

poſtmodum per Italiam coaluerunt. proculdubiò Scriptor quicumque ille fuerit, in nomine erraſſe deprehenditur, cum nuſquam audiatur Fabij vocabulũ inter Imperatoris liberos; ſed *Federico* ſcribendum ei fuerat, vt manifeſtè claret.

Othonem Burgundiæ Ducem, palam eſt valida coacta Phalange, vnà cum Patre, ac Regibus Angliæ & Franciæ reliquiſque auxiliaribus, aduerſus Saladinum acerrimum virum (cuius & bellandi peritia, & felicitas ſumma fuiſſe perhibetur: qui & his diebus vniuerſam fermè Paleſtinam, noſtris eripuiſſe nũciabatur) tranſmiſiſſe. illic & mortem oppetijſſe.

Conradus ac Philippus, quos poſtremos Barborubei natos retulimus, Henrico primogenito Cęſari aſſiſtentes, Imperialium Regnorum quieti inuigilarũt, non ſinè egregia prudentiæ laude. Eos Henricus mirificè dilexit; quapropter ſtatim ac de patris fratriſq; Federici obitu certior factus eſt, pattimonialem Sueuiæ Ducatum ad Conradum detulit, quo abſque liberi decedente, Philippum natu minimum, eodem inſigniuit titulo ac poſſeſſione.

Ipſummet vtriuſque Siciliæ Gubernatorẽ ac Proregem moriens declarauit: infantiſque Federici filij ſui curatorem, dum pubeſceret. Cùm verò Henricus ipſe viam vniuerſæ carnis fuiſſet ingreſſus, ortò inter Electores diſſidio, quia infantulus Romanorum Rex, in gremio nutricis agens, Imperio ineptus omninò cenſeretur. idem Philippus Prorex, Imperator acclamatus eſt, & Moguntiæ coronatus, aſſiſtẽte domini Papę Legato, licet haud parum ei fuerit compe-

tentiæ

rentiæ cum Othone Henrici ſuperbi Saxoniæ Ducis filio, Lotharijque quondam Imperatoris Pronepote. Cuius tamen fautoribus bello per Philippum ſuperatis, Principum amicorum opera inuicem reconciliati ſunt. pacti ut Philippus pacificè Imperio gauderet, Otho autem ipſi defuncto ſuccederet: cui & Philippus filiam primogenitam in matrimonium copulauit. Secundam tradidit Regi Bohemiæ: Tertia nupſit primogenito Brabantiæ Ducis: Quartam denique obtulit Riccardo, Tertij Innocentij Papæ Nepoti, vt ſcilicet Papę ipſi gratificaretur, Spoletum Anconamque eidem aſſignans nomine dotis. Eminebat ſiquidem is Pontifex cum ſumma apud Principes auctoritate, tum ſcientiæ, ac prudentię ſingularis exiſtimatione. fueratque pridem Don Lotharius Anagninus, ex præclara familia Comitum Signiæ, Lateranenſis Eccleſiæ Regularis Canonicus. Philippus fuiſſe deſcribitur benignus, comis, aſpectu iucundus, flaua cęſarie: & quamuis corpore non admodum robuſtus, animo tamen pugnax; nam & Alſatiam rebellantem vaſtauit: Boemos fudit: Palatinum diſiecit: multa patrauit memoratu digna. Vix exiguo tempore pace potitus; etenim circa nonum ſuæ aſſumptionis annum, perfidia Othonis de Vintilfac Turingiæ Principis, gladio in gutture tranſuerberatus interijt, nulla maſcula prole relicta, Spirę tumulatus, ſuccedente ſibi Genero Othone, iuxta conuenta. *a Alph. Ciac.*

Cui, cum multa in pueri Federici Sueuię Ducis, & Siciliarum Regis perniciem, hoſtiliter moliretur: nõnullaſque temerario auſu terras Eccleſiaſticę ditionis

vſurpaſſet, anathemate perculſo: & Imperiali ſolio per fulmen Pontificium deiecto, ipſi quoque ſacri Imperij Principes Maieſtatẽ abrogarunt, *Federicum*que Secundum, Henrici Sexti, ei ſuffecerunt: & iamdiù Romanorum Regem inauguratum, Imperatorem publicitus renunciarunt. Qui coronam Imperij primum Aquiſgrani ſumpſit: poſt Romæ de manu domini Papæ Honorij Tertij. Vxorem duxit *Iolam*, Ioannis Brenni Ieroſolymitani Regis filiam. Cuius gratia Regni illius iuribus ad eam deuolutis, in Paleſtinam aliquandò ſe conferens, in ipſa Sãcta Ciuitate Rex inunctus eſt. Currente anno ſalutari milleſimo ducenteſimo vigeſimo nono. Ex eadem vxore *Conradum* ſuſcepit, quem ſucceſſorem habuit Sueuiæ, Sicilię, ac Imperij, alium quin etiam ex Amaſia genuit nomine *Henricum*, vel iuxtà quoſdã *Entium*, licet alij diſtinguant, duoſque eſſe contendant, primũ aſſerentes Corſicę Regno donatum, ſed nihil ad nos. id vnum obſeruaui, quod prędictum *Entium* Sardiniæ Diademate exornant Scriptorum plerique, à quo & Nobiles de Bentiuolis prodijſſe creduntur, Bononię ac Ferrarię Clari. Idem Federicus Bononiam infeſtis armis aggreſſus admodum afflixit: litterarioq; priuauit Gymnaſio, quod dudum Lotharius prædeceſſor in ea firmarat. Cuius iura & priuilegia Patauium, vbi nihilominus antiquitus vigebat tranſtulit auctoritate Imperiali.

Magna hic vir Ciuitati noſtræ damna intulit: viciſſimque ab ea pertulit, iratus quod Othoni anteceſſori ſuo, à quo Priuilegiorum muneribus ornata fuerat

rat: Gregorio item nono: & Quarto Innocentio Pontificibus fauiſſet. Tandem *Ferentini* in Apulia interijt, dolo *Manfredi*, qui eiuſdem filius putabatur.

Conrado Quarto Romanorum Regi Ducique Sueuiæ, multum confligendum fuit cum Guglielmo Holandiæ Comite, dudum aduerſus Patrem Federicum Secundum electo; titulum tamen Imperatoris obtinuit: necnon vtriuſque Siciliæ Regnum. Sed breui eiuſdem Spurij Manfredi inſidijs petitus occubuit, relicto *Conradino* Sueuię Duce, quem ex Bauariæ Ducis ſorore ſuſceperat, adhuc puero.

Huncque paullo poſt Carolus Andegauenſium Comes, Ludouici Regis Frãciæ frater, Regnis vtriuſque Siciliæ Pontificia auctoritate donatus, ipſis Regnis recuperandis animatum, intercepit interfecitq; Manfredo eius Patris atque Aui proditore antè deuicto & enecto. Horum interitu Imperium quod in clariſſima Sueuorum Bonromanorum gente radices fixiſſe credebatur, ab eis penitus excedens, ad alios tranſmeauit. Qua nimirum de cauſa quidam Scriptores (ſed minus quam par eſſet circumſpecti) ipſam familiam in ijs ſtirpitus conuulſam tradunt, quod vt verificari conſentiam de primogenitorum linea; ſecus tamen de lateralibus. idque procliue intueri. Hæc ſufficiat compendiaria methodo retuliſſe; quatenus *S*ueuorum Cęſarum ſucceſſionẽ, vel ſummatim recolerem. Iamuerò parumper pro inſtituto noſtro retrocedendum.

Nempè nos reuocat PHILIPPVS, quem prętulimus filium Federici Sueuię Ducis, Principis Antio-

chię, ac Domini, ſeú Gubernatoris Hetrurię, ab ipſo Genitore, ſiuè ab Auo Ænobarbo Vicarij titulo, ipſi Thuſciæ adminiſtrandę adhibitum; dum ſcilicet illi in Aſia belligerarent, cui etiam Quęſtores Aerario Imperiali præfecti. Theſauros quos ſecum Barbaroſcius detulerat: quique Duci Federico ſuperfuerāt, de mandato ipſiuſmet Teſtatoris, tamquam legitimo hęredi reddiderunt. pręter Aurum, Gemmas, Pretioſaque multiuaria apud eum à Patre dum proficiſceretur depoſita: eiuſque cuſtodiæ commiſſa. Hunc Chronographorum pleriq; non recenſent, nec agnoſcunt, putantes Ducem Federicum prorſus ſobole caruiſſe. ex quo ab eius obitu Conradus, & poſt eum Philippus ipſius fratres ac iſtius Patrui, Sueuię titulo inſigniti reperiuntur. Cum cęteroqui palam ſit eius Ducatus iura, Filium manere debuiſſe, modo adfuiſſet. Alij cum perſonam excludere non valeant, vti vim euadant argumenti, aſſerunt Philippum hunc illegitimo thoro prognatum, ac ob id eius dignitatis
Fo. 331. incapacem. ſpolijs verò donatum paterna diſpoſitione.

Id videtur comprobare ex Faſcia alba, Scuto Sue-
Fo. 221. uorum obliquè ſuperextenta; vt ſupra notatum, aſſerentes id moris receptū penes Germanos, vt Baſtardi deferrent quidem Genitorum inſignia, ſed per aliquā differentiam contracta; quemadmodum de Gallis affirmatur Catal. glor. Mundi. par. 1. concl. 24. Contendunt autem Principum Sueuorum ſtemmata Repagulis viridibus Rubeisque duntaxat conſtitiſſe. de quibus cum non ſit meum iudicare; quiputà priſco-

rum

rum Sueuorum Parmas nullatenus viderim: neù de Philippo audierim, Nothus fuerit nec nè; dico tamen, quod ſuppoſita etiam quam afferunt differentia cõtractiua, nec iccircò argumentum vrget, aut cogit; quandò idem Auctor concl. 20. eidem diminutioni obnoxios facit Poſteriores omnes, ac ſecundo loco natos, quos dicimus *Cadetti*. neutram tamen partem defendendam ſuſceperim, cum varij Scriptores, non diuerſa ſolûm, ſed aduerſa: & toto cęlo pugnantia promant. Et nè per innumera vagemur, vnum retuliſſe ſufficiat, quod Merula nec contemnendi nominis auctor, duobus exceptis; *Henrico* videlicet ac *Philippo*, qui & Cęſares extiterunt, reliquos penitus Rubrobarbo filios denegat, Othonemque pręcipuè, quē alij affirmant Nauali prelio à Venetis captum, vt ſupra tactum. Quamobrem nos rem introrſus perſcrutati, quiddam lucis tandem è vetuſtis membranis ac fidiſſimis traditionibus eruimus. Sciendum ergo (vt etiam in præmiſſis adumbratum) Henricum Cæſarē ægrè tuliſſe quod tantum Federico deferret Genitor: quodque illi potiusquam ſibi, Hetruriæ atque Antiochię adiudicaſſet dominationem; imò & Sueuiæ Ducatum, hęc quippè maioris liuoris pabulum fuerunt ac fomes vt pręta ctum; immodica ſiquidem cupiditate ſuccenſo, parum videbatur Germaniæ, ac finitimis prouincijs imperare, niſi ſuper Italiam, Paleſtinamque ſceptrum protenderet. propterea ſe ſe Fratri poſthaberi, iniuriaque affectum ratus, diſſimulanter odium animo condidit, quod Patre, ac Fratre è medio ſublatis exarſit in vindictam; maximè cum etiam

etiam pecunijs & opulentæ ſuppellectilis hæreditate ſe fraudatum intellexit. hinc ſicut de quodam ſcribitur, concepit dolorem & peperit iniquitatem. Sueuiam namque de facto ademit Philippo Nepoti in Italia agenti; tametſi eã Fratribus adſcripſit, quatenus eſcandeſcentiam occuleret: notaque ſeſe iniuſtæ cupiditatis eximeret. Erat porrò Philippus vir ſanè grauis ac prudens, cæterum natura, nec bellicoſus nec acer; imò ab armorum exercitatione ſtudioque planè alienus. conſilio ſemper vſus, necubi expeditione bellica; quare tempori cedendum, nullatenuſque obnitendum duxit. Et quid faceret attentaretuè, aduerſus Patrui Cæſaris; præſertim vtriuſque Siciliæ Regnis aucti potentiam indignatione commotam? ad quem prouocaret? apud quem vel conquereretur? Minus verò de Antiochia contra Saladinum retinẽda, aut de filij Saphandini manu vindicanda cogitauit. Hetruriæ autẽ ſuę contentus extitit dominio, (vel clauo dixerim, nè altercari cogar) diuitijsq; quibus abundè admodum inſtructus erat. Neminem ancipitem reddat, quod Epitome chronicorum, Philippum Henrici fratrem Hetrurię Ducem nuncupent; nullatenus enim id ditionis ei competere potuit, aut tituli, Auctorem verò fefellit æquiuocatio, vt Patruo aſſignaret, quod Nepoti fuerat tribuendum, eo allucinatus quod cognomines eſſent ambo. Quod ſi Meſſias refert Thuſciam à Philippo eodem (ſed poſtquàm Imperium obtinuiſſet] Riccardo Genero ſuo Papæq; Innocentij nepoti, dotis nomine traditam, De Ancona; Ducatuque Spoletino (vt pręmiſſum] ſubaudiendus

Epito. Chron.

Petrus Meſſ.

dus

dus venit, & de ea parte quę Eccleſiaſtici iuris fuerat; occuparat verò eam Federicus, vt ex ipſo Meſſia liquet. Hinc & Annalia Cameræ Apoſtolicæ referunt Cardinalem Rainerium Capoccium, patrimonij Hetruriæ ſub Honorio Tertio legatum Viterbium Imperatori ereptum, Eccleſiæ reſtituiſſe. Cum enim Hetruriæ fines Geographorum calculo. ſupero inferoque Mari & Macra, Tiberique Amnibus comprehendātur, notum quod Ludouicus cognomento *Pius*, Caroli Magni filius, illius ditionem ſic cum Paſchali primo partitus eſt, vt Luca, Florentia, Luna, Piſtorium, Cluſium, Aretium, Feſulæ, Senæ, Piſæ, Volaterræ, Imperio: Reliquæ Sanctæ Sedi parerent. Quin & habetur inter acta conuentus Veronenſis. cum Lucius Tertius Federicuſque primus eam Ciuitatem ad inuicem colloquendum ac paciſcendum delegiſſent de anno 1184. (vt etiam ſupra memorauimus) quod inter cætera Pontifex Patriæ ſuæ vndè ortum ducebat gratificaturus, abs Imperatore impetrauit, ne Hetruſcæ Ciuitates, alia præterquam Lucēſi Moneta vterentur, in ea verò cudebatur Imperatoris effigies per ea tempora, à tergo autem, ea nota, *HVMILITAS*. quales etiamnũ interdũ viſuntur, cuius vice ijdem Lucenſes, vſu poſtmodum receperunt inſculpere *LIBERTAS*. Huius Philippi ſpectatur imago Patauij, in ædibus egregij ciuis Gaſparis Borromæi. portæ cuiuſdam ſuperliminari imminens, ea adiecta inſcriptione, *Philippus Federici primi Romanorum* Imperatoris *Nepos, Princeps Antiochiæ, & Dominus totius Hetruriæ*. Ipſe Prouinciæ eius habenas *Petr. Meſſ.*

quoad

quoad vita comes extitit moderatus eſt: eiuſq; meminit Leonardus Aretinus, & alij rerum Hetruſcarum commentarij, ſed longè ampliora lucidioraque hauriuntur è domeſticis manuſcriptis.

Leonar. Aret.

Filium ſuſcepit quem, & ipſum FEDERICVM voluit nuncupari, de patris ſui; imò & Aui, ac Proaui, Abauique, forte & Patuelis tunc Imperantis nomine. Vbi illud obiter expendo. tot ſcilicet Heroas in hac familia. exiguo preſertim temporis ſpatio id vocabuli ſortitos; nempè ſex, vt *Federicorum* proſapia, ex frequentata nomenclatione haud immeritò titulari poſſet. Senarius quippè numerus cum myſticis ſenſibus grauidus inuenitur, tum ab his qui penitiora rerum ſecreta rimantur, perfectorum numerorum Anteſignanus cõprobatur, quia ſuis partibus æquetur & eiſdem affatim completus reſultet: generationique potiſſimum attributus; quia conſtet vnitate, dualitate, ac trinitate, ex quibus & in quæ vniuerſa procreari ac reſolui demonſtrabat Pythagoras. Et id quoque nominis licet inter Germanicos, paſſim vſitatum, ac Theutomicis in vniuerſum perquam ſolenne, nec tamen in ipſa Vitalianorum familia nouũ aut inſolens; quandoquidem eo vocabulo nuncupatum retulimus Palamedis filium, dominum *Meſtri*, dum Meridionale latus perluſtraremus. Verum nè elongemur. Federicus hic parum firma vſus valetudine *Sanminiati* Caſtrũ, ob ſalubrem aeris temperiẽ, ſibi incolendum delegit. Cumque illinc Ius toti prouinciæ diceret, indè (ſi Ioanni Carolo Florentino fidamus) oppido illi cognomen obortum eſt *Altodeſco*,

Fol. 208.

Io. Car. Hiſtor.

quaſi

quaſi ſupremum Iuſtitiæ Tribunal. Villanius autem ſimul ac Boninſignius pariter Florentini, ex eo deriuatum putant, quia eius dominaretur Heros Germanus, quem Itali, dicimus *Tedeſco*, at vtcumque accipiatur illud conſtat, quod dominorum Bonromanorum ergò, id vocabuli terrę illi inditum, qui eam diutiſſimè poſſederunt, vnà cum *Cereto Giuidi*, & *Ciſterna*, & *Fagoniana* atque *Plumbatio*. etiam poſtquam magno, aut inſanè more ſuo, aut atrociter iocantis Fortunæ prodigio, præualentibns competitorum viribus vel auſibus, reliquarum Ciuitatum dominatu, ſeù adminiſtratione exacti ſunt. Ea ſiquidem tempeſtate, Gibellinorum Guelphorumque ſęuientibus in inuicem factionibus, bellum Italię conflatum eſt, omnium perniciosiſſimum, quo eius dignitas, continuata velut ruina traheretur in pręceps. Sed prę cũctis Hetruſca regio agitata: & perpetuis cladibus attritarac funditus prope deſolata eſt. In his Bonromanorum familia, ceù propinqua ac conſanguinea Imperatorum à quibus ea funeſta nomina, ſectæque manarant, & iccircò inter Imperialium partium aſſeclas pręcipua, eorum rebus ſtantibus efflorere viſa eſt: illiſque viceuerſa inclinatis, ſæpè elanguit. ipſo etiam Sanminiati Oppido priuata, idem pluries recuperauit, alternantibus caſuum viciſſitudinibus, quod ex tabulis atque annalibus dicti Pagi procliue comprobare, tum etiam libris memorialibus Florentiæ, Piſarum ac Senarum. Extat adhuc in via quam dicunt *Fagonianam*. Sanminiati, dimidiũ Turris, agnomen etiamnum retinens, nimirum *la Torretta de Borromei*. *Villan.* *Bonin.*

romei.

romei. viſunturque eorũ Inſignia, Scuta, Stemmata, picta ac marmori inſculpta, cum in Palatio eius Caſtri: & in Aula conſilij notanter. tum in Antoniano templo, quod eorum patronatus perhibetur; nomina Cenotaphijs indita: inque Minorum ac Prędicatorũ Eccleſijs & Clauſtris, illuſtres ipſorum aſſeruantur memoriæ. Adhęc compertum Alexandrum quendam de Borromæis, Sanminiato digreſſum, Piſas cõtendiſſe, ac inhabitaſſe: Fanumq; Carmelitarum inibi ſuis ſumptibus inſtauraſſe, cuius hodieque videre eſt Sepulchrum ac Stemmata. Alius quinetiam Ludouicus nomine, ſexcẽtos auri florenos erogaſſe memoratur, pro reparandis laquearibus: ſarciendaque contignatione dicti templi: cui & reditus aſſignauit quibus ſibi in perpetuum parentaretur. hęc notantur de anno 1415. in Carmelitarũ ſcriniis, *Archiuia* dicũt, inde accepimus. Alexandri prædicti nepotes cum Piſæ in Florentinorum poteſtatem deueniſſent, Sanminiatum redierunt. Singula hæc teſtimoniis certisque indicijs fulciuntur monumentiſq; peramplis, habita ratione ſtatus, ſeũ potius inſtabilitatis rerum ac temporum, quibus ea tunc prouincia quaſi fluctibus viſa eſt inceſſanter concuti.

Federicum prædictum, filius excepit vocabulo PHILIPPVS, ijſdem prorſus inteſtinis ciuilium ſeditionum procellis, ac ſeditionibus obnoxium; ceũ Imperialium partium ſtudioſiſſimum; de cuius tamẽ geſtis pauca admodum inuenimus memorię tradita; niſi quod multum ei impenderit negotij, multum curarum ac laboris pro re domeſtica ſeruanda, Prædijs

auitiſq;

auitiſq; Oppidis; ſiquidem diro ſeculo illo, quod ritè *Ferinum æuum* quidam Scriptores nuncuparunt, cum Ius eſſet in armis: factioneſque in mutuam indeſinentur conſpirarent eiectionem ac cædem, nihil cuiquam tutum erat, Ciuitateſque Dominorum ſuorum Imperio ſe ſubraxerant, ac iuga prorſus excuſſerant. ſed Gibellinorum præcipuè, quos nullo etiã inſigni maleficio: nulla noxiæ ſuperbiæ acerbitate: nulla exactionũ vexatione graues, eo duntaxat quod eminerent ac principarentur, vulgaris popelli ſtudium, non ineptè modo faſtidiebat, ſed iniquè execrabatur, nouitatis iugiter appetens. Eius ætate nõnullæ Hetruriæ Ciuitates, inter quas Luca, Florentia, Piſæ, libertatis titulum mercatæ, pecunijs à Rodulphi Imperatoris miniſtris ſibi coemerunt. Hic ille Rodulphus, cui accuratorũ Chronographorum teſtimonio, ad excellentiam laudis nihil prorſus defuiſſe reputatum eſt. qui eximia pietate, egregia liberalitate, robuſtiſſimo corpore, pulcherrimo aſpectu, conſilij prudentia, animi candore, ingenuiſque dotibus ac donis inſignis. Primus inclytam religioſiſſimamq; ſtirpem ſuam Auſtriacam, auguſtiſſimo ornauit Diademate, in quo (Numine propitio) duodecim iam effulſiſſe conſpeximus; præter maximas vaſtiſſimaſque, quas nunc vtinamque perpetim, omniũ quas Solis currus perluſtrat potẽtiſſima, obtinet prouincias ac Regna, & inter hæc (quod ad ſummum felicitatis nobis contingit) Inſubricum quoque hoc noſtrum. ſed de hoc alias, Philippus autem hic Bonromanus, non planè ſenex deceſſit filio ſuperſtite.

Cui *LAZARO* nomen fuit, earundem opum, ac Oppidorum hæredi: & primariæ auctoritatis Dynaſtæ. Hic cum anno diuinæ propitiationis trecenteſimo vltra milleſimum, Bonifacius Octauus maximam peccatorum relaxationem veniamque, Romam ſtudio pietatis adeuntibus propoſuiſſet. & vt dixerunt *Iobilæum* exhibuiſſet aperuiſſetque, tantaq; propterea hominum multitudo Romam confluerer; vt Vrbis plateæ exundare viderentur. non modò peregrini habitu loca ſancta inuiſit; ſed ingentem pecuniarum vim in hoſpites erogauit; in Egenos præſertim adeò munificus, vt turmatim præ eius foribus conſiderēt, & valuas velut obſiderēt; ipſe nāq; neminē ſua ſtipe fraudatū dimittebat. Hinc effectum eſt, vt non iam priſca, vel antiqua nomenclatione compellaretur *Bonromano*, ſed *Buon Romeo* omnium acclamatione audiret; quandoquidem ipſemet peregrini ſpecie, & amictu ſimplici incederet: omninòque inquilinus haberetur & aduena; Romipetā verò eiuſcemodi Italicè appellitamus *Romeo.* quin & illud vocabuli *Strada Romea*, cum anteà nuſquam reperiatur vſu receptum, grauiſſimi auctores indè exortum putant, quia ille viam Regiam, qua itur ad Vrbem, adhibitis propria impēſa cuſtodibus muniuit, nè à graſſatoribus ac ſicarijs impeterentur pergentes redeunteſué. Multa de huius magnanimitate extant priuata ſcripta, ac monumēta. ſed Auctor Hiſtoriæ Aretinæ de *Tarſis* nuncupatus, eius contemporaneus, luculentum eidem contexuit elogium, gratias habens ob nonnulla in domum ſuam collata beneficia.

Ioan. de Tarſ.

Extat Paduæ in præfati optimi ciuis, Gaſparis Borro-

nęi ędibus iuxta memorati Philippi, nõ quidem Patris, ſed Proaui effigiem, huius quoque Lazari imago, ab antiquis exemplaribus ducta, ipſum ad viuum referens; niſi quod modernus exculptor, vetuſtam perperam legit, aut minus percepit inſcriptionem; ſiquidem in ipſo errauit exarando nomine, nam pro *Lazarus* poſuit ille *Galeacius, Philippi iunioris filius dominus Sanminiati, qui Romam adiens, Bonus Romæus dictus eſt: vndè & poſteris Bonromæorum cognomen reliquit.* & cęt. Lapſus igitur eſt artifex in eo vocabulo, quemadmodum & ſupra retulimus de *Fabio* illo, Mediolani ſuppoſito, vice *Federici*. Et nil mirum, quando de pictore illo *Pauſone*, cuius inuulgatum eſt prouerbium, *Pauſone mendicior.* dum eius argutias in Equo pingendo deſcribunt Lucianus & Elianus, poſterior hic, *Paßonis Equus*, pro *Pauſonis* inſcribit. Lucian. Elian.
Et Marcus Tullius in Epiſtolis ad Atticum, affirmat Cicero.
ſe vidiſſe in Capitolio ſtatuam Scipionis Africani, cũ ſubſcriptione *Serapionis.* addens ſe reputaſſe, id *Erratum fabrile.* Quod verò nunc pro ſemiuocali, *v*, vtamur liquida, *r*, nimirũ geminata; Etenim pro *Bonromæus* iam paſſim ſcribimus *Borromæus*, quin & nonnulli aſpirationem interponunt notando *Borrhomeus* quidam demum ſublata diphtongo, duplicem addũt conſonantem, *i*, ſignantq; *Borromeius*. totum temporis corruptelæ adſcribo. Facundiſſimus Dei præco Epiſcop. Bitunt.
Cornelius Muſſus, concione Patauij habita in die Saluatoris natalitio, id cognominis præclarę familiæ inditum declamauit, *Ex pia cauſa.* quod ſeù de priori *Bonromano Ioanne*, ſiuè de poſteriori *BuonRomæo La-*

zaro

zaro dictum accipiatur, vtrobique veritati conſentit: nam ex Hugone ſacro, *Pietas eſt ex benignæ mentis dulcedine grata omnibus auxiliatrix*. pietatis itaque fuit Romanos ciues de poteſtate Barbarorum erutos in libertatem vindicaſſe; quemadmodum in Meridionali pronum contueri, & pietatis item, diuitiarum in vſus pauperum effuſio. Tātum porrò Lazarus ſibi in eo cognomine complacuit, vt ipſo pro vnius ex filijs prænomine vteretur; voluit namque primogenitum nuncupari, *Buonromeo Buonromei*. Complures Lazarus hic memoratur genuiſſe liberos, quorum tamen geſta inuenire nequiuimus, nè nomina quidem, præterquam duorum; nempè Bonromæi prædicti atque Bernardi, qui perpetuó cælebs, ſumma integritate, adeò & ſanctitate enituiſſe traditur.

Hugo d. S.Vict. *Fo.175*

BONROMÆVS pater fuit iunioris Lazari, (quem quidam nuncupant LAZARINVM. fortè ad diſtinctionem ſupra memorati eius Aui; vel quia mos tunc inoleuiſſet, nominum diminutiuè, & quaſi blandiuſculè enunciandorum, quod ad mollitiē ſpectat) horum autem tempora vario ſemper reuolutionum turbine iactata, cum (vti præmiſimus) peſtilens factionū morbus Thuſciā omnē peruaſiſſet, nūc illos, nūc iſtos miſeranda viciſſitudine allidebant eleuabantque. Quemadmodum enim cruentiſſimo certamine illo, quo de anno ſalutis ducenteſimo ſexageſimo vltra milleſimum, Farinata Vberto Bonromæiſque auxiliares Manfredi copias deprecantibus, ac deducentibus, ſecundum Arbiæ amnis Littus propè Senas, ad omnifariam fermè Guelphi nominis ex-

Bonin.

tin-

tinctionem dimicatum eſt, tot millibus cæſis, vt cruore, fluminis vndę rubricatæ decurrerent. ità è cõuerſo, cum Carolus Andegauenſis (quod & ſupra annotauimus) eundem Manfredum, luſtro vix exacto, ad Beneuentum acie ſuperaſſet interemiſſetque. & poſt triennium Conradinum quoque Sueuię Ducem, vna cum Duce Auſtrię Federico deuiciſſet ac obtruncaſſet, adeò Gibellinorum fortunæ dilapſæ ſunt, vt ſpebus etiam attritis, de eis omninò actũ eſſe exiſtimaretur; maximè Pontificibus Guelphorum partes fauore, & auxilio enixè ſurrigentibus. Et quidem Henrico Septimo, quem poſt multa tempora Imperatorem Italia vidit (cum prçceſſores eius Rodulphus, Adulphus, Albertuſque abſtinuiſſent in eã accedere) qui & Turrianos Mediolano diſpulit: ac bellũ intulit Florentinis, Gibellini, ipſique Bonromçi tantiſper reuiuiſcere viſi ſunt, caputque attollere; ſed paullò poſt Roberti Neapolitani Regis viribus ſuccumbentes, iterum corruerunt; donec Imperante Carolo Quarto.

PHILIPPVS eiuſdem Lazarini filius, ſuis vſus viribus, opibuſq; quas ſabè ingentes anteà exportarat, adiuantibuſque Galeacio ac Barnaboue Vicecomitibus Mediolani Principibus, eidem arctiſſima neceſſitudine coniunctiſsimis, Sanminiati oppidum, quod Florentini ſibi pluries contrafas eripuerant, violenter inuaſit obtinuitque. Currente anno ſexageſimo ſeptimo memorati ſeculi. Cui propterea Boninſignius aduerſarijs fauens, cauſam adſcribit; imò ipſum auctorem perhibet ac incentorem cunctorum malorũ. *Bonin.*

Floren-

Florentini namque apud Oppidum illicò caſtrametati, diù acriterque illud oppugnantes; quantumlibet Barnaboue Imperiali Vicario, ipſoque Imperatore eos ab ea obſidione deterrere adnitentibus, nihil remiſerunt; donec proditione *Luparelli* cuiuſdam Caſtello potiti, Philippum Florentiam adductum, de anno 1370. ſecurri percuſſerunt. Sunt qui tradant cum eo decem & ſeptem ex eadem familia immaniter decolatos, quod mihi nec probare curę eſt, nec refellere, cum minimè in re noſtra ſit. De Philippo cõſtat ex eiuſdem Reipublicę monumentis, de cæteris inquirant qui voluerint. Eius bona immobilia Fiſco adſcripta ſunt. Eum porrò compertum eſt ſupra quinquaginta millia florenorum aureorum annuis reditibus, è fundis percipere ſolitum, quos illic poſſidebat, pręter alia prędia quæ obtinebat alibi, ac Theſauros incredibiles. Notum etiam eum grandęuum ſatis occubuiſſe, & animo infracto: quatuor præter vnũ femellam maribus, clariſſimaque Cõiuge, cum auro ac pretioſa ſuppellectile Mediolanum tamquam ad fidiſſimum ſalutis aſylum tranſmiſſis; quaſi nihil ſibi timendum duceret filijs ſoſpitibus, iniuriam quippè animo reconditam omninò vlciſci decreuerat, vel cũ aperto capitis periculo. Certè honor ac vita Iuris ſtatera æquiparãtur; aſt Nobilitatis trutina honor quam vita, plus habet ponderis. Erat porrò tunc Principum Vicecomitem Regia ingenuis hoſpitibus liberale ac illuſtre domicilium. Cuius ergò Baſilicam antiquitus inſignem quam *Arenam* nũcupabant, Haſtiludijs, Curruum concurſibus: & id

Borromæi Mediolanum accedunt.

genus

genus ſpectaculis populo exhibendis olim cõſtructam, in Palatium redegerunt, vocabuli corruptela *Palazzo dell' Aringo* deinceps appellatum, mira quidem laxitate peramplum, quem recolit Caſſanæus par. 12. conſid. 67. in quo magnificentisſimè ſtructo Viros Principes comiter, ac perquã lautè excipiebant, (quod ſcirent Magnatibus nihil ſplendida liberalitate decorũ magis. Quo nomine Theophraſtus & Plutarch⁹, Cimonẽ Atheniẽſẽ attollũt: & Xenophon Cyrũ. Claudianus quoq; in laudẽ Theodoſij ſcribit. *Theoph.* *Plutar.*

Magnarum largitor opum, largitor honorum. *Claudia.*

Quin & Maro in Concilio piorum apud Elyſios cãpos eos conſidere facit. *Virgil.*

Quique ſui memores alios facere merendo)

Sed Borromæis cumprimis Vicecomitũ patebat aula, quos nõ modò Imperialis ſeú Gibellina factio (quã hi pariter atq; illi ſtudioſiſsimè colebãt ac fouebant) generiſq; ſplẽdor eximius cõmendabat; ſed quibuſcũ mutua eaque ſumma beneuolentia intercedebat. habuit enim Philippus vxorẽ Taldam, ſororẽ Beatricis Tendę, quæ poſtmodũ nupſit Facinio Cani, ei inquã, qui inter Ioãnis Galeacij Duces primarius, eo defũcto Derthonã, Alexãdriã, Papiamq; poſſedit, & minimo minus potitus Mediolano. Quod dico, vt Heroẽ Philippũ ex virtutis, diuitiarũ, ac ſobolis pręſtãtia expendẽtes, diſcãt quã variabilis, & incõſtans vis hęc quæcũq; eſt oĩa humana verſans: & luctu gaudia miſcẽs; ex quo pręſtãtis Viri curſũ, cuius felicitati adeò indulgẽter fauere credebatur, ſubito reflatu damnauit. Hęc de facie Boreali & lib. Quinto. Et hic cõſũmatus Stylobatę Scapus.

Illuſtriſſimo ac Excellentiſs. D. ſuo Colendiſs.

DVCI
FRANCISCO GALLIO.

D. Baſilius Serenius.

Perpetua felicitatis affluentia florere.

DIuinam omninò eſſe totius Creaturæ Originem ac Diſtinctionem, & à perenni illo bonitatis fonte progreſſu fæcundiſſimo, non rerum modo omnium ſubſtantias; ſed & ſingularum differentias effluere, cum priſci Sapientes ab auo, tum Ariſtoteles in methodica tradenda diſciplina Philoſophorum exactiſsimus palam conteſtatus eſt; vbi grauiter ſicut eminenter deprompſit, A primo Ente communicatum omnibus eſſe; verum quibuſdam clarius, alijs obſcurius. Itemque, gradus Specierum, inſtar Numerorum ab inuicem ſecretos & ipſa Indiuidua, perfectionis ſiuè defectus æſtimatione, lato interuallo diſsita (hinc enim fermè Ordo pendet uniuerſi) tum de Homine diſſerens, indoctum eo diſcrimine ab erudito ſeiunxit, quo pictus ab homine vero diſtare cenſetur. Id autem (tametſi æquiuocè duntaxat conuenire probantur) nequaquam hyperbolicè enunciatum, prædicante Salomonè, quod tantum præcedat Sapientia ſtultitiam, quantum differt Lux à tenebris. Sed quid de

riuulis aut ciſternis haurire laboro? cum fons ipſe Sapientiæ Verbum Dei id præciſè inſinuarit ſub Mnarum, Talẽtorumque parabolis: eiuſque Interpres Paulus, poſt enarratas diuerſarum gratiarum diſtributiones, patenter admodum ſubintuliſſe legatur, Hæc omnia operatur vnus atque idem Dei Spiritus, diuidens ſingulis, prout vult. Aliàſque, vnicuique data eſt gratia ſecundum mẽſuram donationis Chriſti; ideſt, iuxtà quantitatem non emercatam aut extortam; ſed munifica largitate impertitam. Quocircà eſt cur maiorem inmodum E.T. ac toti Galliorum proſapiæ tam multa ingentiaque deſuper collata gratuler, cum externorum, tum internorum bonorum munera. Non hic ego Gloriã, Formam, Nobilitatem, Clientelas, Opeſuè, quibus Domus tua affluenter conſtipata noſcitur memorarim; ſed virtutum habitus; illa enim inter commoda quidem ac vitæ ſolatia recenſent Philoſophi: hos duntaxat, quia poſsidentem bonum efficiant, nec naufragio intereant, neù incendio abſumantur, ĳdẽ bonorum *titulò dignantur. Moraliumque præcipuè, quas* Cardinales *meritò appellauit Stoicorũ ſchola, ob firmitatem; quippè cum quaternario numero deffiniantur, Animam quadrata figura ſtabilem efficiũt, nec vſpiam nutare permittunt, aut deflecti. Eas porrò in Clariſsimæ Familiæ tuæ peculium adſcitas, adeò pronum eſt ex Imaginibus delibare, vt*

litteris & otio abuti dicar ſi id pluribus eſſari attentauero. Quis enim in editiori ſtemmatis tui parte Iouis Alitem, volucrum Reginam, viſu preditam perſpicaciſsimo, ac volatu perniciſsimo: quæ deterſo ſenij veterno ad iuuentã renouari, pulloſque periculo facto probare: et feras longè robuſtiores aſtu eludere: ſibique prædam facere nouerit conſpicatus, non continuò Prudentiæ ſpecimen ſubolfaciat, quæ eſt auriga virtutum: et ab Ariſtotele virtus ſumma cenſetur? Prudentis enim (ait) eſt optima petere: et horum electiuum eſſe atque operatiuum. Quis Repagula deorſum tria, eaque Rubra, et ſinu Candido excepta contuitus, Iuſtitiam non recognoſcat? quam Tullius libro Officiorum, teſtatur vnam eſſe virtutem, ſolam omnium dominam ac Reginam. Et ritè quidem Repagula interpretationem ſuſcipiunt Iuſtitiæ, quæ citerioribus continendis, vlterioribus excludendis apponuntur, perindè atque Iuſtitia bonorum munimen, malorum obſtaculum perhibetur. Notanterque trino numero; etenim Pythagoræi quoque (ſi Plutarcho fides ſit) Vnitatem Apollinem, Diada Litem, Triada Iuſtitiam nuncupabant in qua perfectio. De colore diſſerere ſuperfluum; quãdo Iuſtitiam Rubeo ſubaudiri, quemadmodum Albo Innocentiam, nullus nõ penitus vecors ignorat; Niſi ipſo quoque Candore, Iuſtitiam deſignari velimus incorruptam; Cum excelſa Virago tibi copulata, ni-

uea probitate effulgens, vocabulum tamen Iuſtinæ *retineat. Quis demum Leonem eiuſdem Clypei cẽtrum occupantem aſpiciens, Fortitudinem non recognoſcat aduerſa cuncta proculcantem? Verumenim Criſtæ illi ſupereminent; Gallinacei videlicet pulli; quod ſolus inter Aues, et Criſtatus, & Barbatus, & Caſtratus inueniatur, non tam cognomntum innuitur illuſtris Familiæ, quæ à Galli Galea, GALLIÆ nuncupationem deſumpſit, quam Emblema exhibetur Temperantiæ, qua modum ſibimet vnuſquiſque imponit, vt cum etiam ſumma poſsit, mediocria amplectatur; iccircò corporis et animi certiſsima medicina cenſetur, ac vera Principum diſciplina, in qua virtutis laus, tamquam in proprij domicilij clauſtris reſidet. notum quippè illud, quod*

Fortior eſt qui ſe, quam qui fortiſsima vincit.

Quam tantopere Plato (in Charmide præſertim) commendat: quam denique Pythagoras omni ætati, ſtatui, ſexuiſectandam indicit. Ipſum verò Alitem Temperantiæ typum gerere, palam digeſſit Salomon, cum inter ea quæ benè gradiuntur ſcripſit, Gallus ſuccinctus lumbos ſuos. *Cinctum enim ad Temperantiam pertinere, hieroglyphico illo antiqui Pontificis ornatu figuratum intelligimus, quo Sacerdos humeros primum præcingere iubetur in Leuitico; hoc eſt, moribus caſtigatiſsimis redimiri, praua opera cohibendo. Sed illuſtrius multo Salua-*

tor, velut Galli præcincti ac vigilantis imitatione, ſluxam aſſeclis intimauit carnis ignauiam detruncandam; vt continentiæ baltheo conſtricti, dignè in expectatione Regis excubarent. Præclara eiuſmodi quadriga cæteras quaſque virtutes aduehi cum cæleſtes tum terreſtres, nempè quæ circà humana verſantur aut diuina, Sapientum auctoritate probatur; quin et quadamtenus ex ipſomet Stemmate elicitur; ſiquidem naturalia, et artefacta comprehendit: Animalque ſimul oſtentat, et volucre. Quæ ſanè Imagines, quaſi tectis verbis Encomia promũt non tua modo ac præceſſorum, ſed et ſobolis vniuerſæ quæ futura eſt; nimirum præter ea quæ de Aquilæ ac Leonis generoſitate prædicantur, cum Galli potiſsimum pedes Natura calcaribus armarit: tuq; Galliorum inſigni Frena adieceris Borromæorum, proculdubiò Equitum geſtamen affatim Domui tuæ comparatum noſcitur; namque Freni & Calcarium *notis, Equites cumprimis deſignantur. Eo verò magis, quia dum elegantem infantulum quem votis tuis propitiatus cõtulit Omnipotens, Ptolemæũ nuncupari iuſſiſti (quod fortem importat ac bellicoſum, deductum à Græco* polemos*) non tam inclytum Ducem genitorem, magnumue Patruum qui tantopere in ſacra purpura enituit, reuocare, quam id nominis perennaſſe viſus es: et quodammodò hereditarium conſtituiſſe Albeti Ducibus à Lario*

profe-

profectis, non ſecus ac olim Ægypti Regnatoribus diutiſsimè extitiſſe compertum eſt; nempè à Lagi filio inuectum. Quamplurimæ ſuperſunt Galli proprietates, virtutis typo definiendæ, ſub quarum integumentis argumenta deliteſcunt, luxque et lex hauritur ad beatè viuendum: quem ideò Marti ſimul & Apollini dicatum exiſtimarunt; imò et Mercurio ob vigilantiam; quin et Perſis in Regis symbolum aſſumptus. iu cuius corde Alectorius lapis enaſci credatur, ſitim compeſcens, inuictumque efficiens deferentem, præter alias explicatu iucundas, applicatu vberes, quarum intuitu, eum nutriri præcepit Pythagoras; eas tamen prætereo, vnicam expẽdẽs, quod tãta cælitus Gallo uis inſita cenſeatur,

Vt nequeant rabidi contra conſtare Leones, *Lucret.*
Horreſcit quippe Leo conſpectum illius ac refugit.

Eius porrò cauſam, cum Aphrodiſæus Elianuſque imperſcrutabilem opinẽtur, Proclus eam affert, quia amplius quiddam vigoris Gallo intrinſecus impertiat Apollo quam Leoni; propterea Gallum Leo ipſe veretur tamquam ſe digniorem; quemadmodum et hominum præcordia interdum alterius Maieſtas diſtringit, virtutiſque aut ſanctitatis, vel quomodolibet excellentiæ opinione eminẽtem venerari compelluntur. Quin et indè argumentari licet, Phœbũ propenſiori influxu Gallo aſpirare intenſiuſque fouere, ex quo Auis ipſe benigno syderi applaudens, qui-

bus

bus poteſt modis gratias rependit; nam illum ab Antipodis redeuntem iubilanter ſalutare: et appropinquanti quoſdam velut hymnos decantare cõſueuit. Vt & tu memineris largiſsimo benefactori pro collatorum, ſiuè ſuſceptorum munerum magnitudine atque copia, gratum te exhibere iugiter. nimirum ſpem de futuris recipit, qui præterita recognoſcit. Vale.

AD EVNDEM.

EXCELL.MVM ALBETI DVCEM.

R. THEOL. DON HIERONYMI Carandini Cler. Can. Sal. Lat.

EN tibi Stylobatæ ſtruitur ſuprema CORONIS,
Virtutum vt decorat Sacra Corona caput.
Iuſtitiam meritis auget IVSTINA Virago,
Iuſtitiæ vires temperat illa tuas.
Eſt eadem virtus, eadem ſunt ſtemmata nato,
Diuiſum Imperium cum Patre natus habet.
Gallia ter fœlix ſoboles, ex Æthere miſſa,
Rurſus Cœleſtes inter habenda choros.

De

De Eiuſdem GALLII DVCIS Inſignibus.

Don Proſperi Faraudi, Mediol. Cler. Can. Sal. Lat.

ACcipe quid tale portendant ſtemmata ſigno,
Dum Iouis hic Ales cernitur atque Leo.
Tellurem Lybicus pedibus Leo nixus oberrat,
Lucida ſed pennis ales ad aſtra volat.
Imperio pecudes premit hic, premit illa volucres:
Imperat hic terris: imperat illa Polo.
Terra tibi, Cœlumque patet: pete Sydera, luſtra
Terras: Virtuti eſt inuia nulla via.

Ad Eundem. De ijſdem.

I.V.D. Fauſtini Mazenta, Can. Ord. Summi Templi.

HIc Leo magnanimus, Iouis illic emicat Ales,
Et domus, & Sobolis ſtemmata clara tuæ.
Inter quadrupedes generoſior imperat ille,
Inter pennigeros eminet iſta choros.
Quam fers digna tuis Heros inſignia factis:
Te clarum hic terris prædicat, illa polo.

ELOGII
LIBER SEXTVS.
STYLOBATÆ CORONIS ſuprema.

FONS ille Philoſophorum, qui ſciẽtiam primus ad mores contulit, & Theoriam vocauit ad Praxim: quique ex Apollinis Tripode *omnium ſapientiſsimi* retulit præconium. Socrates inquam, Architæ Sacerdoti percontanti Cuiatem ſe ferret; nequaquã Atheniensem ſe profeſſus eſt, indignans natalitiæ ſe addicere Ciuitati quantumlibet claræ; ſed *Mundanum* reſpondit. Scilicet Mundi nomine, non tam latæ ſuperficiei huius quæ mortalium veſtigia teritur quanta eſt amplitudinem exprimens, quam totum aggregatum hoc quod continet omnia, ex elementis tamquam materia: & forma virtutes eorum eminenti ratione complexa: & vt ſemel dicam, quicquid á centro, ad ſummi Cæli conuexum concluditur: verè etenim cum mens, ſiuè intellectualis anima, diuinum quoddam ſemen ſit: Endelechia, ideſt forma, vel perfectio, & perennis agitatio, ſinè qua nec *Homo* propriè dicitur, nec *Corpus*, ſed *Cadauer*, aut certè *Embryo*, & *Abortiuum*: cumque *Patriæ* vocabulum, à Patre deriuare noſcatur, licet articulum mutuetur à Matre, rectius ac potiori iure *Cæli ciues* dicendi, quicumque ſub hoc fornice ritè cõuerſamur, quam pilę

huius terreæ, quæ fex perhibetur Elementorum; vt in terris degentes, viuamus in Cælis. Hinc *Arborem inuerſam*, Hominem aſtruebat Plato, quod eius ratio radicis inſtar Cælo hæreat. & Trimegiſtus Hermes, inſtante letho dixiſſe fertur, Vixi peregrinus & exul, nunc Patriam repeto. Verum prò præſentis etiam vitæ incolatu, Ariſtoteles Hominem *Michrocoſmon*, appellat, ideſt minorem Mundum, vt nouerimus, anguſtis hiſce limitibus, quos hæc mœnia ambiunt, hi muniunt aggeres, hi fluuij Cingunt, hi montes cohercent, Patriam cuiuſquam minimè circumſcribi; imò vix vniuerſo hoc Dei opificio. Quare & Alcibiades, metafora plantarum ludens, quod arbores quæ non transferuntur fiunt deteriores, eos indubiè perſtrinxit, qui natali glebæ Zeophitorum, aut Conchiliorum more affixi, proindè à cæteris locis velut exulantes, rationem ſilueſcere ſinunt. Certè omne ſolum Forti patria: & quibus diuerſa ac diſſita terrarum ſpatia luſtrare contigit, permulta ſæpè ſibi cõpararunt ſcientiarum ornamenta, non ſecus ac qui Biblijs euoluendis diù aſſueti. ſed & plerique ſoli ac Cæli mutatione, ſæuientis etiamnum Fortunæ ictus declinarunt: imminentibus periculis ſe exemerunt: rebuſque ſuis optimè conſuluiſſe crediti. Inter quos Quatuor Philippi liberi, Borromæus, Alexander IOANNES & Andreas, Deo miſerante à furentium Florentinorum indignatione Mediolani ſeruati, dictum illud Ennij ex Euripidis Medæa. *Multi rem ſuam benè geſſere, & publicam Patria procul*, verum eſſe re ipſa comprobarunt. Iuriſcõſultorum diſertiſ-

Plato. *Mercur. Trimeg.* *Ariſtot.* *Ex Apophteg.* *Ennius.*

Andreas Alciat. ſimus Alciatus noſter. Cum Lutetiam accitus iter adornaret, ſchemate perquam eleganti (vt videre eſt in opuſculo Emblematum) inducit Albutium ſibi conſulentem, vt Patrijs tumultibus ſe ſubducat: & apud exteros ſcientiarum ſuarum theſauros aperiat; Oblato nimirum malo *Perſico*, taliter ſuadentem

Quæ dedit hos fructus arbor, Cælo eſt aduena nr̃o.
Venit ab Eoo Perſidis Axe prius.
Tranſlata facta eſt melior, quæ noxia quondam
In patria, hic nobis dulcia poma gerit &c.

Subindèq; inferentem,

Tu procul à Patria; in pretio es maiore futurus.

Certè enim ſi rem penſiculatius, deque ſuis terminis expendamus. Sanminiati Oppido, aut fortallitio. ſeù hæreditario ſiuè vſurpato eos deturbatos, non tam lamentandum fatebimur; quam lætandum; illic enim cum inter hoſtes degerent, quamplurima paſſim, & alijs inferre, & ferre ab alijs cogebantur incommoda. quippè vt liberè Laberius in Caium Iulium Cæſarem dixit, *Neceſſe eſt eum multos timere, quem multi timent*. addo quod nec *Ex Plutarcho.* tutam, nec firmam munitionem perdiderunt; vti ipſe rei probauit euentus, nam expugnata eſt: eorumque genitorem prodidit: ipſos quoque perdere apta. Et verò nequaquam eam illi poſſediſſe exiſtimandi, pro qua inceſſanter belligerare foret neceſſum; ſiquidem *poſsidere*, dici arbitramur quaſi *poſt ſedere*. ſeſſio autem tranquillitatis ſymbolum. hinc enim Prætori Curule datum: Iudicique Tribunal, vt in his ſedentes, minimè petulanti, aut perturbato animo, ſed trãquillo

&

& pacato ius dicere connotentur. Porrò ſapientes cum hominis beatitudinem in eo ſitã doceant, quod Deo proximè accedat, atque aſſimiletur; id profectò non eatenus accipiendũ quatenus Imperat, cunctiſuè dominatur, verum in eo quod iucũdiſſima pace fruitur: nec lædere nec lædi nouit iniuria. quo reſpicit Sophoclis dictum, quod *vera felicitas in Iouis duntaxat hortis colitur*. Itaque cum à nonnullis, de eorum numero inquam quæ vulgus appellat *bona*, experiamur animos etiam modeſtos, etiam virtutibus excultos, aſſiduè detineri, ſæpè concuti, nonumquam & ad illicita vrgeri; quidni eligenda, imò optanda earum rerum amiſſio, quæ motus exſuſcitant, quibus obſtare virtutis ope nequeamus? Concordant Philoſophi, vel matrem vndé felicitas oriatur, vel pabulum quo enutriatur, vel iter ac ſemitam per quam ad bené beatèque viuendum perueniatur, vnicam eſſe concordiã ac pacem. Amiſerunt itaque rem vſu ineptam, difficilemque cuſtodia: rem inutilem ſibi, vicinis autem odioſam; nacti verò ſunt pacem, quæ vt rectè Diuus Aurelius noſter: Eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris; quæ diſcordias ſedat, inimicos concordat; bonum adeò præclarum, vt in rebus creatis, nil gratioſius ſoleat audiri, nil delectabilius concupiſci, nil vtilius poſſideri. Optimè Zeno ille Cittięus, cum negotiaretur, purpuramque vehens naufragium perpeſſus, eius iacturæ occaſione, ad Philoſophandum ſe contuliſſet, Fortunam cõpellans gratias agebat, quod feliciſſimè enauigaſſet; nempè quia ad Philoſophiæ portum appuliſſet,

Sophocl.

S. Auguſt.

Ex Diogene Laertio

liſſet. Felix neceſſitas, quæ ad meliora compellit, nā iteraſſe iuuat, Iamverò clariſſimi adoleſcentes] Borromæi, præter ſecuritatem, ſummèq; optabilem animi quietem, cui quicquid deſideratur comparari non poteſt. Exiguum inſuper quamuis honeſtum ſatis, & elegans; ſterile tamen Oppidulum, præruptis vndique lapidibus confragoſum. Ciuitate commutarūt ampliſſima, opulentiſſima, toto terrarum Orbe celeberrima (haud ignota loquor) quæ Liguriæ Æmiliæ, & Ciſalpinæ totius caput eſt ac Emporium. Vberrimo ſolo nitens: & in planitie omnium latiſſima Agro cunctorum feraciſſimo, diſluentibus per totum amnibus irriguo. quam Dulcinius ex veterum libris: *Recentium temporum gloriam; Ciuitatem Dÿs & Hominibus acceptiſsimam, diuitiarum matrem, & opportunam magnorū Principum ſedem* eſſe conuincit. Quam præterea, *Phyſico naturali ſitu, locum totius Orbis temperatiſſimum, aeremque ſereniſſimum: & aquarum in fontibus, ac puteis miram ſalubritatem obtinere*, ſcitè admodum ac diſertè probat, tractatu deſuperconfecto, eruditiſſimus vir Petrus Philargus Cretenſis, qui poſtea fuit Summus Pontifex, dictus *Alexander* Quintus. ſed ad quid auctorum teſtimonia coaceruemus in re obuia ſenſuique perſpicua? id quippè euinci procliuè, ex confertiſsima non tam incolarum quam indigenarum frequentia: & ex Equitum, militum, artificumque multitudine quæ indè educitur indies: & ex eo quod toties direpta, exagitata, euerſa, breui ſuiſmet nitens viribus ad ampliorem gloriam, & ad inuidioſum decus aſſurexit; Pro qua (vt Leniſsimus etiam

Stephan. Dulcin.

Cardinalis Petr. Phil.

Eryc. Putean.

Eryc.ius

Erycius ſcribit) Maximi Europæ Principes, paribus pænè votis viribuſque contenderunt. vbi & ſubdit, Prorſus vt generoſum priſca nobilitate cenſeas populum; quieſcere niſi ſub ipſo Cæſare recuſauit, non alium poſt tot clades paſſus Principem, quam qui Orbis terrarum eſſet. Puteanam phraſim agnoſcis qua nulla lympha limpidior. Vrbis verò antiquitati (cum in primæua aſsignanda origine Auctores diſſentiant, verearque iudicium meum ſuſpicioni obnoxium fore) ſatis adſtipulantur, qui eandem Troianorum temporibus clariſsimam fuiſſe: & Regem habuiſſe demõſtrant: quodque in diebus Tholæ Iudicis Iſrael, maximo conflagrarit incendio. Licet à Gallis Senonenſibus poſtmodum inſigniter aucta: & ſuppreſſo *Subriæ* nomine, *Mediolanum* appellata. quæ & celebratur Auſonij Carmine peruetuſto. *Gottifred. Viterb.*

Auſon. Gal.

Eſt Mediolani mira omnium copia rerum:
Innumeræ cultæque domus, fæcunda virorum
Ingenia, antiqui mores, tum duplice muro
Amplificata loci ſpecies, populiq; voluptas. &c.

At longè pluris æſtimandum, quod eadem pijſsima, ac religioſiſsima Vrbs, caſtis atque adeò ſanctis moribus imbuta, tamquam verę Catholicę Fidei propugnaculum inconcuſſum, finitimis hæreſi infectis Pagis oppoſitum, tam cõſtanti labore ac vigilantia fanaticis ſectariorum machinis ſemper reſtitit, eorumque virulenta retudit dogmatum ſpicula, vt Deo opitulante, in viſcera Italiæ irrepere, aut penetrare minimè ſiuerit; id verò Sanctorum Suffragijs quorum plurima pignora ſinu ſuo fouet ac colit, acceptum referre

ferre ſolco. Quemadmodum enim Cœlum multiplici Syderum pulchritudine fulget, ita diuorum hæc fœcundiſsima parens & altrix, præſtante luminum Patre à quo eſt omne bonum perfectum, multiuaria Sanctorum claritate illuſtratur. Vt non iam hyper-
S. Ambroſ. bolicè Doctor ipſe Patronus pronunciaſſe cenſeatur, *Ecce nos Sanctorum populos poſſidemus*. Præter id autē quod ipſamet olim tam copioſo Martyrum ſtipata comitatu, ad triumphum proceſsit, multos quin etiā domeſticos Dei, quorum nomina beatę prædeſtinationis liber continet, velut ſtellas lucifluas, ad diuerſas Mundi partes tranſmiſiſſe inuenitur. Nam & Vitalis Martyr quem Rauenna olim Gothici Imperij ſedes veneratur: & Sebaſtianus Romę tumulatus ad catacumbas: Fideſque, Spes, & Caritas virgines, quæ pro Chriſto ibidem interemptę sūt ſub Hadriano, cum Sophia eorum Matre, Mediolanenſes extiterunt: Itidem Ambroſius Centurio, cum treſdecim militibus, qui Ferentini in Campania conduntur & coluntur: Sanctuſque Maurilius Andegaui: & Sāctus Felix Bononiæ prēſules: conſimiliter Sanctus Iulius Confeſſor, in Inſula Verbani quam *Ortam* dicunt celeber. ac Beatus Raynaldus Concoretius ex Epiſcopo Vicentino Archiepiſcopus Rauennæ conſecratus: Beatus Raimundus Turrianus ex Canonico Regulari Collegiatę S. Ambroſij Patriarcha Aquileienſis, & Beatus Alexāder Saulius, ex Regulari Clerico Cœnobij S. Barnabæ proximè elapſo ſeculo Epiſcopus Papienſis, licet Genua oriundus, Mediolani tamen conceptus, natus atque educatus noſcitur. innumera

prętereo,

prætereo; nè Ciuitatis meæ amore plus nimio excitatus dicar aut illectus Tantillum libuit attigiſſe; nè indoleant domini mei Borromæi, quod ſic exigente ſeculi inconſtantia Saminiato exturbati ſint, Mediolanum Deo ſic diſponente indepti: vtque omnes intelligant quod virtute prediris ſemper proſperè cadunt taxilli Iouis. Patriæ nobilitatem multum cōferre ad hominum gloriam ac dignitatem, habetur L. ſi quis. vbi Salyc. C. de nat. lib. & Gloſ. not. in l. 1. C. de Alexand. primat. lib. 11. Virum minoris nobilitatis nobiliſſimæ Vrbis ciuem, præferendum nobiliori, qui ex alterius ordinis Ciuitate originem ducat. ex quo not. Bart. ibi & poſt eum Angel. Ioan. Plat. & Rebuff. Prę ſtare honorabilis Patriæ eſſe mediocrem, quam mediocris primarium. dictum enim Caij Iulij Cæſaris de frigido Oppidulo illo in Alpibus, *Mallem hic eſſe primus quam Romæ ſecundus*. ambitioni aſcribitur, & cupiditati dominandi illicitæ. Cheronæus in vita Demoſthenis ſcribit, Simonidis ſententiam fuiſſe. Oportere eum qui vult beatè viuere, Patriam habere glorioſam. & Euripidis, Debere primum illuſtri Patria prognatum eſſe, quiſq; felix futurus ſit. Probus quoque memoriæ prodidit, Meneſthæum Iphicratis & Tarſæ filium dicere ſolitum, Matrem ſe pluris facere, eique magis debere, dicēdo, Pater quantum in ſe fuit Thracem me genuit, Mater Athenienſem. nunc redeo. Attriuerunt ſanè & Lombardiam factiones nefariæ ac latè vaſtauerunt: maximèque Mediolanum illius caput ac Principem, Vicecomitibus potiſſimum ac Turrianis hinc indè in

Apophteg.

Plutarch. Cheron.

Prob. Aemilius.

mutuam perniciem pertinaci cura decertantibus, quod latius patet ex Hiſtoriographis, quam vt relatu meo explicari indigeat. Enimuerò præualentibus Imperialium armis ac Fortuna, cum nonnulli eiuſdẽ partis aſſeclæ, aliundè ad nos confugiſſent, tum inclyta ſe adiunxit Borromæorum familia. quod ad tantum nobis contigit emolumentum; vt eorum acceſſu, exantlatos Vrbis labores, lamentandaſque populi clades, viſa ſint Fata compenſaſſe: ac penitus deterſiſſe lachrymas. In primis enim eorum Theſauros claret magno vſui fuiſſe Principibus noſtris, quibus diuturno bello exhauſtis, plurimas ſæpè myriades commodarunt ad Reipublicæ conſtitutionem ac munimẽ, ab eis viciſſim honoribus affecti: titulis euecti, & ditionibus aucti vt infra. Sed interim illud iuuabit ad memoriam reuocaſſe. Quod Romani magno Pompeio Conſule, Gabinioque ſummi nominis Patritio Liguriæ ac Æmiliæ Clauum tenente; cum Vrbem hanc Arena, Theatris, Compitis, Thermis, Hippodromo, & id genus magnificis ſtructuris illuſtrandam curaſſent: plurimaque excitaſſent ad eius decus ac ornamentum; tandem nomen quoque fatalis Vrbis Orbis dominæ eidem impertierunt, mãdantes *Secundam Romam* appellitari, tabula ad hoc ex pario, ac cui Portæ cui *Romana* titulus affixa, his inſculpta rithmis precisè.

Dic Homo qui tranſis, dum portę limina tangis,
Roma ſecunda vale, Regni decus Imperiale.
Vrbs veneranda nimis, pleniſſima rebus opimis,
Te metuunt Gentes, tibi flectunt colla potentes.
Tu bello Thebas, tu ſenſu vincis Athenas.

qui adhuc extant.

Et nè nominetenus id priuilegij conſtare videretur, rerum etiam perſonarumque ac dignitatum communicatione idem confirmarunt. Nam *Aquilam* ei detulere pro inſigni geſtandam; cum anteà lanigeræ Succulę pellem oſtentaret, ex eo quod cum Galli (non Breno, ſed) Belloueſo Duce, Subriam pridem dirutam denuò extruendam ampliandamque decreuiſſent, Suem illic accubantem inuenerunt, non quidem cicurem, ſed feram, *Aprum* dicunt, altera tantũ parte Villoſam; quod ſcilicet ominis, ſeù portenti loco accipientes, ipſimet Subrię *Mediolani* nomen indidere. de quo Vetuſtum carmen.

Sus grande impoſuit nomen diſtincta potenti *Claudia.*
Lanigerę pellis iam pridem Mediolano:
Tergoris in medio, cui ſaltus nocte patebant.

Et recens.

Laniger huic ſignum Sus eſt, animalque biforme, *And. Alciat.*
Acribus hinc ſetis, lanitio indè leni.

Super quo nimirum ſtemmate, aut inſigni, ſi quidpiam fando promere liceret (ſiquidem nefas ſuſpicari ipſos cõditores inſtauratoreſuè, ad Ciuitatis probrũ aut dedecus aliquid excogitaſſe, quippé; *Nihil odimus eorum quæ facimus.*) nequaquam ea parte qua ſordidum, fœtidum, lutulẽtum animal eſſe dignoſcitur, ſtolidum ac indocile, brutalis ſenſus, immunditię ac luxuriæ ſymbolum, cui *Animam pro ſale* duntaxat datã nè putreſceret arbitratus eſt Varro; ſed qua frugi inuenitur & humano vſui præterquã eſui in multis deſeruit; etenim *Abſtrahentiũ non eſt mẽdaciũ.* Quamobrẽ *M. Varro de re ruſt.*

dici poſſet, quod cum *Sus* dicta exiſtimetur à *Suendo* quia olim antè inuentos Acus, illius ſetis vterentur Sutores. vel à *Subigendo*, quia terram rictu, & pando roſtro ſubuertat. quod ad quandam agricolationem pertinet. Cuiuſmodi vſum apud Ægyptios vigere, auctor eſt Eudoxus: vbi nullo aratri, raſtri, ſarculiuè miniſterio freti, Suilla tãtum opera rem frumentariã adiuuant, vel quia fœturę admodum prolificę eſſe noſcatur, atteſtante etiam Marco Tullio, quod eo pecude nihil genuit Natura fœcundius. indè enim (vt reor) priſcis magnatibus Graijs latiniſque ac pręſertim Hetruſcis, mos erat in nuptialibus ſolennijs, Maritorum vxorumq; Dijs tutelaribus Porcũ imolare, vel quia antiquitus in obfirmandis pactionibus: inque fœderibus ineundis, Suem mactare conſueuiſſent, iuxta illud Maronis.

Eudox.

Cicero.

Cęſa iungebant fœdera Porca. & fusè apud Liuium lib. 1. ac Suetoniũ in vita Claudij. illinc porrò in vſu loquendi traductũ, *Icere fœdus, Percutere fœdus, Ferire fœdus*, vel quia adeò fulmineo robore præſtet, vt Leo quoque hiſpidum tergus irati Apri, & ſetis hirſutum aſpectum exhorreſcens, congreſſum declinet. Eouſquè pugnax ferunt id animal, vt prouocatus minimè aufugiat, ſed vltrò certamen capeſſat, & in oſtentata tela imperterritus irruat. Cuius nimirum feritatis ac impauidæ firmitatis gratia, quędam Germanorum Phalanges, ipſum animal in vexillo pingebant, quod pręliantes in veſtigio ſe morituros, & in media arma prorepturos, potiuſquam pedem relaturos conſiderent. id nec ipſis Romanis alienum,

Virgil.
Titus liui
Suet. utrãq

quando

quando memorię proditum; Ordines quos *Iouios* dixerunt ſub Diocletiano Principe, Suem coloris *Rufi* geſtaminibus impreſſiſſe. Vel demum quia inter eſculenta, nihil Suilla carne parabilius, & delicatarũ epularum admixtioni, pluribuſuè ſaporũ condimentis expoſitum magis, aut idoneum, quę cuncta nec pigeret ad preſagium deriuare earum rerum, quę tũc in futurum obuentura portendebantur, niſi pręſtigioſas eiuſcemodi ariolationes: illuſioneſque Cacodemonum circa prodigia aut oſtẽta; ceù ſuperſtitioſas prorſuſque inanes, pia exſufflaſſet damnaſſetque religio. Propheta docente Pſ. 30. quod dominus odit obſeruantes vanitates ſuperuacuè. Itaque Romanis deferentibus, Patres noſtri Aquilę vexillum extulerunt, Sue abdicata. Ecquis glorioſę commutationis gratiam, pro dignitate compenſare valeat? Profectò & Suis proprietates, bonum interdum connotãt, quo iucunditatem percipiant Homines ac emolumentũ: nec animal illud penitus laudis expers, vt prętactũ. At verò Regina volucrum Aquila omnium fauſtiſſima, ſemper letitię, ſemper felicitatis, ſemper diuinitus oblatę proſperitatis nuncia, miniſtra, augurium & hieroglyphicum extitit: meritoque apud omnes nationes, populos, ac gentes, nihil ea honoratius, nihil frequentius, nihil ſacratius; vt pręter Plinium nulli non conteſtantur auctores. ipſius vocabulum ab *Acumine* deriuatũ retur diuus Etymologiaſtes, quod in iubar Solis ſola inconniuẽti acie proſpectum intendat. eadem cum prudentiam repreſentet, ac magnanimitatem, quę pręcipuę Viri Principis virtutes *Plinius.* *S. Iſidor.*

exiſti-

existimantur ; iurè Imperij Emblema conſtituta eſt ; quemadmodum Noctuæ Athenienſium Lilia Gallorum . Orientalis quidem aurea [nimirum poſtquã Conſtantinus Byzantium Imperij ſedem tranſtulit ; auream enim elegit', qualem Perſæ ſibi antiquitus effinxerant, vel etiam auctor ipſe Iupiter] Occidentalis verò ſiuè Romani, nigranti colore fulua ; qui eſt illi genuinus ac natiuus : Referunt porrò vetuſtiſſima Anacreontis Naſoniſque monumenta, Iouem, Saturno genitum, cum pulſo parente Cretæ Regnum obtinuiſſet, bellumque adornaret in Titanas, Cęlo ſacrificaſſe in verticæ Olympi Montis, cõfeſtimq; Aquilam capiti eius ſuperuolaſſe , quam ille ſibi cęlitus demiſſam arbitratus , Victorięque præſagium indè eliciens: certamine poſtmodum feliciter expleto, ipſam Aquilam ſibi perpetuò geſtandam delęgerit pro bellico inſigni . idemque ipſum vexillum Dardanus Ioue genitus, Troiæ à ſe conditæ tradiderit, poſt cuius euerſionem, Ænęas profugus Aquilæ geſtamen in Italiam detulerit, quod eius nepotes, Latini Albaniq; patres retinuere iugiter , idemque pro fatalis Vrbis ſtemmate obfirmatum eſt, Romuli decreto . Et licet ſubmotis Regibus à Tarquinij nece, Signum quinetiã Monarchici Principatus abolendum cenſuerunt Cõſules, cuius vice Rubrum quatuor notatum Characteribus *S. P. Q. R.* vexillum erexerunt, dudum è Sabinis reportatum, ſenſu tamen immutato; ſiquidem illi ad potentiam inclytumque robur denotandum: ac metum cęteris incutiendum efferebant; velut glorioſè inſultantes *Sabinis Populis Quis Reſiſtet ?* Romani

Anacreõ. Ouid. 1. Faſt.

autem

autem non quaſi dictum retundentes, quia eos ſuperaſſent (æquo enim Marte depugnatum eſt, ipſique in ſocietatem à Romulo aſciti, vt ex Annalibus liquet] verum quo ſignificaretur, vniuerſa ſtare Placito: aut pendere arbitrio *Senatus PopuliQue Romani*. Caius tamen Iulius Cæſar, ſtatim ac rerum potitus eſt; Cum apprimè exploratum haberet, ſe à ſtirpe Aeneadū originem ducere, Auitum quoque fauſtiſſimum Aquilæ inſigne Capitolio reuexit, vt ex Lucano lucet. idque deinceps ſemper vniuerſo Orbi certiſſimum emicuit Imperij ſymbolū: & Romanæ vrbis peculiare. Quod ipſamet Ciuitati noſtræ, vt prætulimus, munere Regio impertiuit [hinc erroneum dicas eius iudicium, qui ſcripſit. Aquilam ideò Serpenti additam in Inſubrici dominij Parmis, quia Ducibus noſtris olim indultum; vt Vicarij Imperiales per Italiam haberentur, inſulſa [inquam] reſponſio; ſed quia Ciuitatis iura in ſeipſos tranſtuliſſent; nam ceteroqui hodie, & Sereniſs. Sabaudiæ, & Magnus Hetruriæ, Vicarij nominantur, nec tamen eatenus Aquila vtuntur] Parū Romanæ generoſitati viſum eſt, Ius latij ac fatalis Vrbis amicis Mediolanenſibus attribuiſſe; niſi etiam plurimas nobilium Equeſtres Senatoriaſq; familias Mediolanum traduxiſſent, de quorum numero præter alias noſcuntur ad hanc diem, quos dicimus de *Cottis* olim de *Coctijs*, qui de *Orto*, ſed ſatius de *Orte* pridem *Ortenſij*. item *Muzani*, *Matrignani*, ſiuè *Matroniani*, *Oſij*. *Mariani*, à Caio Mario, *Villanij*, *Burrij*, *Magij*, *Graſſi*, atque *Cantonij*. aliàs *Antonij*. Creditur cauſam corruptelæ præſtitiſſe, quod nonnulli è priſcis, pro Lucan.

Caius

Caius Antonius, ſcribere conſueſſent *C. Antonius*; vt enim annotauimus in calce 2. lib. ſiuè Ortiui proſpe-
Fo. 142. ctus. Antiquis familiare fuit ſolis capitalibus Characteribus ſingulas exprimerè dictiones [quemadmodum pręter illic adducta, videre eſt ex lege duodecim Tabularum, vbi inter mulctas ſontibus dictas habetur, Si quis iniuriam alteri faxit, V. Q. A. L. C. S per id enim intelligendũ Viginti Quinque Aſſes Legitimè Condemnati Sunto. Obuenit & L. Pantonius, de acquir. hæred. Pantonius Auitus cum Cilicia procuraret. & cęt. id porrò nominis cum quidam inuſitatũ cenſerent, mutata lectione ſcripſerunt. *Pannonius*. ſed cum hoc non reperiatur inter gentilia Romanorum.
Andr. Alciatus, adſcriptum Pronomen interpretatur, vt ſibi velit Publius Antonius. Antoniorum quippé familia inter vetuſtiſſimas Romę refertur, quę ab *Antone* Herculis filio deducta putatur] quamobrem alij cõniuentes, vel interpungere negligentes, ſcripſerunt *Cantonius*. vt eſt exemplum eximia germanitate cõſimile. in inſcriptione A. Gellij. id enim cum importet *Aulus Gellius* recentum tamen haud pauci, ſibi licere putant ſcribere *Agellius*. Sic poſt alios ſcriptores receptum eſt, & Cl. V. D. Petro Cantonio I. C. Mediol. Et hæc profectò non in poſtremis cenſenda. at illud plurimum ponderis habere exiſtimo, quod ex Romanis Impetatoribus permulti, eam diutiſſimè inhabitarunt, Conſtantinus, Cõſtans, Hadrianus, Philippus, Gordianuſque: & antè eos Nerua, qui Capitolium illic conſtruxit, Traianus, qui palatium erexit, & Diocletianus, qui de Gallis ac Hunnis inibi triumphauit,

Maxi-

Maximilianus, qui mœnibus eam auxit, & Herculis Fano, Mediolanenſis fuiſſe traditur, conſimiliter Galienus; imò & Didius Iulianus, ſi Herodiano & Dioni fides ſit, ac Valerianus. Is Mediolani diem quoque clauſit. quemadmodum Theodoſius, ac Ludouicus. Hic Cæſares Ferro coronari ſoliti, antiquiſſima conſuetudine, longiſſimoque vſu. Hanc Ciuitatem iampridem Archiflamine etiam ditarant, exornarantuè; Principe videlicet in ſacris Iouis, Romani inſtar, de hac habetur in Epiſtola Diui Barnabę Apoſtoli, Perueni cum duobus diſcipulis Caio & Anatalone ad Ciuitatem Mediolani, quæ poſt Romanam Arcem famoſiſſima habetur: parique decore ſublimis. Epitome Chronicorum quinta Mundi ætate, teſtantur Ciuitatem potentiſſimam totius Ciſalpinæ Metropolim & vrbium cæterarum Matrem, quæ agrum vniuerſum in omni bonitate feraciſſimum habet: & emporium eſt totius Lombardiæ, ſubdendo, Quantum templorum magnitudine, Regalium domorum amplitudine, clariſſimarum ædium nobilitate, necnon omnium artium bonitate floruerit, noſtraque ætate floreat: & vtriuſque ſexus contubernijs: cateruaque Equeſtris ordinis ac Doctorum: & eximijs in quocumque opere artificibus, fabrica & mercatura declarant. Idem repetit auctor ſupplementi Chronicorum lib. 6. addens quod, Hinc robur militare & Equitum multitudo educitur, quodque à modernis temporibus, eam vſque ad quinquaginta millia Equeſtris ordinis ad bellum emiſiſſe conſtat. Et Cicero 3. & 4. Philippica citeriorem Galliam, cuius caput

Herodia. Dion.

Mediolanum perhibetur, Florem vocat Italiæ, Imperij Romani præſidium : & pacis ornamentum : Olimque Gallorum Ciſalpinorum conatibus (ſi Saluſtio Polybioque credatur) nihil Romæ terrius horribiliuſuè audiebatur . Blondus ſoli fertilitatem, cęli amœnitatem & aeris ſalubritatem hincarguens, inquit , Nec alia videmus Italiæ loca in quibus facilius coaluerit mortalium multitudo , quantam Mediolanum continet etiam poſt tot euerſiones ; ſuis enim nitens viribus ſemper gentis caput extit ac Regia, & quidē primo vicus fuit, Strabone auctore, ætate verò ſua eximiæ maieſtatis Vrbs. Sique de Politicis ad Eccleſiaſtica tranſeamus , & de conclaui profanæ dignitatis, ad aulam ſacræ Hierarchiæ , eadem Vrbs ſancta, Roma inquam, cui vtraque gubernacula deſuper commiſſa ſunt, non ſolum cētenos, ac millenos è ciuibus noſtris Thiara paſtorali, ſacraque redimiuit purpura , ſed & in Apoſtolicum culmen ſublimauit, Alexandrum ſecundum Bedagium . Vrbanum Tertium Cribellum . Celeſtinum Quartum Caſtillionæum. Gregorium Decimum Vicecomitem . Pium Quartum Medicæum . Gregoriumque Quartumdecimum Sfondratum . Nec immeritó quidem [ſi veritati locus ſit] cum eoſdem inter cæteros , & fidiſſimos ſemper adiutores , & promptiſſimos ſui compendij cooperatores; imò & eius dignitatis præcipuos zelatores experta ſit. Mediolanum namq. officiorū ac meritorū obſequioſis grati animi teſtificationibus ſemper ſe memorē præbuit ac præſtitit : & nunc maximé copioſis Sacerdotiorum reditibus . gratiam pro gra-

tia

tia rependit vberem. Addam quod cum ipſa Mediolanenſis Eccleſia ſingulari prærogatiua ſupra fundamentum Apoſtolorum, Prophetarum, ac Doctorũ ſe glorietur ædificatam; accepit namque lapidem viuum ac quadratum de primitijs Chriſtianitatis, cui tamquam firmiſſimę ſolidiſſimæque baſi ipſius inniteretur fidei ac ſanctitatis ſtructura vel compago; Barnabam ſcilicet, qui *primus Inſubrum Patriarcha* prædicatur, (quippè ex ſacro textu Act. 13. Antiochię vbi primò *Chriſtianorum* vocabulum auditum eſt, *erant Prophetæ & Doctores, in quibus* notãter, & Principe loco, *Barnabas*, eàdem ſerie qua *et Saulus*, Ij; porrò præter duodecim, ſoli Apoſtolorum titulo gaudent, nimirum à Spiritu Sãcto nominatim vocati ac ſegregari iuſſi) cuius & caput ac cineres Cypro aduectas, ad Franciſcanam ædem veneratur. Martyreſque ac Confeſſores ſanè plurimos dederit ac inſignes, filios inquam & alumnos. Vnum tamẽ ſibi patronum delegit Ambroſium Romanum ciuẽ, quem tota caritate complectitur: cuique ſimul ac ipſi Vrbi Orbis dominæ cuncta ſe debere profitetur. quidni igitur Mediolanum, vel nunc maximè *Secunda Roma* publicitus acclametur, tam arcta Victrici inclytę Vrbi neceſſitudine ac velut connubio iunctũ? Si enim Byzantium ex Romani Imperatoris Conſtãtini acceſſu, *Nouæ Romæ* ſibi nomenclationem aſciuit; multo potiori iure Mediolano conſeruandus erit honorificus titulus, iampridem Senatuſconſulto, & ſanctione immutabili impoſitiuè attributus; nunc potiſſimum cum non laicos modo Principes, è Ro-

mana Curia ſuſcepit, ſed quod glorioſius valdè, Sacros & Sanctos ex Romana Eccleſia. Atuerò quod præſentis intereſt negotij, Mediolano *Secundæ Romæ*, agnomen, poſterioribus ſeculis, vel in eo maximè ſupernè confirmatum dignoſcitur; cum ob receptos clariſſimos Heroas, quos & Romanos ciues fuiſſe retulimus: & perquam appoſitè ac optimo merito, *Bonos Romanos* nuncupatos, Ciuitas ipſa mater effecta eſt eximij CAROLI, quem alterum omnes teſtati ſunt Ambroſium; nempè vbi ille firmiſſimum Romanæ Eccleſiæ Fulcrum, hic incõcuſſus Romanæ Eccleſiæ Cardo. quique commiſſo ſibi Gregi, Romani populi affatim indidit pietatem religionemque; vt iam luce clarius appareat, Regiam hanc Lombardiæ Metropolim, & carne & ſpiritu; ideſt & qua magnifica perhibetur atque excellens, & qua feruens in Deumq; deuota, Triumphalis Apoſtolicæ Vrbis ſupparem tum communiter dici, tum veraciter eſſe. Sed de hoc Vberius alias, nunc redeundum ad Germanos Sanminiato profectos.

Qui conſtituendæ ſupremę coronidi, adeò opportuni occurrunt, vt nihil aptius vel concipi potuiſſe exiſtimetur; nimirum quaternario conſtant numero, perindè atque quadrilatera ſuperimponenda veniebat ipſi Stylobatæ Coronis. Hi aliquando ſimul Mediolani commorati, magno honeſtatis, ac dignitatis loco enituerunt. interimque agentibus viris auctoritate primarijs, res etiam ſuas Florentiæ compoſuerunt, & ſub quibuſdam conditionibus tranſegerunt, prout in Actis Reipublicæ cautum perſpicitur:

par-

partemque receperunt paternorum prædiorum. Borromæus autem natu maximus, aliquandò animi gratia Mediolano digreſſus, Patauiumque profectus, inuiſendæ originariæ Ciuitatis ergò, ſumma lætitia à Franciſco Carrarienſi qui tum dominabatur ſuſceptus eſt; ſiquidem diuitiarum eius fama percrebuerat, quibus inhiabat Homo vafer; rogatu propterea ac pollicitationibus eum detinere curauit: ſategitque eius pelliciendi, nè antiquam Patriam aſpernaretur; quin & germanos Mediolano abductos eo perduceret acquieuit tandem Borromæus, cum præſertim Mediolani vbi domos, agros, vineaſque ſanè amplas compararat, non ſibi vndecumque tutum fore pertimeſceret, ob ſenſim gliſcentes duorum Principum Galeacij Barnabouiſque ſimultates. ritè *Baſylian*, ideſt vnius Principatum, omnigenæ politiæ anteferũt inſigniores Philoſophi; quemadmodum nitẽtiſſimus hic Mũdi Oculus, vocabulum ſortitus eſt *Solis*, quia ſolus illuceat, imò eadem vnitatis neceſſitas euincitur, per analogiam diuini Imperij; eius namque ſimulacrum perhibetur humana poteſtas, alioqui nunquã ſatis fida inuenta eſt Regni ſocietas. Euocauit itaq; Borromæus germanos Alexandrum Andreamque, & vnà cum illis ſororem Margaritam viro copulandã. Solus cum Talda genitrice iam grandæua Mediolani perſtitit Ioannes natu minimus. Borromæũ Carrarienſis ærario ſuo præfecit Theſaurariumque declarauit; vt ſcilicet occaſionem captaret ipſius facultatis diripiendæ, idque ex hiſtoria lucet ipſorum de Carrarijs. per Petrum Paulum Vergerium edita. Cõ- *Pet. Paul. Verg.*

ceptui

ceptui reſpondit euentus; nam haud ita multo poſt, ipſum calumniatus, nulli culpæ affinem in carcerem detruſit, nec Magnatum quiſpiam ſummis etiã precibus impetrare potuit, vt eum dimitteret; donec Fratres ipſius, ſolutis duobus & viginti aureorum millibus, eius vexationem redemerunt. quamobrem Borromæus graui affectus iniuria, ob idq; iuſta indignatione commotus, ſibi illatam fraudolentiam digna vltione compenſaturus, egit apud Ioannem Galeaciũ Comitem virtutis, necnon & Venetorum dominiũ; vt inito fœdere improbum paribus armis adorirentur, à quibus ille bello deuictus, & in vincula coniectus, paullo poſt ærumnis præſſus, Modoetiæ vitam finiuit. Patauio Mediolanenſes potiti ſunt: Taruiſiũ verò Venetis ceſſit: eaque illis contigit continentis, vulgò *di Terra Ferma*, prima poſſeſſio, anteà quippè Inſulas duntaxat obtinebant, aut littora. En tibi paucis benigne lector flagitium deteximus hominis nequam: & quæ eum conſecuta ſit vindicta. Nunc pauliſper retrocedendum, vti antè cætera conſulatur adoleſcenti Margaritæ iam nubili, & aptæ viro.

Frãciſcus Sanſouinus vbi de Ciuitate Paduæ agit, Borromæorum familiam aſſerit cum adhuc *Bonromana* diceretur, haberetur que alibi illuſtris ac præclara, iam indè ab Ezelino Tyranno Paduam adductam, quod & confirmant Chronica Ezelini, per Petrum de Gerardis Patauinum compilata. id tametſi aliàs nuſquam legi; nemo enim talia recenſet ſi duo citati excipiantur, non tamen auſim improbare, quiputà nil ambigam generoſam ſobolem in multiiuga

Pet. Gerar.

ſe

ſe germina diffudiſſe, & palmites quaquaverſum retendiſſe, quorum paſſim memoriç recenſentur penes grauiſſimos Auctores, non ſuperficietenus modò aut genericè; quemadmodum Phanuſius Campana percurrendo attingit, vt ſolent canes in Ægypto Lãbere, ſed diſpoſitione narratiua ac ſeriatim. Vt enim alios omittam, Gerardus Cherubinus in Hiſtoria Bononienſi, ſub annum humanæ ſalutis nonageſimũ ſecundum ſupra duodecies centeſimum, deſcribit inter primarios illius ciues *Rodulphum*, *Nicolaum*, & *Philippum* Borromæos: aliàſque memoriæ tradit *Guidum* Borromæum electum fuiſſe vnum ex duodecim belli præfectis. quem & paullo poſt numerat inter Sapientes Ciuitatis. Et nonageſimo ſexto eiuſdem ſeculi, inter fortiſſimos qui Vrbem pugnando incolumem ſeruarunt, recenſet *Henricum* de Borromæis: Nicolaumque prædictum, 1307. narrat Ciuitatis vexiliferum, & alios paſſim Sapientes atque Antianos, quæ ſanè munera, primariæ duntaxat nobilitati deferri ſolita, conteſtatur idem Auctor lib. 8. pag. 254. Inſuper ex litteris nobilis Senenſis D. Celſi Cittadini, Viri litterarum peritia admodum eminentis, didici illic mentionem haberi in actis publicis. *Antonij & Caroli*, filiorum *Ludouici* Borromæi de Piſis. Quodque *Franciſcus* quidam habitator Senarum, filius *Ioannis* Borromæi ciuis Piſarum, vxorem duxit nobilem Senenſem, vocabulo *Garoſanam* de Mancinijs, ex qua ſuſcepit *Eliſabetam* quam tradidit Laurẽtio de Iouanellis Patritio Senenſi: ipſeque Franciſcus vna cum altero *Ioanne* eius filio, donati leguntur Ciuitate

Gerar. Cher.

uitate

uitate Senarum, quam Vrbem etiamnum incoluiſſe inueniuntur *Petrus* & *Franciſcus*, filij *Bartholamei* ex eadem familia, de Sancto Miniato. Ex cuius pariter Oppidi tabulis, memoria recolitur *Caroli*, ac *Franciſci* filiorum *Galeazij* Borromæi, qui referuntur Sanminiato receſſiſſe, currente anno trecenteſimo trigeſimo ſecundo poſt milleſimum à parta ſalute. *Alexandri* quin etiam Borromæi, qui aſſeritur dominus fuiſſe Oppidi quod nuncupant *Ceretum Guidi*, inſuper alterius *Alexandri*, qui fuit Pater *Gabrielis*, ac *Benedicti*, à quo Benedicto proceſſit *Antonius* & *Carolus*, & hic Carolus Pater fuit *Andræ*, & *Mariani*. Andreas verò genuit *Carolum Ludouicum*, qui Piſis commoratus, filiam habuit nomine *Gineuram*, quam deſpõſauit Gaſpari, filio quondam Laurentij de Ruſcellais Florentino, & id genus innumera monumenta reperiuntur varijs locis per Hetturiam præſertim; quę tamen exarare ſuperuacaneum duxi, quia nominatorum origines deſiderentur, conſimiliter in Catologo Epiſcoporum Nouariæ, numero 85. habentur formalia verba. *Hugutius* Borromæus Ciuis Vercellenſis Clemẽte V. Pont. Epiſcopus factus, diligentiſſimus fuit Patronus & defenſor bonorum Eccleſiæ: Baſilicas multas prędijs, & cenſu auxit, & cęt. ſedit annos 25. Clemente V. & Ioanne 22. Pont. Nec prætereundum, *Io. Villa.* quod Io. Villanius in Chronico ſuo ſub annũ 1263. meminit cuiuſdam *BonRomei* peregrini, qui cum ex itinere Compoſtellano in Italiam repedaret, in Galliam Narbonenſem perueniens (*Prouenzam* dicunt) diuertit ad regionis Comitem, de quo nonnulla refert,

fert, Verum nil de eius conditione eruas, aut natione; cuiuſmodi innumeras ſchedulas reperimus, iccircò omiſimus; neque enim operę pretium duximus, filacteriam inutiliter dilatare. Noſtratum (qui præcipui ſemper habiti ſunt) ſeriem, eo etiam libentius tenentes, quod per eam tritum certumque iter ac ſemitam calcare liceat.

De Patauino eorum incolatu nihil inuenire datũ eſt, ſed fortè parum illic ſubſtiterunt (nè mendacij prædictos Scriptores arguere dicar, anté dictum Borromæum Philippo natum Mediolanoq; profectum; niſi dicere malimus Sanſouinum ipſum allucinatũ, *Borromæos* pro *Vitalianis* ſcripſiſſe, quia vno eodemq. ſtipite proceſſiſſent; eatenus namque nonnulli Iacobinũ Hieronymi Vitaliani, de Borromæis fuiſſe affirmarunt: quidam & diuam ipſam Iuſtinam Martyrem, vt ſupra tetigimus. Is autem vt ſtatim ex hac Vrbe noſtra, Paduam ſe contulit, Egregij Equitis *Iacobi*, ſeù *Iacobini* de Vitalianis, (quem antehac nempè in calce Occidentalis proſpectus, retulimus veſtire ſolitum vt Craſſus, cenare vt Lucullus, & Genio per omnia indulgere) familiaritate mirum in modum delectatus (vt ſunt inter quoſdam cõſperſiones animorum corporumque ſororiæ: & conformitatis ſanguinum ſympathiæ) nihil in vita ſuauius ducebat eius conſuetudine. Laudabat in eo liberalitatem animique candorem, admirabatur vitæ ſplendorem, lautitiam, generoſitatem: exoſculabatur comitatem, morum integritatem, humanitatem; atque elegantiam; ita vt eum gratijs natum arbitraretur; dilectio-

Lib. 3. fol. 192.

Lib. 4. fo. 292.

nem verò magis ac magis cõmendabat augebatque, quod vna vtrique eſſet origo. Quippè eodem Vitalianorũ ſtipite ſuos nouerat proceſſiſſe præceſſores. Vt non tam voluntaria electio, aut affectatæ beneuolentiæ ſtudium, quam vera germanaque conſanguinitas intercedere videretur; quare nullum finem faciebat eius amandi. Induxit porrò eiuſcemodi propenſio in animum ipſius, vt ex amico, eum ſibi Cognatum efficeret: & quod longiſsimis ſeculorum interuallis ſeiunctum erat ac propè obliuioni traditũ, legitimo recentique affinitatis nexu denuò copularet. Communicato igitur conſilio cum fratribus, facilè, imò quam libentiſsimè ij quoque in ipſius iere ſententiam; quiputà egregiam Iacobini ſynceritatẽ cum ſumma dignitate coniunctam exploratam haberent, ac ob id ſingulari quoque affectu eum valdè complectebantur. Et quidem malè audiebat Iacobinus à nonnullis vellicantibus, quia nimio luxu vteretur ac faſtu, cui cenſus ad calculum redacti, nequaquam ſufficere putarentur: decoctorque interdum dicebatur. & paternę ſubſtantiæ abliguritor. Verũ eiuſmodi conuitia facilè eluebat multorum fauor, quem ei generoſitatis præſtantia conciliabat. Nec ijs aures accomodabant Borromęi fratres; imò ea aſpernabantur tamquam maculas iniuſtè inuſtas inuidioſo Equiti, à Sicophantis liuore tabeſcentibus; nimirum ipſi opulenti, luridam egeſtatis faciem nuſquam aſpexerant, nec aliquandò didicerant, quam inhonorum ac moleſtum pauperiem pati: ſibique in mentem induxerant, ingenuo viro ſemper proſperè feli-

Iterato conſerũtur qui diuulſi notãtur lib. 3. fo. 192.

feliciterque futurum. Iccircò cum ſibiipſis, nouo propinquitatis nodo copulare omninò decreuerunt. Mater quin etiam ac Ioannes Mediolani degentes, cum Iacobum Dynaſtam grauem, præclaris animi dotibus, & fortuna ſatis ampla didiciſſent inſtructũ, ac vniuerſorum celebrari pręconio, ceù plenum officij, elegantiæ ac leporis, incredibilem eo nuncio lætitiam hauſerunt, ſperantes vetuſtæ eorum plantæ, nouo eiuſdem ſurculo conſitę germina, vtriq. familię haud mediocri ornamento, firmitati ac voluptati fore. Arriſit & tyrannus Carrarienſis, fuitque illi periucundum, cum quia Iacobini vrbanitas exhibitaque obſequia ipſius illi gratiam comparaſſent, tum verò maximè, quia Borromæorum opes Mediolano Patauium quamtotius expetebat aduehi, quatenus eas expilare daretur, & aptius latiusq; improbę ingluuiei ſatisfacere. Itaque felicibus auſpicijs celebratæ nuptię ſolennes, Iacobique coniugio tradita egregia Virgo, in cuius ore lineamenta omnia impreſſa erant ad dignitatem virtutis; in cuius corpore decus omne deliteſcebat naturę, Et quandoquidẽ nomina à *Noſcendo* dicta, doctè exiſtimat Feſtus, vt prętulimus; quia notiam pariãt rei ignotę, dicitur quippè *Nomen*, quaſi *notamen*, ſeù *nouimen*; quemadmodum & in referandis, ideſt intelligendis libris, tituli ipſi pręfixi, clauiũ gerunt vices; Cum ipſa iampridem *Margaritæ* ſortita fuiſſet vocabulum, obuium nunc foret oſtendere, quod iſtiuſmodi proprias nuncupationes, fatalis quędam ratio plerunque imponat: generoſamque viraginem expendere de qualitatibus, ſeù proprieta- *Feſt. Pomp.*

Plin. tibus eius generis Gemmarum, ſcribente Plinio, quod earum dos omnis eſt in candore, magnitudine, orbe, leuore, ac pondere, ſingulorum quippè applicatione, ipſius ex parte ſaltem inclareſceret prẹſtantia, mitto tamen; etenim neque rana pelagus, neq. pectoris mei anguſtiẹ, laudum illius aceruos capere ſufficiunt. Illud vnum obſeruo, quod Romani ipſos eoſdem lapillos, *vniones* appellare inſtituerũt, quia è cæleſti rore in conchis denſato atque vnito reſultent: vel quia ſingilatim diſtincti, atque ſecreti inueniantur. Ego autem hinc magno myſterio id nuncupationis à ſacro lauacro huic inditum argumẽtor: dicique *Nomẽ*, quaſi *omen*, quod futuros actus, ac venturos indicet effectus. Reuera enim *vnio* extitit Margarita hæc illuſtris, quæ ramos dudum auulſos longinquiſque terrarum ac temporum ſpatijs diſlectos ac diſſitos (virentes tamen) poſtliminiò vniuit, nimirum in vnum compegit, & Borromæum ramum, Vitaliano iterum coagmentauit trunco. Quodque mirandum magis, in eadem Patauij Vrbe, vbi ipſa Arbor, iam indè ab initio enata coaluerat; neque enim hæc Mediolani acta ſunt, vel Sanminiati, aut vbilibet, quaſi Fatis diſponẽtibus, vt indidem Inſubres decerperent, vndè & Sueui quondam diuulſerant, quod claret ex diuortio Bonromanorum Adoleſcentum, á Paulo Vitaliano fratre, per iam tradita in Meridionali latere. Fol. 190 Vt inquam ex ipſomet fonte nos quoque hauſiſſe probaremur, non ex riuulo quopiam deducto, tãtumque beneficium acceptum referremus antiquiſſimæ illi, ſimul ac celeberrimæ Vrbi, cui ſi quid hac

tem-

tempeſtate de priſtino maieſtatis aut diuitiarum fulgore detractum eſt, id propitio Numine, maiori ſapientiæ incremento compenſatum; ſiquidem adeò erudita noſcitur Patauina Ciuitas, vt Athenæ non tã illuuione Barbarorũ deletę, quã delatę, ac ſpontè proprio auulſæ ſolo vniuerſaque litterarũ ſuppellectile aduecta, Paduam immigraſſe: eique ſe totas infudiſſe videantur. Hæc enim recolere iuuat, grati animi declarandi ergò; qui putà illic diù auditor ſumma cum animi oblectatione fructuque moratus, illic profeci quantulum id eſt, illic & curſum confeci. Hic cum mihi enarrandi eſſent luſus equeſtres, choreæ, belli ſimulacra, pompæ, conuiuia, & multigena ſpectacula, Patauino populo in hiſce nuptijs exhibita, quæ mirandum quendam in modum, omnium animos hilaritate expleuerunt; ſuperſedeo tamen, nè ſuperfluitatis inſimuler, ab ijs qui nihil non eminctum deguſtant & vndequaque abſolutum. Id ſubticere nequeo, quod mandante Iacobino Scutum prę foribus Domus pependit, fronde feſta vittiſque aureis circundatum, vtriuſque familiæ Arma; ideſt inſignia continens in vnum conſita; hinc ſcilicet cęruleis Vndis nitens, vt in Orientali; indè Clatris rubris, ac viridibus alboque tranſuerſo, quẽadmodũ in Aquilonari exhibitum, affabrè admodum pictis, quale & ſingulis Palatij ſui proſpectibus imprimi curauit vel affigi. ea veró quibuſdam confirmandi erroris cauſa fuit, vt loco ſuo aperiam, nunc enim adhuc parumper ſecedendum pro re conſpicacius nauanda.

*Fol.*108 *Fol.*321

Sententia fuit Sexti Emperici, quam tamen tulit

ex Symonide; Picturam ſcilicet tacentem quandam eſſe Poeſim, hancque viciſſim loquentem picturam. nam & *Poeſis* vocabulum, deriuari creditur à Græco *poieo* quod eſt *facio*. Et quidẽ preter id quod vtrique vna ſit facultas, quidlibet audendi; ex vulgato Prouerbio, reuera vtrauis magni ingenij eſt; & ſolers propèque diuinum artificium expoſcit; quod enim Poeſis efficit narrationibus, epiſodijs, encomijs, tropis, & id genus; hoc Pictura depromit coloribus vtẽs; nã ex rebus ipſis exprimit notiones, quibus lineamenta, lucem, vmbrã, receſſus imitatur. Græci dicũt *æconomiam*, ex qua artis ſcientia, gratia, & abſolutio pendet: Emblemataque metaforicè vocãtur: quibus imagines, agalmata, pegmata, eiuſmodique diu inuenta variè & eruditè explicantur. imitatrix poetica, imitatrix & pictura: & vt calamus penicilli, ſic penicillus calami ęmulus: ambæ nõ modò gratiã habent atque delectationem mirificam prębent, verum præteritarũ rerum memoriam ſeruant: & hiſtoriam rerum geſtarum perpetuò cum iucunditate ob oculos ſtatuunt. Ego autem cum Poeſim, potiori longèque vberrima doctrina ſubnixam, ipſi Picturæ valdè præferendam exiſtimem; quiputà nec pingo, nec fingo: nec penicillo, ſed calamo vtor; in eo tamen feliciores fateor Pictores, quod varios caſus & diuerſis temporibus acta, vna eademque tabula depromunt: vnicoque intuitu ſimul ac ſemel ſpectanda exhibẽt; quæ Scriptoribus eſt maximè inuidenda facultas; ijs namque illa etiam quæ vno eodemque obuenere momento, nonniſi ſucceſsiuè & longo dictionum tractu, ſeriatimque

timque, ac parte poſt partem, proferre aut exprimere conceſſum. Hinc digreſſionibus, Epiſodijs, Anticipatione, Recapitulatione, Tropo, & potiſſimum Parentheſi, frequens illis vti neceſſe, ad conceptus enunciandos: adque deuitandam ſpectantium nauſeam. Sed quorſum hæc? vt nimirum nec ipſi ſeuerius arguamur, vel nobis ignoſci efflagitemus, ſi interdum in hoc Catalogo, ſiuè ad clariorem intelligentiam præoccupare: ſeù materia ſic exigente quãdoque retrocedere aut repetere compellimur. Iamverò Borromæi fratres reuiſendi, qui Patauio victricibus Inſubrum armis, de manu Carrarienſis erepto, cum plurimum gratia valerent penes Ioannem Galeacium Principem, ſui temporis magnificentiſſimũ fauſtiſſimumque, apud eum conquieſcere volentes, Mediolanum redierunt, domiciliumque habuerunt intra fines Parochiæ Collegiatæ quę dicitur S. Georgij ad Palatium. Relicto ſcilicet Andrea, qui Patauij Iuriſprudentiæ ſtudijs operam dare cęperat; necnõ Margarita ſorore, quam Iacobino de Vitalianis tradiderant coniugem. Illic currente anno milleſimo trecenteſimo nonageſimo quarto, quarto Idus Maij, Litteris datis ad Syndicos ac Decuriones Mediolani, per prædictum Principem, in quibus id notanter aſſeritur *Propter eorum laudabilem famam & cæt.* In numerum Ciuium aſciti & aſcripti ſunt, nempè Borromæus, Alexander, atque Ioannes, vt cernere eſt ex libris prouiſionum huius Cõmunitatis: deincepsque honorificè ſemper habiti; adhibitique grauioribus Reipublicæ negotijs. Inprimis enim Borromæus

Borromæi Mediolani Ciuitate donantur.

fuit

ſuit ipſi Duci à conſilijs. Cumque Bononiam obti-nuiſſet, Borromæum eò dimiſit, vt eius vices ſuſti-neret Ciuitatisque poſſeſſionem capeſſeret, Ipſum præ cunctis Ciuibus locupletẽ fuiſſe teſtis eſt Corius Chroniſta: ſpopondiſſeque pro Theodoro Montis-ferrati Marchione, duodecim millium Florenorum ſolutioni ſemet iure fideiuſſionis obligando. Ad-dit Bugatus ipſum Ducẽ Vicecomitem, poſt acceptã à fœderatis cladem ex padana naumachia, confeſtim pecunijs ſibi à prædicto Borromęo comodatis, claſ-ſem inſtauraſſe & auxiſſe, qua & de profligatis ho-ſtibus triumphauit, anno nonageſimo ſeptimo eius ſęculi. Et nè ſpicilegium facere videamur, ipſum Borromæum ſummo exiſtimationis loco fuiſſe liqui-dò conſtat ex tabulis iuridicis (*publicum, & autenticũ Inſtrumentum* dicunt) pacis celebratæ in Ciuitate Ia-nuenſi, anno quadrigenteſimo ſecundo, inter prædi-ctum Ducem, iunioremque Franciſcum de Carrarijs; in his quippè cauetur inter cætera, vt poſſeſſiones & bona Borromæi de Borromęis à Sancto Miniato, Pa-duæ exiſtentia, ſalua ſibi ſint, nec vllatenus à quopiã moleſtentur, eique pactioni interfuit ac ſubſcripſit Baldus Iuriſta; vt in eius conſilijs vol. 2. poſt conſ. 147. Sed quid opus Solem facibus illuſtrare?

Bernardin. Cor.

Gaſpar Bug.

Ioanne Galeacio viam vniuerſæ carnis ingreſſo, Borromæus Ioanni Mariæ eius primogenito ingenua fide atque officijs quam ſtudioſiſſimè aſtitit. iſque vt tanti equitis obſequium aliquo beneficio compen-ſaret, Calendis Maij, anni quadrigenteſimi tertij, Co-mitem eum conſtituit *Caſtri Arquati*, necnon *Burgi*

Vallis

Vallis Tari, cum eorum attinentijs, in Placentina Diœcęſi, addita gladij poteſtate, vt in priuilegio quod ſignatur, *Iacobus*, quorum videlicet oppidorũ ille dominium inijt per procuratores Petrum Zarlũ, Antoniumque de Sancto Miniato; in eorum porrò facultatibus illud expreſſum legitur, *pro Magnifico, & potente Viro Domino Borromeo Comite &c.* qui etiam fidelitatis ſponſionem ſub iureiurando à ſubditis accęperunt. Idem Matrimoniali ſe iugo Mediolani ſubdidit: genuitq; Galeacium, Antonium, ac Ioannem. Fungebatur autem munere Ducalis Conſiliarij. Extant et litteræ eiuſdem Ducis, Catharinęque Duciſſæ, pergamena exararæ, quibus ipſum Borromęum in familiarem recipiunt, eximentes ab onerum præſtatione, pedagiorum, portuum atque vectigalium: cum facultate octo Equitum vbique pro ſui tulela deportandorum. Is tamen, haud multò poſt (cum Nefariorum licentiæ, ac miniſtrorum perfidiæ, minus ſe obſiſtere poſſe animaduerteret: rerumque ſtatus in deteriora quotidiè laberetur, donec ipſe etiam Dux turpiſſimè à coniuratis trucidatus eſt) Borromæus Comes propriè ſaluti & quieti proſpiciens, Venetias vna cum Alexandro profectus eſt, aſportatis theſauris ac filijs, ſolus Ioannes frater renuit Mediolano abſcedere; quinimò bonorum immobilium partes quę germanos contingebant, ipſe ſibi coemit: ſedulò curam gerens atque inſeruiens Taldæ genitrici ſenio prægrauatæ; ipſa enim nullatenus acquieuit aliò demigrare, nè longè fieret à Beatrice ſorore, quam ab infantia enutrierat diligebatque ſicut filiam. Deceſ-

ſit verò Talda Mediolani, anno quadrigenteſimo ſexto decimo, die Nouembris quintadecima, ſeptuagenaria maior. Cum iam Beatrix ad ſecunda vota tranſiſſet. Vt dicetur.

Andreas Ius ciuile Patauij edidicit, Doctoratuſque conſecutus eſt inſignia: nec non Equitis aurati titulo inſignitus, filiam genuit vnicam, quæ coniugio copulata eſt, Americo de verris Iuſtinopolitano, viro primario.

Alexander cęlibem vitam ducens, liberis caruit, Venetijs commoratus via *Iacobæa*, ditiſſimusque habitus eſt. Extat Venetijs Templum Diuæ Helenæ Magni Conſtantini genitrici ſacroſanctæque Dominicæ Crucis inuentrici dicatum, quod iamdiú piorum eleemoſynis, præſertimque nobilium *de Capellis* extructum, Clericis Canonicis inſtituti mei comiſsũ fuit, ad quod aliquandò ipſius ſanctæ titularis corpus delatum fuit, vti conſtat ex pergamena, quæ intra marmoream eiuſdem Arcam reconditur, his verbis inſcripta. *Anno milleſimo ducenteſimo tertiodecimo, Duce Petro Iano, Aicardus Canonicus Regularis, clam ſuſtulit corpus Sanctæ Helenæ, de Conſtantinopoli ex Monaſterio dedicato nomini ſuo, quod Venetias translatum, in ſuo recondidit Monaſterio.* Nunc ei inſeruiunt religioſi clauſtrales Diui Benedicti, è Congregatione Oliuetana, ſic ferente temporum varietate. Alexander autem, pia in ſanctam Matronam deuotione permotus, Sacellum honorifico ſchemate, ſacro illius aſſeruando venerandoque pignori ædificandum curauit, quod claret ex marmorea inſcriptione parieti forin-

ſecus

ſecus affixa: tum ex eiuſdem inſignibus in fornicè atque introitu ipſius ſacelli depictis. ipſe Monaſterium muris ſepſit, reditibusque auxit ad Monachorum ſuſtentationē: quin & pretioſis donarijs Ædemque locupletauit. adhuc ſupereſt Calix, Thuribulum cum Nauicula argentea, inſuper & Paramenta ex baſilico aureo, ad ſacri miniſterij pompam, ſignis impreſſa clariſſimæ familiæ. Ibidem ſepulcrum ſibi ac Fratri Borromæo Comiti parauit marmoreum, ab humo eleuatum, quo Comes primum, poſt ipſe quoque illatus eſt. In ipſius ſacelli pauimento, coram Altari, ipſius Alexandri effigies exculpta iacet, togata, manicisque cubitalibus, adiecto capitio, quod compertū eſt Florentinorum patritiorum, quondam extitiſſe geſtamen. In lapidis verò lateribus vel gyro, ea verba leguntur. Hoc ſepulcrum eſt magnifici ac generoſi viri, Domini Alexandri de Borromæis, q. D. Philippi, & ſucceſſorum. Qui de hoc ſeculo migrauit, die octauo menſis Iulij MCCCCXXXI. Leguntur præterea iuxta maiorem portam à foris, ſequentia carmina, marmori inſculpta.

Mitis Alexander vir Borromæus ætruſcus
Natus enim Sancto Miniato propagine clara,
Frater & ipſe ſuus quoque, Borromæus amœnis
Sortibus exhibitus, fieri fecere Capellam
Hanc, Helenæ ſub honore ſacræ fulgente paratu.

Interim Veneti, pulſis Carrarienſibus, Patauium dominio ſuo adiecerunt; quare Borromæus deſiderio flagrans fauendæ originariæ auræ, eo ſtatim habitationem tranſtulit, illicque perennauit, quoad vitam

hanc commutauit æterna, Vitalianorum ſuorũ conſuetudine iucundiſſimè vſus; migrauit verò anno quadrigenteſimovigeſimo ſupra milleſimum humanæ ſalutis. Teſtamento edito, per quod dimidium bonorum ſuorum, tribus filijs reliquit, reſiduum Alexandro fratri concredidit in pios vſus erogandum. In his Contuberniũ mãdauit erigi, titulo *Collegium Borromæum* nuncupandum, ad quadraginta Adoleſcentum educationem ſimul & eruditionem, quos è Ciuitatibus aſſumi mandauit Mediolani, Paduæ, Florentiæ, Sanminiati, Burgi Vallis Tari, & Caſtri Arquati. Huic conſtituit Oratorium adhærere, & eius cultui duodecim adhiberi Sacerdotes. Hæc tamen perfici nequiuerunt obſiſtentibus Principibus. Alia quin etiam inſtituit pietatis monumenta. Quieſcit in dicto ſacello D. Helenæ, his verſibus Sarcophago ſubiectis.

Inſignem virtute virum Comitemque Tiaræ
Vallis, & Arquati dominũ, celeberrima præſens
Vrna tenet, tantam genuit Florentia prolem.
Hic pietatis honos, grauis & ſectator honeſti
Bonromæus erat iuſtus, ditauit egenos
Semper, & his meritis supernã penetrauit ad Aulã.

Matthæus de Reuerſis Mediolanẽſis fecit 1422.

Aliquot elapſis annis ab eius obitu, tres eius filij memorati, communis conuictus & cohabitationis pertæſi; aliòq; ſe transferre cupientes, & ab inuicẽ ſeiũgi, petierunt à Patruo, vt *P*aternam eis partiretur hęreditatem, ratis vnicuique attributis portionibus, quod nec ille detrectauit; ea veró adeò opulẽta inuenta eſt, in Oppidis, Ruribus, ac fundis, & Palatijs quæ poſſidebant

bant in agro Patauino, Veronenſe, Bononienſe, Florentino, Ianuenſi, inque inſula Thirena quam *Ilbam* dicunt: in cenſibus præterea, redditibus cameralibus, auro gẽmis ac multiuaria ſuppellectile, vt propè incredibile exiſtimari queat, ſitque prodigio proximũ. Quod ipſe vix referre, auderem dubius fidei, ni palã conſtaret ex tabulis partitionis, ſeù (vt aiunt) publico Inſtrumento Venetijs confecto per Georgium de Gibellinis Notarium Imperialem, cuius exemplum eſt apud me, curaui quippè eius tranſumptum ad me tranſmitti. Indè porrò elicitur vltrà decies centena millia Florenorum ſingulis tribus obueniſſe, vt hinc liqueat quam amplæ fuerint, quatuor Philippi natis diuitiæ, cum vnius (quantumlibet primogeniti ideoque opulentioris fortaſſe) hęreditas tricies ſupputatum eſt centenis millibus. Id compertum, quod per vniuerſam fermè Italiã, prouerbij loco dici aſſumi ſolitum, *putas Borromæorum obtineas Gazas?* in eos ſcilicet iaculatum, qui largis expenſis, & apparatuum luxuria, plus nimio inſumere crederentur.

Galeacius Comitis Borromæi filius, vxore ducta neminem ſuſcepit Marem, ſed Femellas dũtaxat, quę perquam honorificè ac ſplendidé matrimonio collocatæ ſunt. Quas tamen pertranſeo, quod nihil notatu dignum ſuper his inuenerim. Ipſe moriens ad Diuæ pariter Helenę conditus eſt, ſeorſum tamen à patre ac patruo; nempè eodem ſacello, ſed non eadem vrna.

Ioanni quoque huius Fratri, opibus Florenti, Florentięque degenti, cum duo liberi orti eſſent, Lazarus

&

& Galeacius, ac tres filiæ, reliquis immatura morte ſublatis. Vna ſuperfuit Beatrix nomine, celebri viro Ioanni Antonio de Pactijs tradita (quod videre eſt ex publicis Senarum ſcrinijs, *Archiuia* dicunt) quæ & ipſa aliquot filijs fœcundata eſt, inter quos memoratur Franciſcus ille Pactius qui cum hęreditatem quãdam affectaret, quæ Borromęorum fuerat, & ad eos (puta Antonij ſucceſſores) ex teſtatoris Ioannis eorum patrui inſtituto, redire debuerat; indignatione permotus in Mediceos (quod Borromęis ad æquitatis tutelã, pro Magiſtratu quẽ gerebãt tunc Medicęi fauerent) auctor fuit inauſpicatæ conſpirationis, qua Iuliano dirè in maiori Eccleſia, & inter ipſa tremenda myſteria transfoſso, frater quoque Laurentius Medices Reipublicę columen ſauciatus, in ſummo vitæ diſcrimine verſatus recolitur. (Hic Laurentius ille magnanimus Italiæ Arbiter, qui Mediolani quoque Palatiũ extruxit, Florentinorum Legatorum habitationi paratum, quod hodieque ipſius conſeruat inſignia in fronte viæ Dugnanorum, qua itur ad Diui Thomæ) Ipſe autem Pactius, patrati ſceleris laqueo pœnas luit. Videatur de hoc hiſtoria Machiauelli.

Nicol. Machiau.

Antonius cui idem prorſus cum Genitore Comite Borromæo ſenſus atque conſilium, Patauij morari delectatus, illic multiplici lectiſſimaque ſobole ditatus eſt; Quatuor nãque genuit liberos, Borromæũ,[a] Alexandrum[a], Philippum[a], & Carolum[a]. Quos litteralibus elementis ſupranotare libet, pro clariori diſtinctione: idque obſeruamus in filijs ac nepotibus; prout & ſupra præſtitimus in delineanda D.D.

Vita-

Vitalianorum arbore. Ab his igitur ceù quatuor fontibus: Vniuerſa D.D Borromæorum Paduanorum, Ætruſcorum, ac reliquorum, (præter Mediolanenſes de quibus poſtremò loco diſſeremus) progenies manaſſe dignoſcitur. Quam prout de eorumdem ſerie, in Arboris pariter ſpeciem ſolertiſſimè digeſta (de qua & Amiratus nonnulla tradit ſanè digna notatu) *Scipio Amir.* decerperè datū eſt, huc afferre inſtituimus; niſi quod ordinem in hiſce quatuor Ducibus familiarum inuertere compellimur, pro ſcopo noſtræ intentionis attingendo. Itaque Carolus,[a] quem prædixi minimum natu, inter Antonij liberos, genuit Borromæū[b], Ioannem[a], Philippum[b], Vincentium[a], Antonium[a], Alexandrum[b]. ac Bernardinum[a]. Ioannes[a], pater fuit Caroli[b], ac Federici[a]. Et hic Carolus[b], dedit Bernardum[a], ac Ioannem[b]. Bernardusque[a], habuit Clementem[a], Carolumfranciſcum[a], & Alexandrum[c]. Franciſco nati ſunt Bernardus[b], Antonfranciſcus[a], ac Ferdinandus[a]. Philippus[b], filius Caroli[a], fraterque Ioannis[a], ſuſcepit Carolum[d], iſque Philippum[a], Federicum[b], Galeacium[a], & Camillum[a], at Vincentius[a], Caroli[a], extulit Petrum[a], aliumque Vincentium[b], & Gabrielem[a]. eiuſque frater Antonius[a], Angelum, patrem Caroli[c], ac Ioannisbaptiſtæ[a], cui nati ſunt Angelus[b], Vincentius[c], & alius Ioannesbaptiſta[b], Vincentioque[c], Carolus[f]. Nunc ad Philippum[a], qui inter Antonij liberos vt prædictum eſt Carolum[a], inſequitur ordine retrogrado: huic orti ſunt Galeacius[b], Ioannes[c], ac Iacobus[a]. Galeacioque[b], Petrus[b], & Philippus[d], à quo exierunt Galeacius[c], & Paulus[a],

Ga

Galeacio[c], autem, Nicolaus[a], Petrus[c], & Iacobus[b], qui genuit Borromæum[c], Alexandrum[d], ac Philippum[e], Borromæuſque[e], Carolum[g]. Iacobus[a], Galeacij[b], germanus, filius Philippi[a], protulit Philippum[f], & Alexandrum[e], à quo prouenerunt Paulus[b], Iacobus[c], Borromæus[d], Marcusantonius[a], ac Petrusfranciſcus[e], hucuſque Philippi[e], progenies. Alexander[e], autem eius frater, habuit Achillem[a], Hieronymum[a], & Franciſcum[b]. Horum medius ſcilicet Hieronymus[a], ſolus vidit poſteros Franciſcum[c], Alexandrum[f], Antonium[b], & Annibalem[a]. Alexandro prodierunt Hieronymus[b], & Achilles[b]. Achilles inquã, de quo Venerabilis Scardeonius Patauij Chroniſta tradit quod cũ à Maximiliano Cæſare ſtetiſſet, eique fidam commodaſſet operam in Patauinæ Vrbis expugnatione, id illi ad detrimentum contigit ſanè ingens; nam recepta paullòpoſt ab Venetis Ciuitate, ipſe patria exulare coactus, boniſque ſpoliatus eſt. Quem tamen Imperator Auſtriacus, ad ſe confugientem benignè excepit: Equitem Comitemque creauit: Conſiliarium ſibi adhibuit: & tantò in honore habuit, quanto ex extorribus neminem. huic nullus ſuperfuit hæres.

Bernar. Scard.

Hieronymo[b], autem eius fratri, Alexander[g], Achilles[c], Curtius[a], & Egibertus[a], qui nunc inter Oliuetanæ profeſſionis Monacos religioſiſſimè viuit, vocabulo Don Antonius. Huius germanus Alexander, natu maior, Hieronymum[c], genuit & Carolum[h]. Tandem ad Borromæum[a], deuenio Antonij primogenitum. Ipſe vnicum ſuſcepit, quẽ de patris ſui nomine appellauit Antonium[f], cuius proles extiterunt

Fran-

Franciſcus[d], Borromęus[f], ac Ioannes, Franciſco[d]; Ioãnes, ac Ioſephus[a]. Ipſe quoque Franciſcus[d], graues moleſtias fertur perpeſſus á Venetorũ dominio; quia Maximiliani partes tueretur. Tandem cum Marco Antonio Columnæ aſſiſteret, Veronam Imperiali nomine propugnanti, ijdem Veneti ipſum interimendũ curarunt. Ioſephum[a], eius natum ſubſecuti ſunt filij Gaſpar[a], Franciſcus[e], Borromæus[g], Antonius[d], Iuliuscæſar[a], & Octauius[a]. Gaſpare[a], geniti ſunt Hector[a], & Darius[a]. Hectore[a], Gaſpar[b], Ioſephus[b], & Comes[a]. Gaſpare[b], Carolus[i], & Antonius[e]. Franciſco[e], Ioſephi[a], ortum duxit Antonfranciſcus[h]. Borromæo[g], eius fratre, proceſſerunt Alexander[b], & Federicus[c]. Iuliumcæſarem[a], Inſephi[a] filium, genitorem vocant Ioſephus[e], Vitalianus[a], & Albertus[a]. Borromæus[f] nullum genuit; Ioannis[d] verò eius fratris numerantur geniti Antonius,[d], Carolus[l], Annibal[b], Daniel[a], Scipio[a], & Camillus[b]. Quorum primus Antonius[d], ſcilicet, dedit Gaſparem[d] Equitẽ, qui pater dictus Antonij[a], Danielis[b], ac Troiani[a]. Danielque nimirum Ioannis[d] filius, produxit Ioannem[e], Antoniũ[f], Annibalem[c], qui Annibal[c], Camillum[c] genuit, ac Danielem[c]. Scipioneque[a] interim exierunt Bartholamæus[a], Carolus[m], Romæus[a], Alphonſus[a], & Franciſcus[f]. Bartholameo[a] Scipio,[b] ac Ioannesbaptiſta[c]. Carolo[m], Camillus[c], aliuſque Carolus[n]. Romæo[a], Annibal[d], ac Federicus[d], Camilli[b] qui fuit ſextus ac poſtremus inter Ioannis[d], natos, nulla recenſetur proles, ſimiliter nec Annibalis[b], qui fuit tertius. Carolus[l] autem qui eum præceſſit; nempe

ſecundo æditus fœtu, Aſcanium [a] ſuſcepit, conſultò nobis vltimo loco reſeruatum, quod finis habeat rationem optimi; huic quippé vitam me debere profiteor, cum ipſe me de lethi faucibus eripuerit.

Hic cum puer in paterna domo maturè litteris imbuẽdus traditus, præcocis ad virtutem ingenij proferret indicia: inſignemq; Achademiã Canoniæ *S. Ioannis de Viridario*, dicunt, frequens inuiſeret, religioſa ac erudita Clericorum conuerſatione cum primis delectatus, illorum ſe expetijt aggregari conſortio. Votique compos aliquandò effectus, paternum etiã ſibi popoſcit nomen imponi, dictuſque eſt ex Aſcanio, *Don Carolus*, felici præſagio, altoſque breui conſcendit clauſtralis ſanctimoniæ gradus; in re autem litteraria, progreſſus oſtendit inſperatos; nam præter ſacræ Theologiæ, Philoſophiæ & artium doctrinam valdè vberem, Decretorum etiam, & caſuum conſcientiæ ſcientiam ſibi comparauit haud mediocrem, nedum latinè ſed Græcè ac Hebraicè apprimè eruditus extitit, nec Mathematicarũ, nec vſqueadeò Chabaliſticarum expers: in præcipuis Congregationis noſtræ Gymnaſijs prælector accitus: & aliquot annos iu hoc Mediolanenſi Collegio Theologos interpretatus eſt. Contigitque me ijs quadrageſimalibus diebus Habitu Religionis inueſtiri, dum illæ Collegiatæ S. Laurentij maioris, maximo quidem concurſu Eccleſiaſten ageret. Ingruit circa id tempus toti Lombardiæ mortifera lues: facilèque Vrbis noſtræ foribus appropinquauit, ceũ publici Emporij, ad quod aduenæ vndecumque aduentarent commerciorum

gratia; quare & Suburbanis ſenſum occupatis, in cõfertæ plebis viſcera dirè ſæuiebat: & quod omnium miſerrimum cenſeatur, plerique ex his quos lurida infecerat tabes, cum vicinis ac propinquis horrori eſſent; nedum commodis ac neceſſarijs humanis auxilijs, ſed ipſa etiam diuinarum rerum ope deſtituebantur; Parochis ſcilicet tam numeroſæ multitudini iuuandæ nequaquam ſufficientibus: aut etiam periculo ſemet exponere detrectantibus. His verò ſummè torquebatur vigilantiſſimus Archipræſul glorioſæ memoriæ CAROLVS; quapropter conſultò prius Chriſti Domini Vicario, quadam die Vrbis Sacerdotibus in Archiepiſcopij ſacello coactis, populi calamitatem eis pro concione aperuit: eorumque viſcera pietatis adorſus ariete, ad ſubueniendum proximorum miſeriæ caritatis intuitu rogauit obnixè, in ſui facultate per Apoſtolica diplomata eſſe conteſtatus, Clericos quantumlibet alienarum Diœceſum, & cuiuſuis ordinis Regulares ad id voluntarios, etiam ordinariorum ſuperiorum iniuſſu accerſere, & languentium procurandæ ſaluti deputare: peccatorum venias impertiri, ac cæleſtibus theſauris augere, eos qui in hiſce officijs deceſſiſſent, Demum prout Spiritus illi ſanctus ſuggerebat, omnes & ſingulos adhortari conatus eſt. Dixerat Paſtor amantiſſimus, cordis ſui affectum in eos effundere, ac illis inſtillare adnixus pro virili; commoueratque plurimorum animos, qui cunctabundi hærebant, inuicemque alter alterum reſpiciebat, periculum expendentes, nec planè decernebant, vtri partium incumberent, ancipites, piæ nè cau

ſæ, an propriç incolumitati conſulere expediret. Cum ipſe Don Carolus innata Borromæorum Vitalianorumque magnanimitate actus, primus antè omnes, anxio pręſtolabundoque Cardinali Antiſtiti volentem ſeſe vltrò obtulit ac paratum, ad opem ſanis, infirmis, valetudinarijsque pręſtandam: operamque ſuam impendendam vbicumque è re eſſe cenſeret: in ſe nihil formidinis futurum pollicitus; imò & pręſidij quantum vires ſupperent. Vix dici queat, quantum iucunditatis hauſerit Sanctus Pręſul ex illius promptitudine (cuius rei ſuperſunt adhuc plurimi oculati teſtes) maximè quod eius alacritas multos ex accitis aſtantibusque regularibus permouit: ac eorum pręcordia velut admotis calcaribus pupugit. Non defuere qui diuinitus patratum exiſtimarent, vt vocante magno CAROLO Borromęo, alter Carolus Borromęus omniũ primus obaudiret, ſic enim vnus & mouens & motus: idem ipſe & incitator & executor quodammodo aſtrui poterat; idque remorantem adeò à cęterorum animis diſpulit metum, vt extemplò eius exemplo non pauci quaſi certatim nomina darent, ſeque operariorum albo inſcribi efflagitarent, pręſertim è Seraphico ordine; imò & alios quoſdam ex noſtris ipſemet priuatis collocutionibus illexit, attraxitque; Nempè Don Hieronymum de Rubeis Vicentinum, Don Auguſtinum de Figinis Prędicatores, Don Pium à Baſilicapetri, Don Gregoriũ de Aduocatis presbyteros, Laicum pręterea profeſsũ nomine Felicem de Mirabellis, qui poſteá infirmis extra mœnia, ad caſas ligneas, ſeù tuguria, vulgò *Capã-*

ne,

ne, degentibus ſedulò miniſtrarunt. Vbi non poſſum mihi temperare, quin in benefactoris mei gratiam, Hebræorum traditionem quãdam ſubnectam, cuius pluries Lyranus in commentarijs meminit. Filios videlicet Iſrael, cũ ſe fuga Ægyptiaca ſeruitute ſubtrahentes, ad mare acceſſiſſent, quamuis fluctus diuiſos aſtrictosque, & vortices inſtar parietum hinc & hinc ſaxea velut ſoliditate firmatos conſpicarentur, ac profunda nudata ſiccataque, vt inter ſtupentes vndas impolluto veſtigio, non ſecus ac per montium concaua daretur pertranſire; in littore tamen ſtetiſſe ancipites ac planè attonitos, viæ illi nequaquam auſos ſe committere; donec Aminadab filius Aram, pater Naaſon, Aaronis ſocer, abnepos Iudæ Patriarchę, Ductorque ipſius Tribus atque Princeps, impauidè poſt Moſen iter aggreſſus, adeó formidoloſam plebem ſui exemplo animauit, vt illum ſequi minimè hæſitarent, & ob tam egregium facinus, ipſam Tribum Iuda primatum ac ſceptrum in vniuerſo populo promeruiſſe. hæc fermè citatus Poſtillator, & alij complures in 14. Exodi. cui adſtipulatur Genebrardus ad verba illa Cant. 6. vbi memorat, *Quadrigas Aminadab.* Alludere videtur, & Oſeæ 11. dicens, *Iuda autem teſtis, deſcendit cum Deo, & cum ſanctis fidelis.* & Pſalmographus 117. inquiens, *In exitu Iſrael de Aegypto, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.* quicquid ſit de hiſce; ideſt veritate iſta innitantur necnè, præſens tranſilit inſtitutum. Id in confeſſo eſt, honoris quiddam deberi ipſi Don Carolo, qui cæteris præluxerit ad fortia geſta, ſic prẹmia proponuntur his quibus dura, vel

Nicol. de Lyr.

dubia proponuntur certamina: & corona Muralis ei qui hoſtium primò fuerit ſupergreſſus muniriones, quod innuiſſe ſufficiat; indè enim quantum laudis egregio viro acceſſerit, viderint ſapientes. Sanctus Cardinalis ingenui Sacerdotis prudentiam, grauitatem, eruditionis præſtantiam admiratus, eum tanti fecit, quanti alium fortè neminem; itaque eum in tam apertum vitæ diſcrimen, nequàquam adducendum cogitauit; vt in Græorianis ædibus, alijſuè contagio infectis, virum virtutibus exaggeratum collocaret. Verumenim his diebus Præpoſitus Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani maioris deceſſerat, Don Carolum iuſſit in defuncti loco conſiſtere, illiuſque in omnibus obire munia, addito *Vicepræpoſiti* titulo, ei verò Collegiatæ cura imminet pluſquam viginti millium Animarum, quibus cum alij Parochi atque adiutores, tum is præcipuè ſpiritalem aſſiduè miniſtrabat alimoniam. Sacræ Cænæ myſteria vt plurimum peragebat in altari ligneo pro Cōpiti fronte; nimirum iuxta pontem Macelli alias *Portæ Tonſæ*, ad hoc erecto. Vt qui domibus egredi prohibebantur, è feneſtris ſaltem, rem diuina aſpectarent. Frequens eum Archipręſul indefeſſus accerſebat, eiuſque vtebatur conſilio, ſæpè & opera, præſertim in arduis. Magna & mira ſunt quæ cordatus vir eo peſtilenti tempore geſſit ac pertulit: horrenda quæ illi acciderunt: & quibus miſericordia eum perurgente ſe ille expoſuit pericula, quæ declinando faſtidio tuo lector omitto, licet inuitus. Siquevnum addidero, ad alia calamum conuertam: illud vero eſt, quod cum dominus

minus afflictioné reſpexit Sancti Paſtoris ac populi deprecantis: miſeratusque dixit Angelo percutienti *Sufficit, contine manum tuam*, beneficentiſſimus Paſtor, vt aliquo extrinſeco ac temporali ſigno ſtrenui hominis labores recognoſcere atque compenſare videretur, mandauit clanculum ipſius mentem explorari, num ſacerdotium ſeculare, nempè præpoſituram S. Stephani libenter annueret ſibi conferri; neque enim ambigebat eum capacem fore, qui circà id tempus ex eodem Clericorum Canonicorū cœtu, Don Dyoniſium de Tertijs Capriatæ, Don Theophilum de Vareſijs Vimodroni, Don Ioannem de Stampis Vaueri Rectores adhibuit. Verum Don Carolus omninò renuit, profeſſionis ſuæ ſtatum, nulla ſe conditione deſerturum conteſtatus: obtentaque facultate domū reuerſus eſt: magna inuictæ conſtantiæ contemptusque temporalis compendij opinione relicta. Ciuitate purgata, periculoque ſublato, totum biennium Mediolani commoratus ſumma omnium veneratione colebatur; præcipuè verò Sanctus Cardinalis eum in oculis ferebat. tandem in patriam redire conſtituit. Cui Venetias verſus nauigaturo, Rectores noſtri, me ſtudiorum gratia Rauennam ad celebrem Portuenſem Canoniam deducendum commiſerunt tyronem adhuc, decem & octo annos natum; itaque Aphractum ingreſsi, ſecunda Eridani vnda feliciter deuecti ſumus. donec iuxta pagum, quem *Stelatam* dicunt agri Mantuani, cum Nautæ ob negotia quædam applicuiſſent, iamque adueſperaſceret, ac ſocij diuturnioris moræ pertæſi naui exijſſent, dum ipſe

quoque

quoque poſt eos exilire,ac littus conſcendere paro, repentè effracta qua ſuſtentabar tabula, in Padi ſinũ decidi,ſtatimque nandi ignarum veſtibusque grauatũ,vorticis impetus abſorpſit, actumque de me fuiſſet, ni Saluatore propitio,lignum quoddam è proxima ſcapha prominentem,præcipitans manu arripuiſſem tenuiſsẽque, quod vbi animaduertit Borromæus acer, tamquam nihil ſibi metuens (verè Vitalianus de vita aliena ſolicitus; Cymbam dicto citius inſilijt vel cum aperto periculo, ſummitateque baculi cui hærebam,paulatim & chlamide ſupernatante apprehenſa,anxia dexteritate,fluitantem attraxit, tandem & vlnis excepit, auræque huic fruendæ reſtituit. Quis igitur ab ingrati ac officiperdæ nota me eximat, ni gratiam pro gratia rependam? aut ſi viri heroica virtute ſubnixi præconia, in ampliſſimo hoc ipſius Familiæ theatro, rudi ſaltem ſtylo proſequi deſiero? Sed iam gradum faciamus.

Si qua dantur in vaſta hac quanta eſt Mundi moles, vera, firma, perſpicua, artis ac ſapientiæ ſummi rerum Opificis argumenta (vti dubio procul habentur propè innumera, quantumuis Epicurus hominũ vaniſſimus derideat) inter ea profectò vel præcipuũ ſibi vendicat locum, ipſa mortalium Vniuerſitas, quę quondam ab vno proceſſit. Idque non eatenus affirmarim, quatenus Homo, Dei imago aſſeritur, & ſimulacrum,& operum illius Epitome,& minor Mundus; imò & *Omnis creaturæ* vocabulo cohoneſtatur
Lib. 4. vt præmiſſum; id enim apud omnes in confeſſo eſt, ac ſemita neotericis præſertim de hominis dignitate

Phi-

Philoſophantibus perquam trita. Et quid dico recentibus? etiam ipſa vetuſtate antiquioribus; vt enim multa omittam, extat illuſtris Auguſtini ſententia, *Cognoſcam me cognoſcam te domine*, & anté eum prophetæ Regis, Pſ. 138. *Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me*. Id namque fuit dixiſſe, ex cognitione meijpſius aſcendi in admirabilem tui notitiam. Eumque callem ipſis etiam Ethnicis peruium, ſatis claret è ſententijs Iamblici, Plotini, Procli, Hermetis, Platonis & aliorum. Sed eatenus profiteor, quatenus diſtinctis rerum formis conſtat humana propago: & partium diſcrepantia diuerſimodè ab alijs temperata, in vnumque imperſcrutabiliter colligata vel coagulata & coacta; in ipſa namque connectuntur, natura ſpiritalis & corporea, mortalis & æterna, ſimplex & compoſita, ſenſu prædita ac intellectu ſimul. Cumque diuidant Phyſici genus ſubſtantiæ per corporeum & incorporeum, tantam eorum demonſtrāt eſſe contrarietatem ac repugnantiam, vt in nullis prę ter hominem cohærere poſſint. Quodque admirationem auget, & infinitam Dei Sapientiam ac prouidentiam, in producendo & conſeruando euincit, tam multiplex morum, idiomatum, ſtudiorum, voluntatum, diſciplinarum, geſtorum, habituum, ac propenſionum varietas atque diſtantia, vt non tanta eſſe videatur diuerſitas, aut diſſimilitudo facierum: iamque prouerbij locum obtinuerit dictum illud, *Quot capita, tot ſententiæ*, & id non magis de ſemotis ac longinquis regionibus, quam in vnius eiuſdemque gentis ac domus; imó & eodemmet fœtu editis, ob *S. Auguſtin.*

variam materiei commixtionem, animorum conſperſionem, ſupernarumque lationum influxus, quos diuerſificat vnius punctiictus vel nictus, palam eſt verificari. Id perſpectum in fratribus Borromæis (ne longius euagemur) ex quo Andreas Patauij iugiter immoratus: Alexander Venetias incoluit: Comes verò Borromæus hac illac, velut peregrè proficiſci delectatus eſt; legi enim eum moratum Sanminiati, Mediolani, Paduæ, Venetijs, iterum Mediolani, Genuæ, Cremonæ, Bononiæ, Florentiæ, Romæ, & alibi. At Ioannes cum Mediolani conſediſſet, iucundiſſimaque animi tranquillitate frueretur: & gratia atque auctoritate plurimum ſe valere intelligeret, illinc nullatenus recedendum decreuit, vbi proſperè ſibi iugiter futurum conſideret. (Animus quippè hominis duabus potiſſimũ facultatibus inſignitus probatur: altera qua cognoſcit, altera qua appetit, hæc fertur in bonum, illa in verum tendit) Et quidem expectationi feliciter reſpondit euentus, principaliſque ei aſpirauit aura; Duci etenim Ioannimariæ quantumuis immani ac improbo, acceptus fuiſſe traditur. Publicis tamen negotijs abſtinuit: nec ſe immiſcere acquieuit vllatenus; nam cum rerum ſtatum ſummis diſcriminibus conflictari perſpiceret, periculoſę aleæ omninò ſe ſubducere ſtatuerat. Duce autem ipſo factione Ciuium interempto, ſimulque ferè ac ſemel, Facinio Cane acerbiſſimis podagræ cruciatibus enecto, Ioannis opera effectum eſt, vt Beatrix ipſius Matertera Facinio viduata, Philippomariæ Papiæ Comiti copularetur; quo nimirum connubio,

ille copijs, ditione, ac pecunijs Facinij auctus, facilè Mediolanenſi Principatu (alioqui ad ſe deuoluto) potitus eſt, pulſis indè Barnabouis filijs, qui iam ipſam Regiam aulam inuaſerant. Honeſtiſſimo ſemper loco ac nomine fuit Ioannes, penes ipſum Philippum Ducem: eiuſque Cõſiliarius ac Theſaurarius: tantumque illi à ſingulis ordinibus deferebatur, quãtum maximè.

Interea IACOBVS Vitalianus, Patauij cum Margarita Borromæa vxore degens, tantum immoderato luxu erogarat, vt totàm propè cum patrimonio Coniugis dotem prodegiſſet; quantũlibet enim Naturæ ac Fortunæ bonis inſigniter polleret vti prædictum, non tantum poſsidebat diuitiarum, vt immodicis eius expenſis reſpondere poſſent. Ecquis ferendo ſit tam profuſo ſumptui? In ſuperioribus (vel potius in inferioribus; nam in Stylobatæ fundamento, vel Baſi) retuliſſe memini quod Vitaliani iſti, aliquando dicti ſunt *Vitelliani*, ideſt *de Vitellijs*, in quorum progenie numeratur & Aulus nonus Cęſar Auguſtus, cuius prodigentiam ceù prodigioſam, ſtomachantur probriſque inſectantur Scriptores, inter quos Suetonius auctor eſt, ſingulos eius apparatus, non minus quadringentis millibus conſtitiſſe: quodque ducentis ſeſtertijs patinam condiderit, in qua Scarorum iecinora, Phaſianorum & Pauonum cerebella, linguas Phœnicopterum, Murenarum lactes, Carpathia vſque, fretoque Hiſpaniæ petitarum congeſſit. Huic à fratre in cæna appoſita fuiſſe lectiſſimorum piſcium duo, auium millia ſeptem, me-

Fol. 48.

Tranquill.

Io. Rauiſ. moriæ proditum ex Rauiſio. Hunc fortaſſe pro modulo ſuo æmulatus eſt Iacobinus, vt nō ſit quod miremur. Nec tamen eum damnarim ceù helluonē, aut cupidiuoram, qualis Philoxenus deſcribitur Sardanapallus ſiuè Heliogabalus: nec bibacem dixerim, qualis fuiſſe memoratur Cæſar Claudius, qui propterea à quodam, pro *Tiberio Nerone*, dictus eſt *Biberius Mero*. nullus ingluuiem Iacobo impingit; verum exceſſus duntaxat in erogando & immodici luxus eum inſimulant.

Filium verò genuerat eximiæ indolis, quem ſub ipſo fermè ætatis exordio dereliquit, extremum obiens
XXXI diem. Etquidem VITALIANI nomen ei impoſuerat (eratque is octauus iuxta gentis ſeriem) quatenus inclytæ proſapiæ decus oculis eius obtenderet. At minimè tantum rei familiaris ei conſeruarat, quo claritatem gentilitiam ritè tueretur; perſenſit quippè Margarita ab obitu viri, Fortunam non tam aduerſam, quam euerſam: nec modò facultates plus iuſto imminutas, ſed tanto æris alieni pondere ſeſe ac paruulum obſtrictam, vt ingens domeſticorum bonorum detrimentum perpeſſa, de priſtino familiæ nitore actum eſſe ingemiſceret, ſublatis ingenuorum ornamentis ac fulcris: pauperieque limen eius obſidente ac foribus inſultante. Ariſtoteles opinatur,
Ariſt. Impoſſibile eſſe indigentem nedum principari, aut ſtudijs vacare; ſed vel bona operari: aliaſque obſeruat, quod antiqui Sapientes, nōniſi acquiſitis vitæ neceſſarijs philoſophari cœperunt. Subſcribit Boetius,
Seuerin. Egeſtas diſciplinę nouerca. Et Plautus, omnibus
Plaut.

modis

modis qui pauperes ſunt miſeri viuunt; nam qui eget parui pretij eſt, quod concordat Salomoni prædicanti, Sapientia pauperis contempta eſt Eccleſiaſ. 4. imò & Pſalmiſtæ 30. Infirmata eſt in paupertate virtus mea. Iuuenalis inquit, quod *Iuuen.*

Haud facilè emergunt, quorum virtutibus obſtat
Res anguſta domi.

Verè dicebat Ariſtophanes. Paupertas beſtia eſt, *Ariſt.* qua nil pernicioſius, nil interitu dignius. Quo onus nullum grauius ex Menandro, & nobilibus potiſſimum; *Menand.* nam præter, id quod, Dura ſatis miſeris memoratio priſca bonorum, eos reddit turpes deſpectos, odioſos, ſenſatè propterea Flaccus, *Horat.*

Impiger extremos fugis mercator ad Indos,
Per Mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes

Virgilius egeſtatem dicit *Turpem*; ſcilicet ab effectu, *Maro.* quia ad turpia impellat, malaque mentibus etiã non omninò malis interdum perſuadeat. Hinc Romanis nullum inopem quantumuis patritium in Senatorium aut Equeſtrem ordinem adlegere mos fuit, quod indecens reputarent, vt libro ſequenti. Iccircò Gentilitas in vniuerſum, Deos, *Indigetes* appellauit, ex *Macrob.* Macrobio, quaſi nullius egentes; id enim Deorum tantũ eſt, vt Xenophon Socraticus aſſerit, cui cognatum *Xenoph.* videtur quod ſcripſit vates ſacer, Pſal. 15. Dixi Domino Deus meus es tu, vel hac ratione, quia bonorum meorum non eges. Frontinus verò idem *Frotin.* de Vrbe promit inquiens; Romana Vrbs Indiges, terrarumque Dea: cui par eſt nihil, & nihil ſecundum. Et quidem Nobilitas (vt ſupra diſſeruimus) *Lib. 2.*

naſci

naſci noſcitur ex originaria quadam excellentia, quã quis ob Patriæ, ac Genitorum claritatem ſortitur, quam Græci *Eugeniam* dixere, ideſt bonam originẽ; eam verò conſtat à virtute initium ſumere, ipſaque ardenti; quare ſemel accenſa rutilabit iugiter inſtar lampadis: augmentúmque capiet vigoris ſecunda aſpirante fortuna; at omninò nutrienda venit, amatque confoueri oleo diuitiarum; ſecus enim ſi elychnio pabulum deſit, lumen continuò languet: paulatimque extinguitur. Fortaſsè quiſpiam ſcholis egreſſus, totum vno verbo comprehendat, virtutes ſtant prò cauſa *effectrice* Nobilitatis, opes prò cauſa *ſinè-quanon*. Id euincere pronum Inductione & exemplis Liſandri, Phocionis, Ariſtidis, Agrippæ, Gnei Scipionis & conſimilium, quorum fulgor etſi vehementius aliquandò coruſcarit, radij tamen vix eorum poſteris illuxerunt, interpoſita paupertatis nube; quemadmodum Thebanorum Imperium, & natum & reſtinctum eſt, ſimul cum Epaminunda Philoſopho armato ſed inope. Vt quidam Pieridum cultor canere non dubitarit.

Horat. Et genus & virtus, niſi cum re, vilior alga eſt.

Proindè illud notetur animaduerſione digniſſimũ, quam ritè & ſuoptè iure, in calce Occidentalis proſpectus, ipſe Iacobus cadat: ipſamque Occiduam faciem claudat, qui ampliſſimam ſubſtantiam (ſi dici fas ſit) abliguriendo, clariſſimam familiam, ad occaſum propè perduxit, detractis opibus, quibus ceù columnis nobilitatis decus ſuſtentatur, ſinè quibus (inquam) quo quiſque nobilior, eo turpior, eo de-

Lib.4. Fo.294

ſpe-

ſpectior, eo miſerior. Nec prorſus tamen improbandus generoſus vir Iacobinus, ab ijs præſertim qui auaritiam veraciter execrentur; vt meritò ingenuo cuique deteſtanda eſt, ſacro eloquio docente, quod Auaro nihil eſt ſceleſtius: & nihil iniquius quã amare pecuniam. Eccleſiaſt. 10. cui ſubſcribit moralis, Auaritia eſt vehementiſſima humani generis peſtis. Quapropter ſi oppoſitorum oppoſitæ ſunt differentiæ; quemadmodum & corruptio optimi peſſima; largitatem, quæ ſtat ex aduerſo ac magnificentiam, nulla non conſequetur laus atque commendatio. Addam quod nec ad mentem Philoſophi qui Ethices rudimenta tradit, dãnandus videtur ſplendidus Eques; Licet enim ille in Politicis, virtutem in mediocritate verſari demonſtret, qualis in hoc genere *Liberalitas* perhibetur, à qua recedunt prodigi, ſimul atque tenaces; nemo tamen diffiteatur, quod quanto magis quidpiam elongatur à medio, tanto cenſetur deterius, & è conuerſo; quodque minus malum ſæpè cedit in rationem boni. Tullius autem deffinit magnificentiam, quod ſit, Rerum magnarum & excelſarũ cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione cogitatio atque adminiſtratio. Hanc verò in Iacobo ſatis delineauimus. Eſto igitur quidpiam per inordinationem deliquerit, Pythagoricum prætergreſſus conſilium. *Nè quid nimis*, non tamen illaudatus dimittendus, cum ipſe Ariſtoteles aſſeueret, ſplendidos ac magnificos, maximè omnium virtute pręcellentiũ diligi. Et Auguſtus de ſeipſo in commentarijs ſcriptum reliquerit. *Liberalitas me ad cælum euehet.*

Seneca. *Ariſto.* *Cicero.* *Ariſto.* *Iul. Cæſ.*

Iam-

Iamverò Iacobi diſpendia (ſi dixiſſe libeat) iacturaque bonorum, VITALIANO octauo filio minimè pœnitenda fuit; quin & maximoperè profuit: ſummumque Deo beneuolente attulit emolumentū; ſiquidem eius ſortem miſeratus Ioannes Borromęus ipſius Auunculus, Duci Philippo Mariæ cum affinitate, tum arctiſſima neceſſitudine coniunctiſſimus, Eum ſimul ac Margaritam matrem, Mediolanum accerſiuit: exceptumque ſummoperè dilexit, incredibiliter lætatus eius elegātia. Nam nomini quod ex familia puer retulerat, honoris & gloriæ pleno, Senex conglutinata recognoſcebat probitatis initia: & inditia propenſi ad ingenuas artes ingenij, quæ pro arrhabone ſumi ſolent, præcipuæ cuiuſdā atqueadeò heroicæ virtutis. Itaque ſedulò enutriendum ſuſcepit, diſciplinisque erudiendum: ac inſtar lapidis pretioſi multis modis expoliendum inſtituit: iſque mirandis progreſſibus indies ſuccreſcens; & in ætatis flore oſtendens, quam ſuauem & quam vberem fructum daret in tempore ſuo, Auunculum iam ætate confectum, non minimè exhilarabat. Cumque iam ephebis exceſſiſſet: hisque ſtudijs quibus nomen ſuū elargitur *Humanitas*, , quin & cæteris titulo *Liberalibus*, ſatis profeciſſet: ſeque intelligeret non mediocriter abs Ioanne diligi; cui in omnibus obſequi ac morem gerere, ſeque amabilem præbere ſatagebat: ſtatus ſui conditionem expendens; vt erat ingenio acer, peculiarem meditatus eſt ſibijpſi effingere Conum (Emblema dicunt, vulgò *Impreſa*) quo arcanum quiddā mente conceptū, non exprimendo innueret: iſque fuit.

Ca-

Cameli proſtrati, Viminea Fiſcina deſidentis (cu-

ius dorſo poſtmodum alia de cauſa plummeæ Criſtæ, Diademaque impoſita ſunt) intelligentiæ verò notam nullam appoſuit; ſed cum nihil dixiſſet, multa dedit ſapienter intelligi, nec quippè deerãt ingenij ſales, rerum ſtatum ad calculum reducenti (vt quondam me docuit Philoſophus Bernardinus Baldinus antiquæ probitatis vir, Naſimbenuſque Roccius, Co. Renati Procurator) nimirum res ſuas omninò deiectas innuere videbatur. Sed altiore ſenſo, (nam hiſce typis myſticos oportet adeſſe ſeù includi intellectus ex regularum præſcripto) quaſi ſe opibus ac honoribus onerari præſtolaretur, & ab Auunculo ſurrigi; inditum quippè beſtię illi, vt ſpontè procumbat dum ſarcina imponitur. Id ſtemmatis ſibijpſi aſciuit Vitalianus adoleſcens. abſtinuit verò à ſubijcienda nota, quam dicunt *Animam*, vulgò *il Motto*, nè cupiditatis inſimularetur aut puſillianimi: potiuſque ſcopo aliquatenus velato, aſpectantes in ancipiti detineret; horum tamen nihil Auunculum latere potuit, qui eiuſcemodi vrbanis argutijs, atque elegantia mirè iucundabatur. Induxit porrò in animum, vt eum ſibi in filium adoptaret, quod & perfecit haud ita multo poſt. Sed prius eundem Mediolani Ciuem conſcribendum: & familiæ Borromeæ aggregandum curauit. Quod vt firmum illibatum, & conſtans perpetuis temporibus haberetur, Inſubrum Ducis eiuſdemque nomine ſacri

Imperij generalis per omnem Italiam Vicarij decreto roborari. Cuius tenorem legere eſt adhuc ex priuilegio quod incipit. Philippus Maria Anglus Dux Mediolani Comes Papiæ Angleriæque &c. De ſpeciali gratię noſtræ munere, conplacere volentes prudenti viro Vitaliano, hactenus nominato de Vitalianis, qui nunc nominatur, & in futurum vult nominari de Borromæis. & cæt. Manarunt hæ litteræ. Sub Dat. Papiæ die 10. Octobris MCCCCXVI. Indictione 10. Signat. *Conradina*. Quodque magis mirandum duco, idem ipſe Dux eundem Vitalianum etiam opibus deſtitutum, Camerarium ſuum ac Theſaurarium declarauit ac renunciauit, antequam eum Ioannes adoptaſſet ditaſſetuè; nimirum de anno 1418. 7. Ianuarij, cum tabulæ Arrogationis confectæ inueniantur, 1431. 28. Aprilis, excipiente Donato de Ciſeris Notario publico, tanti faciebat Princeps illius virtutem ac proſapiæ claritatem. Non mihi hoc loco obſtrepant rabiduli edentuli quidam inepté garriendo, quid Co. Borromæos tātoperè euehis quos nouiſſimè & vix tertio anteacto ſeculo, ad Mediolani Ciuilitatē admiſſos fateris? nō igitur æquā di vetuſtiſſimis Mediolani Proceribus, qui alienigenę dici poſſint, maximè cum tantum antiquitati tribuendum prefatus fueris in Stylobatæ fundamento. Horum leuitatem breuibus ſic refellendam puto, Si ordo dignitatis ex acceſſus duntaxat prioritate metiendus foret, ita vt cerdo vel baiulus, Baroni pręferri iuberetur ob diuturniorem incolatum, tunc pondus haberet hęc ratio vtcumque irrationalis, &

vt

vt eſt in luſibus puerilibus, beati primi. Verum cum Nobilitas ſit quilitas inhærens perſonæ, vbicumque conſtiterit vir ingenuus, dignitas eum conſequitur ceú corpus vmbra; alioquin nunquam excedendum foret natali ergaſtulo: falsòque Ariſtoteles Animalia motiua ſecundum locum, dignitate gradus præſtare aſſereret Zeophitis ac plātanimalibus, quæ progredi nequeunt. Niſi fortè nos ipſos Inſubres ſolummodò eximios, excultos, & Fortunæ albæ filios opinemur: inepti autem ſi talia cogitemus. Ecquinam hodie Oræ huius aborigines? quotumquemque nūc mihi dederis (ex Primoribus inquam) cuius primordia non aliundè huc aduecta comprobentur? In præmiſſis relatum, quod Romani plurimas Nobilium familias Mediolanum tranſmiſerunt. Sed præter eas compertum eſt, *Verrios*, quoque, *Taurios*, *Roſcios*, qui Rubei nominātur, *Raſinios*, qui nunc Areſini, *Aletios*, qui Aleſij, *Tertiacos*, *Fuſcianos*, *Bilios*, quos recolit Val. Max. alioſque Roma profectos; imò ab Oriente & Occidente, ab Aquilone & Meridie, Mediolanum domicilia tranſtuliſſe; quemadmodum & Romam coaluiſſe ex Troianis & Aboriginibus (qui tamen Græcia pridem aduenerant) teſtes ſunt Liuius & *Tit.* Halicarnaſſeus; quin & Romulū præter Albanos, Cæ- *Dionyſ.* ninēſes quoque & Antemnates, Camerinos, Veiētes, Fidenates, ac Sabinos in ſocietatem nouæ Vrbis vocaſſe: multaſque præcipuè Æetruſcorum Ciuitates ad ſe recepiſſe. conſulatur Sigonius lib. de Nominibus *Ca. Sig.* Romanorum. Non eſt præſentis loci nec otij, ſingulas Procerum Mediolanenſium origines, aut acceſſus

percenſere, nec quippé (Dei aſpirante gratia) noſtrates, quorundam ęmulantur dementiam, qui progeniem protendunt ac venditant ex antiquis antequam Terra fieret: neù vlla nobis competētiæ altercatio cum Arcadibus, qui *Proſelenes* dicti ſunt, quia ab Deucalionæo Diluuio omnium primos naſcentē ſe Lunam inſpexiſſe iactarent: & poſt Genus humanum aquis præfocatum, propagationis originem ab ipſis rurſus incęptam. Nullns inquam noſtrum talia ſomniat: nec apud nos auditur diſtinctio antiqui aut recentis incolatus, niſi cæteris paribus forſan. Quis D.D. Sfortiadū claritatē offuſcare audeat, quia inclytus Franciſcus cui verę virtutis æſtimatione vix parem in Regibus inuenias, nobili Attendula ſtirpe ortum ducens, non niſi de anno 1450. Mediolani Ciuitatem ſimul ac Imperium indeptus noſcitur? ea Familia generosè euecta, apud nos poſt Vicecomites dominatu prima extitit, licet ingreſſu nouiſſima. poſtmodum varia cum Fortuna luctata, tādem Gallorum iniuria Principatu pulſa eſt; vt ſunt ſublunaribus cunctis vices agnatæ. Dixi claro genere ortum Principem noſtrum; vt plebeiorum quorundam inſcitiam obiurgem, qui veſpertilionū inſtar, nil limpidum contuentur; quod enim Ducis longè incomparabilis fulgor eorum oculos perſtrinxiſſet (nempè ad coruſcam geſtorum illius facem, natalium obnubilatur nitor) putarunt obſcuro loco natum; cum tamen Mutium eius genitorem, qui *Sfortiæ*, cognomento auctus fuit conſtet nobilibus Ioanne Attendulo & Liſa de Petrucij s prognatum: eiuſque Fratrē

ac Sororem, illuſtribus coniugijs copulatos; nimirũ, Michael natu maior, pridem belli dux pro Senatu Veneto, vxorem habuit Polixenam Sanſeuerinam. Maria verò ſoror, Vgolino nupſit Centonæ Comiti. Alios procliue eſſet enarrare (ni prolixitatis ſæderet) eximios ipſaque excellentia digniores; qui tamen nuperrimè aduenisſe noſcuntur, & quidem Calpharnij Albutijque qui nunc (dictione contaminata) nobis ſunt Gafurij & Butij, inter priſcos cenſentur: Similiter Sentij, de quibus Cornel. Tacit. & Nouellij de quibus Plin. in Hiſt. Nat. ijs tamen vix quicquam ſupereſt præter vetuſtatem. Illuſtres verò Borromæi, ſiuè quatenus Ætruria profecti expendantur, ſeù de Vitalianorum trunco, nunquam non clari inueniuntur, nuſquam non eminentes; imò ſupereminentes; nam ſi fortè in titulis pares inueniunt plurimos, ſed in gloria ſtirpis paucos admodum; quippè ex eorum Arbore grandæua, non modo ſcuta pendent, lanceæ, loricæ, omnigenaque arma bellica atque faſces, verũ Sceptra ac Serta, cum Regia, tum Auguſta, Alma Thiara Pontificis: vſqueadeò Diademata ſupernorum Ciuium, Virginum, Martyrum, Confeſſorum. Tum verò opum affluentia facilius illis inuideri quam exæquari, ex opum autem præſtantia iure quis anteferri debet cæteris paribus, quia humanæ ſocietati ac Reipublicæ magis prodeſſe poteſt; quẽadmodũ ij de facto profuerunt. Salomon ſapientiſſimus idemque ditiſſimus, nil veritus eſt prædicare, quod ſicut protegit ſapientia, ſic protegit pecunia. Eccleſ. 7. uriſtæ quinetiam in concurſu, ditiores præponẽdos oſten-

oſtendunt, & habetur l. Honor. §. de Honorib. ibi Facultates. ff. de muner. & honor. Tiraq. de Nobil. cap.8. Cæpol. tractat. de Imp. mil. delig. 2. argum. §. auctorit. num.5. & 10. argum. §. diuitijs, Caſſan. 1. par. conſiderat. 5. & par. 2. conſid. 5. & par. 12. conſid. 58. Natt. conſ. 576. num. 10. & 638. num. 12. & num. 49. Cephal. 615. num. 19. Menoch. 126. n. 26. Vaſq. in præfat. ad controuerſ. Illuſt. num. 77. 78. & 519. hi potentiam ex opibus, longè cęteris pręualere latiſſimè deducunt. Palam autem vim ingentem diuitiarum, magnates Borromæos vna cum coruſco natalium ſplendore Mediolano intuliſſe. Quam latam porrò amplamque ditionem hic obtinuerint, cui nullus Baronum aut titulatorum noſtrorũ comparari valeat, imò tota quanta eſt Italia, ſi Sereniſſimos Duces tantum excipias, dicendum in ſequentibus. nunc ad opilãda obiurgatorum ora illud vnicè adnotandũ, quod humanæ prudẽtiæ anteſignanus Salomon prędictus, eam ſententiam inter Prouerbia 14. collocauit. In multitudine populi dignitas Regis. dignitatẽ verò augeri ad iuriſdictionis extẽſionem abundè tradit Dec. conſ. 161. col. 2. Caſſan. par. 5. conſid. 15. & 37. Vaſq. citata præfat. nu. 128. Menoch. conſ. 126. num. 15. & conſ. 257. num. 3. & nu. 57. & 58. Port. Imol. conſ. 167. num. 22. præter alios. Nec nobis officit quod nonnulli, anteriores haberi velint iuriſdictione; nimirum quia Feuda ac vaſſallorum ſeruitia prius obtinuiſſe dicantur; cum prioritas minimè attendatur, vbi dominationis amplitudo longè exſuperet; & né iura coaceruando moleſtus ſim, videantur

tur Allegationes in cauſa præcedentiæ Magni Ætruriæ Ducis, præ Ferrarienſi. Hæc verò de Inſubriæ finibus dicta ſunto; nam cæteroqui per ea quæ in ſuperioribus attulimus, vix pares inuenias DD. Vitalianis etiam dominatus antiquitate; quiputá præter enumerata Oppida, Patauinam Vrbem circumiacentesque, ſi non Regio titulo, Regia ſaltem poteſtate ac Imperio obtinuiſſe noſcũtur. Quãuis nec me latet, quoſdam his etiã oblatrare auſos, veterumque Vitalianorum ditionem inficiatos, ex eo quod nonniſi circa Ænobarbi Auguſti tempora, eiuſmodi Oppidorũ conceſſiones fieri cœperint, omninòque citrà milleſimum partæ ſalutis. Quandoquidam *Feuda*, vocari putantur quaſi Fidelitia, Imperij fidelibus attributa, ad Monarchici principatus tutelam; vndè nemo Iuriſtarum de vſu feudali ſcrpſiſſe inuenitur, antè Vbertum de Orte, Iacobumque de Nigris noſtrates. Hæc omnia vltrò libensque conceſſerim; Sed dico quod apud priſcos fuit iuriſdictio, ſi non Feudalis, certè Allodialis; ſeù dominatio iure dominandi, ab Imperatoribus quandoque conceſſa, interdum ſolo conſenſu populorum, quis enim denegarit Eſtenſiũ familiam, Pagi *Atteſtis*, clauum à primæua ſui origine tenuiſſe? ſimiliter & Angli Troia profecti progeniem, *Angleriæ*, ſuæ ad Verbanum? innumeros procliue eſt adducere, qui à ſeculis ius municipibus ſuis dicere conſueuerunt & poteſtatem in eos exercere; cuiuſmodi nunc *Feudetarios*, nuncupamus, quia Natura nouas ſemper properet edere formas, Cum ergo Vitaliani antiquitus Feuda obtinuiſſe referũtur, *Lib. 1. 2. 3.*

nihil

nihil falſum aſtruitur; tametſi dictio fortaſſe vſurpatur impropria, vel per Catacreſim, quia oppidanis præeſſe viderentur, recentum Feudatariorum inſtar. Eodem fermè ſchemate alij Diuam Iuſtinã Martyrẽ de Borromęis fuiſſe affirmant, ideſt de ijs qui poſtea Borromęi dicti ſunt.

Iamverò ad ipſum Vitaliani Octaui Arrogatorẽ Ioannem reuertamur, de quo illud adnotandum ſupereſt, quod filium ex ſibi dilecta adoleſcentula ſuſceperat (neque enim eum vſquam vxoratum reperi) quem *Venturinum* nuncuparat, (quiddam fortè alta mente preſagiens quod poſtmodum Dei perfecit gratia) eum et impenſę dilexit, mandauitque diligenter educari, & moribus ac litteris imbui: inſuper legitimationem ei impetrauit; nempè diſpenſationẽ ſuper defectum natalium, iuxta diſpoſitionem iuris; tandem letho propinquus, honeſtam ei legauit bonorum ſuorum portionem, qua ingenitã nobilitatẽ commodè ſuſtentaret. Huius plurima recenſentur geſta & acta inter libros rationum, & ſyngraphas paſſim, quę libens omitto, quod ad rem minus faciant. Vnum magnoperè intereſt, quod cum ętatis florem exceſſiſſet, Patre iamdudum defuncto; diuinę vocationis ſibilo eius auribus inſonante, paternam hęreditatem Vitaliano fratri liberè reſignauit, Apoca ſuper hoc confecta, quę adhuc extat: moxque occupationi ſeculari nuncium remittens, libertati ſeſe diuinę ſeruitutis copulauit, Regularium Canonicorũ amplexus inſtitutum, in Canonia Caſoretana tunc maximè celebri. Fuit is annus (iuxta quod ſuppu-

tare

tare potui ex vetuſta ſchedula carie obducta, eius ſeculi quadrageſimus ſextus, quo notanter prædictæ Societatis Clerici Canonici cum anteà à loco inſtaurationis, *Frigdionarij* dicerentur, titulum Saluatoris Lateranenſis indepti ſunt, deferēte ſummo Eugenio, & Patriarchalis Conſtantinianæ Baſilicæ adminiſtrationem recuperarunt, cuius cultui, cum ab ipſius fundatione primæua, per Diuum Silueſtrum adhibiti fuiſſent ceù primitiui Apoſtolicique, & eam deinceps amplius octingentis annis incoluiſſent, deturbati tamen à Bonifacio Octauo, totos centum & quinquaginta annos ab ea exularant. Ipſe Venturinus in Clericalis habitus ſuſceptione, Don *Baſilij* vocabulo ſalutatus eſt: continuòque ſancti Spiritus gratia virtutibus eum ornauit vberius: & præ multis participibus ſuorum chariſmatum vnctione perfundens, in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illū; eo quippè inter nos effulſit ſanctæ conuerſationis radio, vt & viuens perfectus ac integer crederetur: & moriens beatitudinis titulo coleretur. Quocircà illud vſurpare libet, quod de Moyſe loquēs pater Nyſſenus tradidit; nimirum vt Agriculturæ finis eſt frugum perceptio, Ædificationis ędium habitatio, Nauigationis diuitiæ, & Certaminis corona, ſic virtuoſæ vitæ finis eſt, vt ſeruus Dei ſis & vociteris. An non ergo quaſi diuinans *Venturinum* appellauit genitor? id nempè nominis quiddam ei portendebat felicitatis obuenturum; nam & *Propitiam ſortem*, nuncupamus Italicè *Ventura*, magis verò appoſitè Hiſpani pro *Beato*, enunciant *Bienauenturado*. Sed quorſum

S. Greg. Nyſſen.

præmiſſa luſtratici nominis variatio? cur ex *Venturino*, repentè *Baſilius*? id moris (licet nihil ſuper eo iure cautum inuenerim a,ut ſtatuto) apud eius profeſſionis alumnos inoleuit, ex quo Pontifex Martinus Quintus, nõnullas eorum Canonias quæ ſe reformationis dogmati ſponte ſubdiderant,in corpus formatæ Congregationis compegit, ſub vno capite; is ritus (inquam) inuectus inuenitur innouandarum nomenclationum in ſuſcipiendo Canonico habitu: vel ob cauſas ſuperius poſitas in Vitaliani Pontificis enarratione; ſeù (quod verius exiſtimarim) ad æqui- *Lib. 3. F. l. 1, 8* uocationem vitandam, quæ in numeroſo cœtu frequens ſubreperet, ſi plures cognomines admitterentur, quare declinandæ confuſioni id in conſuetudinem receptum, vt per ſingulas Ciuitates, ſinguli dũtaxat Canonici vno nomine potiãtur, vel retẽto, niſi alter nationalis adſit, vel certè immutato, vbi alius eius vocabuli prius Canonicatu inueſtitus reperiatur. Quandoquidem enim neque Ducis Themiſtoclis, neque Imperatoris Caij Cæſaris aut Sacerdotis Eſdrę memoria pollemus, vt vniuerſorum teneamus agnomina familiarum, vſus inualuit, vt de Patria paſſim, pluſquam de familia cenſeantur ac diſtinguantur, maximè inter exteros, & ritè; nam (vt exemplo vtar) qui Præpoſitum Don Gabrielem, ortum ignorarit familia *Cittadinorum*, eundem intelligibiliter exprimet dicendo *à Mediolano*; imò ſi Magiſtrum Don Seraphinum cieam, adiecta ea nota diſtinctiua *Anconitanum*, omnes eum agnoſcunt, non tantundem ſi dixero *de Carolis*. Itaque pro faciliori tantum intelligen-

ligentia Patriam efferimus vice cognominis gentilitij;cum nihil prohibeat eo etiam vti inter notos pręſertim: & eadem de cauſa ſingulis propria nomina reſeruamus. Quod addidiſſe volui,nè quis anceps teneatur,ob nominis diuerſitatem, vel ſi quandò pro Beatus Baſilius *Borromæus*, vſpiam viderit, Beatus Baſilius *de Mediolano*, vtrumque enim legi; quemadmodum & Don Seraphinus de Portis, diù huiuſce ſummi Tēpli Eccleſiaſtes,cuius ſuaſu & Caritatis ſubſidium vocabulo *Montem pietatis* erectum; & iuges nuſquam intermiſſæ ſupplicationes coram ſacroſancta Euchariſtia per Eccleſias ad vices expoſitę quas dicūt *Quadraginta Horarum* inſtitutæ recolūtur, de cuius manu Religioſi Clerici S. Barnabæ, in eorū gregationis fundatione,diui Auguſtini Canonem ſuſceperunt, In libris quos edidit,cognomine omiſſo, *Don Seraphinus de Firmo*, purè nuncupatur. Itidem Don Calixtus Furnerius, Prædicator Apoſtolicus,& generalis per totam Italiam hæreſum Inquiſitor, libros ſuos titulo *Don Calixti Placentini* mandauit imprimi. Sic & Decretorum Doctor Don Auguſtinus de Nouis, *Ticinenſis* duntaxat gaudet appellari. Atuerò Don Conſtantius Applanus, Euſebiuſque Conradus Mediolanenſes, Hippolitus Chizzola, & Aſcanius Martinengus Brixiani, Baſilius Zanchus Bergomas, Gabriel Flamma Venetus, Archangelus Rubeus Cremonenſis, Alexander Turrianus Cremēſis & cęteri quique,nihilo indoctiores deterioreſvè, cognomina adiecerunt. Iccircò exiſtimarim eiuſcę notę diſtinctiuæ appoſitionem, ſeù neglectū,

nequaquam inſtitutio aſcribendum; quin potius arbitrio ſtare cuiuslibet Scriptoris; quandoquidem nō Religioſi ſolum, ſed & laicorum plerique, eam prætərijſſe inueniuntur, qualis fuit Patauinus Cōciliator, qui ſe *Petri de Apono* duntaxat nomenclatione effert. Sic *Ioannes Ferrarienſis* Philoſophus, *Seraphinus Aquilanus* Poeta, Iuriſtæ *Baldus Peruſinus*, *Bartoluſque de Saxoferrato*, itē Hiſtorici *Euſebius Cæſarienſis*, *Appianus Alexandrinus*, *Diodorus Siculus*, & innumeri: quodque in re noſtra eſt, Relationes Indicæ, Auctori *Petromartyri Mediolanenſi* aſcribuntur, interdum & *Anglerio*, qui nobilibus Petrino de Serenijs, atque Anaſtaſia de Maletis, in Oppido Anglerię (quod DD. Borromęorum ditionis erat] ortus eſt, dum illuc genitores animi gratia diuertiſſent: fuitque Alexij Serenij Placentię Epiſcopi patruelis: necnon Vincentio Serenio, qui ex bonis patrimonialibus pium locum *S.Coronæ* fundauit, quarto gradu propinquus. Is exotericis idiomatibus & in rebus gerendis ingenio perquam verſatili prędictus, Legatum egit Luſitanię Regis apud Soldanum Ægypti: tum ad Antipodas progreſſus, eorum mores perſcrutatus: omnium primus litteris conſignauit; dum verò in Regionibus adeò remotis conuerſaretur, ſatis ſe cognitum iri exiſtimabat, ſi patrium efferret titulum, etiam tacita Familia; (ſicut & Magiſter ſententiarum patria Nouarienſis Inſuber, cum in Gallijs moraretur Pariſiorū Antiſtites, *Petrum Lombardum* ſe ſe appellitari gaudebat, natione pro ſufficienti notione vtens) qui autem eius ſcripta typis excuſſerunt, minus curarunt de

gen-

gentilitio eius cognomine veſtigando, eo vſi quo ſe ipſe compellabat. Sed iam ad penſum (vt dicitur) redeo. Ecce quod (ſicut adnotauimus in Iornando) non eſt acceptio perſonarum apud Deum Rom. 2. nec eſt abbreuiata manus domini vt ſaluare nequeat, Eſa. 59. etiam illegitimè ſatos, qui virtute ſæpè viſi ſunt dedecus correxiſſe, & cohoneſtaſſe naturæ. Et ſiquidem eiuſmodi, *Mancos* aut *Læuos*, quidā ſubſanando dictitant, ſupernæ Ciuitatis contemplator, deſcribens Apoc. 21. quod ab Ortu illius pateant portæ tres, totidemque ab Occaſu & Auſtro, ſubdit nihilominus, Ab Aquilone portæ tres, tametſi in ſiniſtra collocetur, vt dictum; nimirum vt vndique ad eam accedi poſſe, & vndecumque ad eam intrari demonſtret, cuicumque tandem genitrici vitæ munus iuſti ferant acceptum. Cuius rei, nè mox citatum ſententiarum Magiſtrum iterato, Petrumuè Comeſtorem magiſtrum Hiſtoriarum, aut Gratianū Pontificij Iuris compilatorem, teſtes aduocare laborem: qui & ipſi inter Beatos cenſentur: aliosque Viros vndecumque clariſſimos; quantumuis ea pridem labe ac vitio notatos, vnus ſufficiat beatus noſter *Baſilius*, ex conciui noſtro ciuis effectus ſupernæ Ieruſalem & domeſticus Dei. Eius habetur memoria penes Chronica Don Io. Mariæ Mediolanenſis ac Don Philippi Nouarienſis: inſuper & apud F. Paulum Morigiam, extat quin etiam eius effigies in pariete cuiuſdam cubiculi huius noſtræ Canoniæ, olim & Caſoreti viſebatur, ante nouam ſubſtructionem; illic quippè curſum fermè dierum ſuorum peregit. Ipſius porrò no-

Lib. 2. Fol. 143

mine aliquot poſt annis (né degeneri attribueretur deinceps alicui) inſignitus inuenitur Alexander quidam filius Simonis Magentæ ex ſexaginta Vrbis noſtræ decurionibus, ac Luciæ Gaſpare de Vicecomitibus natæ Præſidisque Ludouici frater ; is inquam Alexander Magenta, dum clericalem habitum noſtrum aſſumpſit *Don Baſilius*, nuncupatus eſt, poſt Beatum de Borromæis, diùque ſatis vixit in Societate noſtra, egregius Theologus habitus, & inter eius ſeculi præcipuos, tandem Regij lepidi deceſſit, dum Moderatorem ageret Canoniæ S. Mariæ Gratiarum. ſucceſſit proximè eiuſdem nominis hęres, Don Baſilius de Foppis à Vicomercato, vir ſanè acer ac ſpiritu feruidus, neque à Muſis abhorrens, imò reconditæ litteraturæ expetentiſſimus, qui nec de ſuggeſtu incondité concionaretur. Hunc ego ſub extrema eius vitæ tempora cognoui, Canonię Caſoretanæ Abbatē: ipſoque decedente; tametſi meritis longè impar, inſigni Dei beneficio, id vocabuli ipſe demum ſortitus ſum, miſellus & iners, qui vtinam non penitus degener deprehendar, aut temerator eius munditiei, quā à magno Cæſarienſi olim, & nouiſſimè à Beato ipſo Borromæo, nomini huic deriuatam atque inditam perſentire videor.

Margaritæ Borromeę Ioannis ſorori, Iacobique quondam coniugi, ac Vitaliani Matri, fatalis dies fuit, decimus nonus Iulij, anni vigeſiminoni poſt milleſimum ac quadrigenteſimum. Ioannes verò obijt die nono Nouembris anni trigeſimi primi. Cum prius Nepotem ſuppreſſo Vitalianorum titulo,

de

de Borromæis ab omnibus nuncupari curaſſet : eundemque ſibi aſciuiſſet in filium:ac hęredem inſtituiſſet omnium bonorum ſuorum. Excellens profectò Herois Elogium;ſiquidem Teſtamenta,non tam vltimę voluntatis conditorum ſunt ſpectacula, quam eorundem probitatis ac iudicij inditia, ſpecula atque teſtimonia. Enimverò de familię Inſignibus,placuit ipſi Ioanni leganti, ſimulque Vitaliano recipienti, vt vtriſque retentis, *Camelus* adijceretur ingeniosè excogitatus, non quidem erectus,ſed procumbens adhuc; nè quandò ex eleuatione typici animalis, elationem quiſpiam ſuſpicaretur in Auctore, vel quaſi maiori adhuc ſarcina ſe præſtolaretur onerari (non hic Camelus ille quem Saluator inducit exaggerandæ difficultati,qua diuitiarum amatores & cupidi,ab ingreſſu prępediuntur Regni Cęlorum. Non animantem denotat Enangelicus Camelus Mar. 10. Sed nauticũ rudentem, iuxtà Hieronymum ac Theophilactum; imó iuxtà rationis conuenientiam; nam & Gręca exemplaria habent *Camelos*, ideſt craſſus funis, qui nihilominus per acus foramen immitti poteſt;nimirum ſi diſcriminetur,& in fila diuidatur.Quod eximiè perfecit Vitalianus, bona largè diſpergendo & pauperibus erogando, vt dicemus) verum cum Vitalianus,Marinis vndis,Camelum adiungi cuperet, Borromęus cenſui quaternario explẽdò,Conũ quoq;adijci voluit Rubrobarbi, qui erat Coronata *Humilitas*; memor ſcilicet quod Federicus dudũ Auguſtali faſtiſtigio ſublimatus, proſapiam ſuam tum fulgenti elaitate illuſtraſſet: tum & ad tantum prouexiſſet opu-

lentię. Ea itaque lege pactum eſt, vt quadripartito Albo ſiue Scuto; nimirum linea in crucis ſimilitudinē diducta, priori ſublimiorique parte Antenoreę ceruleę fluentes *Vndæ* locarētur, tamquam vtrique originarię ac indiuiſę. quibus è regione Sueuorum *Repagula* rubra, viridia, & alba appingerentur. Proindè aurea ſubtus rutilaret *HV. MILILAS.* á cuius latere proſtratus reſideret *Camelus*. Hęc ſancita ac vtrinque iureiurando obfirmata ſunt, ſub tali fermè forma contractus. Ea Mediolanenſium Borromęorum inſignia gentilitia ſunto, nec amodo variantor, & cęt. Eiuſmodi compactionis diſſimilium, Carolus magnus Gallię Rex auctor fuiſſe perhibetur; cum ex Apoſtolicę Sedis vindice, Romanorum acclamatus eſt Imperator; bicipitē namque *Aquilam* coagmētauit *Lilijs aureis*, idque paſſim imitati poſtmodum Principes priuatique, pro Facinoribus, ſiue cognationibus, vel ex priuilegio. Id in clariſſima hac familia concordi voto, & (vt fertur) de conſenſu partium decretum, deinceps à ſucceſſoribus inuiolabiliter ad hanc diem ſeruatum nouimus, etiam ſi nonnulla adiecta, vt ſuis locis.

En tibi Candide Lector vera ac germana nitentis Stemmatis, & innouati Agnominis cauſa atque origo, in quo ſcilicet nihil corruptum, vitiatum nihil ſuſpiceris, ſed duo velut rami duntaxat in vnum conſerti; quos tamen eodem trunco olim germinaſſe oſtendimus, nec verò culpandi Heroes, quaſi à priſco deſciuerint, nouumuè quidpiā aut inſolens auſi ſint, Familię quoquomodo titulum aut inſignia alterātes;

quan-

quandoquidem pronum foret tota plauſtra exemplorum conuectare. Ducum ſcilicet, ac Procerum, qui idipſum factitarũt, ni faſtidiũ tuũ Lector vererer, quare vno, vel alio ex noſtratibus contentus eſto. Cum de anno ſalutari nonageſimo ſexto vltra milleſimum, ſedente Vrbano Secundo, qui fuerat antea Don Otho à Caſtellione Gallus, Canonicus inſtituti mei, vt ex Ciacone liquet. Gothifredus Buglioneus ſacrum bellum adornaret: Pontifexque Principes omnes, ac Ciuitates ad id hortaretur, inter cæteras hæc Regia Inſubrum præſtò fuit, nec vltimo quidem loco; Alam enim electorum auxiliariorum conſcripſit, qui volentes & ardentes ſe ſe obtulerũt, pedites & equites ad ſeptẽ millia, his Duces præfecit turmatim, inter quos Rocium Corteſelam, qui & Eccleſiæ Sancti Sepulchri Mediolani, Ieroſolimitanæ inſtar conſtructæ Auctor fuit præcipuus. Sed q̃ noſtra modo intereſt, in his claruerunt Primipili, copiarumque Ductores, Ardericus ac Mulielmus, ambo à Rhaude, ac præ illis, Ioannes ex eadem familia ſupremus Mediolanenſium Ductor, vt ex Chronicis Galuagni, & Archiepiſcoporum, in vita Anſelmi. Licet Corius, ac nonnulli id primatus aſcribendum malint Othoni Vicecomiti (qui alioqui dux inſignis, ſtrenuus robore, & ſtaturæ proceritate ſpectaculo dignus) Rhaudenſem phalangis Anteſignanum aſtruentes. Quod non ex delectu, ſed ex actu metiri videntur; quia videlicet Ioannes victoriæ ſignum ſuper Moenibus Sion expandit, ergo Vexillifer. Otho quia cum Principe conflixit ergo Princeps. Ioannem Strate-

Alphõ. Ciac.

Chron. Galu. Crhon. Arch. Bern. Cor.

Mmm gum,

gum, & Mediolanēſiū copiarum Imperatorem, præter ſupradicta, Chronicon etiam cōteſtatur vocabulo Flos Florum, ac Boſſiana hiſtoria. Nec quemadmodum in nouiſſimo hoc bello Subalpinati quo Vercellæ expugnatæ ſunt, Camillus ac Philippus peditum Capitanei fratres, Tribuno ſuberant Hieronymo natu maiori (hi quippè Cæſare Auguſto quondam Rhaudenſe orti, opima reuexerunt militaris laudis ſpolia) nam & alij ſimul interfuerunt auctoritate pares; Tribuni inquam, vel Mareſcalli, vulgo *Maſtri di Campo* ex conciuibus noſtris, Ludouicus Gambaloita, Fabritius Sfortia, Io. Baptiſta Pecchius, Petruſque, ac Ioannes fratres Sorbellonij. Nec inſtar Barnabæ Barbouis Collateralis, ſiuè generalis totius Regij Exercitus Commiſſarij, nunc Vercellarum Gubernatoris (ij enim Mediolanenſes præcipui habiti ſunt) verum Ioannes caput extitit totius Mediolanenſium phalangis, Dux ducum, & poteſtate ſupremus, ita vt liberè affirmare audeam, quod Salmonenſis Poeta de Agamemnone.

Flos Flor. & Boſſ.

Tantalides omnes ipſumq; regebat Achillem.

Epiſt. Heroid.

nimirum Ioanni cum cæteri Duces noſtrates, tum & ipſe parebat pugnaciſſimus Otho. Itaque felicibus auſpicijs itum eſt, nuſquam irrito conatu, nullis aſperitatum difficultatibus ignem celitus in fidelium oſſa demiſſum extinguere, aut retardare præualentibus. Cumque iam Caſtra in conſpectu hoſtiū poſuiſſent, apparuit quidā barbarus ſtirpe Gigantum prognatus (vt relatum eſt) *Volux* nomine, qui trans Iordanem principabatur, Monomachiam indicens cuilibet

Chri-

Chriſtianorum. Et ad ſingulare certamen vnumquemque prouocans. Tũ exercitus Principes, atque ductores vniuerſi, coacto conuentu; cum plurimi ad id honoris aſpirarent, neminem tanto muneri ex quo publica penderet exiſtimatio, vno Othone Mediolanenſi Capitaneo aptiorem cenſuerunt: nec quippè ſpe fraudati ſunt; congreſſus namque, immanem Thracem validè interemit, ac obtruncauit, tulitque Colubrum exiliente infante, quem pro Galeæ Criſta, inque Clipei proſpectu is gerebat inſculptum (fama eſt ea Alexandri Macedonis, quondam fuiſſe geſtamina, quod ſe Ioue Ammone ſatum venditaret) pluries dimicatum eſt minutis pręlijs, acieq: inſtructa, ingenti ſemper Chriſtiani nominis gloria: Prouinciæ ac munitiones, fortallitiaq; ſubacta, hoſtes crebrò latèque profligati, tandem ipſa Ieroſolymorum Ciuitas obſidione cincta; quæ cum ſalebroſo acceſſu, mœnium firmitate, ac præſidiarijs acerrimè propugnantibus diú reſtitiſſet; bellica tandem Latinorum virtute, Machinarum impetu, atque conſtantia pertinaci, propitio numine deuicta captaque eſt. In eo certamine poſtremo ſcilicet; dum vndiq; vrbs Deo dilecta arietibus, & baliſtis quateretur, ac perſonarent omnia armorum fragore, clangoreque tubarum, Rhaudenſis Ioannes Inſubrum Dux vt prædictum, opportunitatem nactus, ſcalam muro admouit: peltaq. ſuper caput elata, ac dextera ſignum gerens, tamquam telorum, ſaxorum, lignorum grandinem, ſeu imbrem deſuper irruentem minimè ſentiret, ſocijs tamen pro eius defenſione ſagittas & ia-

cula in muri cuſtodes contorquere nuſquam deſiſtentibus, celeriter ad aggeris ſupercilium peruolauit, diffugientibus hoſtibus, nec robuſtiſſimi viri firmo veſtigio per mœnium crepidinem vadentis ferocitatem ſuſtinentibus, cuius per exiles gradus aſſilientis, curſum immiſſis trabibus, ac pinnarum mole, intercipere nequiuiſſent, aut remorari. Quare homo impiger expanſo in altum Crucis vexillo (ea enim fuit teſſera vniuerſis ad terræ Sanctæ expeditionem accinctis; nimirum rubricata Crux, in candido lintheo formata) tantum Maumethicis incuſſit timorem, vt viribus fatiſcerent, & animis omninò cõſternarentur. Hic veraciter ex citatis auctoribus à Gothifredo murali corona donatus, quod omnium primus Sacroſanctum Cœloque rutilans vexillum, arcibus Syon intuliſſet, quicquid ceteri comminiſcantur poetica licentia. Cum autem exacto bello copiæ domum redijſſent, Rhaudenſiſque tropheum *Crucis*, ac Vicecomes *Colubri* decorum inſigne retuliſſet; huic quidem permiſſum eſt vt eo ſtemmate pro ſe, ſucceſſoribusq; ſuis vteretur, ſuppreſſis etiã alijs notis, vel imaginibus, quas gens Vicecomitũ gerere conſueuerat; quoniã verò nõ tam ſibi, quam Patriæ militaſſet, quin & meruiſſet, viſum eſt Senatui populoque Mediolanenſi, vt idem ſignũ Romanę Aquilę iunctũ, pro Reipublicæ, ac totius Inſubrici Regni emblemate aſſumeretur. & decreto obfirmatum immutabili. Idque deinceps non ſolum ipſi Vicecomites Principatum adepti, ſed poſt eos et Domini Sfortiadæ, & Valeſij Reges, & nunc perenniter obſeruant Auſtriaci.

nempè vt quidam eleganter, Ales victoriam, virtutem denotat Anguis. Similiter & victricis *Crucis* qualem Ioannes reportarat, Decuriones, Vrbis noſtrę fore decreuerunt peculiare vexillum; quod & plurima circum circà Oppida, ac Ciuitates deinceps imitatas fuiſſe contuemur. Impetrauit ipſe Bellator ſibi ac poſteritati ſuę, vt idipſum geſtarent, vti proprium inſigne: nec de cętero à *Rhaude*, ſed à *Cruce* denominarentur, ob præclarum facinus perpetim recolendum. Cum tamen ipſa Rhaudenſium familia inter claras cenſeatur ac Illuſtres, quæ præter Anſelmum Archiepiſcopum, Petrum dederit Cardinalem Bibliothecarium Sãctæ R. E. ſub Alexandro ſecundo Pontifice, alioſque præterea, armis ac diſciplinis illuſtres: & nunc item claret Alexandro dudum celebri Legum interprete, eiuſque filio Paulo, eximio Aduocato ac Conſultore. Ergo à pari, ſi Othoni glorioſum fuit, veteribus domus ſuæ notis ſublatis & abraſis, *Serpentem* Scuto defixiſſe virtute partum: & Ioanni itidem ſigna mutare, inſuperque pro *Rhaudenſi* nuncupari *Cruceium*, vt Chronica latè proloquuntur; non video quidnam abſurdi conſequatur, aut in quo legitimè carpendus Vitalianus, quia ſe Borromæum dici acquieuerit, expetieritué: & *Marinis fluctibus* colorata iũxerit *Repagula*, paſſus etiã vt eis aurea adijceretur *Humilitas*. Et eo magis quia nihil amplius iuris Gaſpari, aut Anaſtaſio competere potuit ſuper inclyto cognomine *Bonromani*, quod per armipotentem Ioannem olim partum retulimus, quam Paulo eiuſdem primogenito, totiuè nepotum ſoboli: nec ipſe Paulus dum *Vitalianorum* agnomen, vniuerſa Fol. 490

Veneta prouincia iampridem celebre retinere maluit, futuræ poſteritati præſcripſiſſe, aut præiudicium intuliſſe dicendus eſt; quin eius progenies idipſum ſibi aliquando aſſumeret. Mirum cuipiam videatur, nec ab re forſan, qui fieri poſſit vt cum adoleſcens Vitalianus ità Arrogatoris Auunculi inſignia ſibi adaptarit, vt tamen paterna non omitteret, quinimò hæc pariter atque illa in Scutum compingi curaret: cur non etiam idem in cognomine præſtitum: cur non duplici quoque ſe expetijt titulo cõpellari; nimirum *de Vitalianis Borromæis*, quemadmodum ijſdem fermè de cauſis nuncupari audiuntur Co. Fabius Vicecomes Borromæus, Com. Hieronymus Moronus Stampa, Vicarius Prouiſionum D. Franciſcus Maria Serenius Medicæus, I. C. Henricus Arſagus Riuolta, conſimiliter alij. Quæſito paucis ſatisfacit Cauatius inquiens, propterea omiſſum, quia omninò conſtaret Borromæos ſerie genuina, germina eſſe Vitalianorum, & à Vitalianis exortos, vt in Auſtrali oſtẽſum; ab his quippè illos profluxiſſe nulla vmquam tempora inuoluent. ſic Meſſerani Princeps vniuerſaque *Ferreriorum* propago, quę quatuor iam dedit R. E. Cardinales, eadem quæ Florentiæ de *Acciaiolis*; indè enim ortum ducit: ſic Paduæ qui olim *Carrarienſes*, nunc *Papiſauij*, vt ex Cauatio lib. 4. Sed quid adhuc vagor, cum ſimile mox retulerim in *Cruccio*, ex Rhaudenſi? & ecce in hoc quoque impletum magni Ioannis Bonromani deſiderium, vt pręlatum in Auſtrali. nam & nati eius tranſmigrantes; non vocabulum modo abrogarunt Vitalianorum, Verum & able-

Iacob. (margin, beside "ta, conſimiliter alij")

Fol. 183 (margin, beside "ſum; ab his quippè")

Fol. 190 (margin, beside "Auſtrali. nam")

& ablegarunt ſigna, vt in Boreali. Quod ſi quis adhuc in dubium reuocet allatam narrationem de germanorum iuuenum propagatione, ex quo Patauio valefacientes in Sueuiam cõtenderunt; habent quippè Zoili cur ſuſpectam cauillentur hiſtoriam; cùm præſertim Scriptores non affatim cõueniant; aſtruẽtibus quibuſdam quod Vitaliano tertio nati eſſent & Ioannis fratres: quodque Conſtantinopoli profecti eſſent, vt attigimus. potiſſimum verò quia per tot annorum centurias, ipſorum ac ſucceſſorum nomina velut obliuionis gurgite merſa deſiderentur. Dico quod ea quantum in me fuit, fideliter exarare ſtudui, quæ ex vetuſtate omnium rerum confectrice eruere datum eſt: & ſicubi veritatis euidentia minus elucеſcere viſa eſt interdum, at certitudinis vicaria probabilitas ſuffragari minimè deſijt; abſtinui è contrà ab his conſcribẽdis, quæ certis ſaltem traditionis teſtimonijs carere animaduerti, nè veritatem aliqua ex parte læderem, aut in diſcrimen vel minimum adducerem. Inſeram verò & grauiſſimi Scriptoris Turantij Caſellij execrationem, in hanc ſententiam lamentantis, væ Gothico ſeculo, in quo non modo capite minutum eſt Romanum Imperium, verum etiã litteræ ad internicionem occiſæ, ſeù nube quadam obductæ ſunt: & Bibliothecæ non ſolum ritu ſepulchrorũ clauſæ, verum incendio flammiſque conſumptę. hęc doctiſſimus vir, libro variarum Lectionum. Porrò quęcumque lata temporum intercapedine à ſeculis noſtris remota, mentis oculis contemplamur, ea nonniſi confusè, & imperfectè perſpicimus; perin-

Fol. 169. 190.

Turan. Caſ.

dè ac ſenſu, quæcumque loci interuallo pluſculum diſtant, adhibitis etiam ſpecillis, indiſtinctè percipiuntur. Propterea in antiquis vel ſimplices coniecturas ac præſumptiones admittūt optimi Iuriſtarum, quia difficilis probationis alias exiſtimentur. Bal. in l. Quicumque pen. col. C. de ſer. fugit. Bart. l. de pupillo. §. ſi quis. Iaſ. in l. prætor ait. col. 3. & conſ. 65. volum. 3. Dec. conſ. 445. num. 15. imò & ſola fama licet regulariter ſemiplenam probationem efficiat; tamen in antiquiſſimis plenè probat, Aret. conſ. 36. Cuma. conſ. 150. Alex. conſ. 187. num. 21. volum. 2. Dec. conſ. 321. num. 8. & cęteri in authen. ſi quis C. de eden. Hinc eueniſſe putarim vt quidam Auctores, cum audiſſent, vel legiſſent Iacobinum eadem ſtirpe propagatum, qua & Margaritam coniugem: accepiſſentque eum iiſdem inſignibus vulgò *Arme* vſum fuiſſe, cauſas verò aut origines eius identitatis minimé peruaſiſſent, aut fuiſſent aſſecuti. Vel etiam quia non ſatis perciperent, quo pacto eiuſdem filius ritè, ac legitimè de *Borromæis* cenſeretur, quem conſtaret patre de *Vitalianis* genitum. Cum (inquam) illis Dextrum Scylla latus, lęuum implicata Charybdis obtinere videretur; vt ancipitis laberinthi tricas, vel tranſiliendo euaderent, memoriæ tradiderunt, quod Iacobinus ipſe, alioqui (vt aiunt) omninò *Borromæus*, ſuppreſſo vel ementito nouo cognomine, vetus aſſumpſit; nempè *Vitalianorum*, metu Tyranni Carrarienſis; vtque eum falleret; qui putà Borromæos odiſſet impensè. Verum (cum ipſorum venia) nimium languere, vel claudicare cōſpicitur excuſatio;

 qui

qui enim fieri poteſt vt Dominum Carrarienſem in eadem Vrbe enutritum, lateret Iacobini viri primarij origo? qui illi intimus fuiſſe deſcribitur ac perquam familiaris: quo & pluries vſus fuiſſe perhibetur Legato ad Principes & Venetum Senatum. Nos ergo Deo miſerante filum Theſeium nacti, rem in Occidentali proſpectu ſatis elucidauimus; dum Iacobi ipſius lineam, nequaquam à Gaſpare aut Anaſtaſio, ſed à Paulo primogenito deriuari oſtendimus. Cuius nimirum deductionis veritati, ſupraadductum quoque Ducale priuilegium adſtipulatur, dum eiuſdem Iacobi filius, ex *Vitaliano*, cognomen induit *Borromæi*. Quin & argumentum ab inſignibus corruit; cum illa nonniſi poſt initum coniugiũ probentur á Iacobo aſſumpta. Verè quidem vna eademque origo Iacobino ac Margaritæ iugalibus; ſed antiqua vt ſæpè dictum; non autem cognomen nuper ementitum pro declinanda Carrarienſis veſania, quemadmodum hi comminiſcuntur. Eatenus conſanguinei D. D. Vitaliani Borromeique, quatenus à Ioanne primo de Vitalianis qui *Bonus Romanus* dictus eſt (vt in Auſtrali pertractatum) horum pariter atque illorum linea deducta probatur, & non alias nec alio modo. Et hac quidem amuſſi cuncta rectificantur: hac facle cauillorum ambages demetuntur affatim. At ſunto hæc vtcumque, reluctantor qui voluerint, Sueuos Principes minimè à Vitalianis proceſſiſſe, euincunto ſi fas ſit, neù Borromæos ab Ænobarbo: fidemque hiſce commentarijs, & antiquis Familiæ Arboribus, ſyngraphisque, ac ve-

Nnn terum

terum monumentis abroganto. Certè nihil de Borromæorum fulgore detraxerint, (noſtratum dico) quos fœminea tantum generatione ab eis originem traxiſſe oſtendimus; nempè per Margaritam. Maſculina autem Iacobi progenie, prorſus Vitalianorũ ſemine ſatos. Ipſi ſibi viderint domini Borromæi Patauini, Hætruſci ac reliqui, á Comite Borromæo per Antonium, ſiuè alias quomodocunque à Philippo Barbaroſcij nepote originem ducentes. Quòd dicò nè quis me hæc commentum cauilletur in gratiã noſtratum, quorum ſanè minus intereſt (vt præmiſi) quàm cæterorum ex maſculina linea deſcendentium; quos nihilominus antiquo Vitaliani ſemine propagatos nemo ritè inficiabitur, cum id conſtantiſſimè ſuccedentibus ſibi temporibus tutati ſunt Scriptores omni exceptione maiores omni dubietate ſemota. Extat verò Sapientum aurea ſententia referente Apuleio. Omnia quæ ex vetuſtate habemus, tamdiù probanda, quandiù illis meliora non pepererit ſolicitudo recentum. Per Topicas etiam Regulas, ſoluitur falſa oratio, ſi eius interimantur principia & cauſæ; neque enim ſufficit dare inſtantiam, aut comminiſci inconueniens.

Lucius Apul.

Ariſto.

Quibus vnum addere lubet pro Colophone. Ex inueterata opinione conueniunt omnes cum antiqui Scriptores tum neoterici, Borromæorum truncum, ſeù ſtirpem, antiquitus ac primæuo Satu Patauij ortã, procedente verò tempore ad varias regiones ramos protendiſſe, quod nè Phanaſius quidem Campanus reticendum putauit. Atuerò ſi de Borromæis purè

Phanaſ. Campa.

ac

ac ſimpliciter ſit ſermo, & quatenus tales; ex quo *Scard.*
videlicet id vocabuli vſu receptum eſt, per ea quæ in *Ongar.*
præmiſſis omni fide protulimus, liquidò conſtat, Phi *et innu*
lippum (qui indubiè à Sueuis Principibus ortum *meri.*
duxit, ex collatione inſignium, ac ſtemmatum, atque Arborum gentilitiorum ſerie) Sanminiato pulſum, primò Mediolanum adijſſe: eiuſque natos inibi ciuilitate donatos, demumque Antonium Comite Borromæo genitum, ſedem Pataùij primitus locaſſe. Quicumque ergo Borromæos antiquitus, Vitaliani ſtipitis propaginem eſſe denegant, non tam nobis quam conſonantiſſimo vniuerſorum conſenſui aduerſari noſcuntur; nimirum aliàs Patauio profecti nuſquam probantur, ſed Sanminiato ac Mediolano, Patauium ſe contuliſſe. Et hæc in veritatis ſubſidiū ſiuè (vt fertur) ad abundantiorem doctrinam, & cautionem ſubnectere iuuat; cùm cæteroqui ipſa Sueuorum monumenta documentaque fidiſsima, traditio ac libri memoriales, de traducta à Vitalianis ſtirpe, omnem abigere ſufficiant hæſitationem. Quamuis non me clam eſt, nonnullos Diui ipſius CAROLI originem abs familia *Anitia*, ſiuè *Claudia* deriuare contendiſſe, imò & audiui de alijs quod aliundè etiam lineam hanc deducere nitantur; prout capitum ſuorum chimeris ſuffragari vel deſeruire exiſtimant: idque cum germana argumentandi ratione nequeant, luculenta oratione perſuadere nituntur; verum ſolerti ac ingenioſo Lectori, minimè ſpectandum quam ornatè ſcripſerit quis, ſed quam verè. Ariſtoteles autem cum aliquando di-

cat, ſtultum eſſe quolibet contrarias opiniones ponente ſolicitum eſſe; alias tamen nos docet, nemini quicquam concedere quod non in omnibus aut certè in plurimis, ità ſe habere perſpectum ſit. Tandem vela legon

VITALIANVS itaque Iacobi ac Margaritæ filius, *de Borromæis* ex adoptione ac Principis reſcripto nuncupatus; & in priore quidem Vitalianorum Patauinorum ordine Octauus; aſt in Mediolanenſiũ Borromæorum ſatu primus, ac limen ſeù lumen, & vtriuſque familiæ decus comprehendens, vniuerſa Ioannis Auunculi ac patris hæreditate potitus eſt: cunctaque in ſe tranſtulit, & cum incremento, vti deinceps. Hæc de ſumma Coronide.

Et hic conſummata Stylobates.

Illuſtriſſimo Domino ſuo Colendiſsimo

C O M I T I

FABIO VICECOMITI BORROMÆO.

D. Baſilius Serenius,

Feliciter ad votum valere.

Corporei ſenſus aciem ad obiectum excellens aut immoderatum hebeſcere atque obtundi, Mentemq́ contrà maiorum intelligibilium contẽplatione acutiorem effici ac nobilitari: & altiſsimarum rerum apprehenſione confortari, non modo Theoria perſuaſum, ex libris qui de Anima, *titulo inſcribuntur; ſed praxi & quotidiano docemur experimento. Id cum mihi crebrò accidiſſe recolam; tum verò in clariſsimæ phalangis huius exequenda narratione, ſi inficias ire velim, ipſa me ſcripta mea redarguunt. Initio quippè prolixam longæuæ originis ſeriem, multijugis anfractuũ difficultatibus implicitam contuens, animum propè deſpondi; tamquã ſenſibus obductis, vel ad emicantem ſplendorem allucinatis, vel certè molis ponderè perterrefactis; quamobrem conſilij inops, ad mæchanicas artes confugere: et abs fabrilibus exemplar mutuari compulſus ſum, quod naturalis cuiuſcumque operis imitationem, vires meæ planè fatiſcentes atque conſternatæ refugerent ac omninò detrecta-*

rent. At uerò collectis animi viribus, reque meditatius introſpecta, paulatim ex ipſius materiei præſtantia, multum in me vigoris deriuari et quaſi admotis calcaribus me incredibiliter vrgeri expertus ſum; maximè cum litterarium hoc ædificium Peritorum cenſuræ dijudicãdum ſubieciſſem: iamque illud paſsim eruditorum audirem commendatione probari; tunc enim non potui de eo peſsimè exiſtimare; quin potius mecum ipſe reputans animosque colligens, parũ duxi vſitata ac regularia cunctiparentis Naturæ opera, quibus admirationem ademit aſsiduitas æmulari; vt quemadmodum illa fructus ab arboribus eductos, Phœbo ſtatim exponit concoquendos, quo matureſcentes arrideant guſtui; ita fœtum hunc qualemcunque in publicum efferre maturarem ac inuulgare, ſi quandò cuiquam prodeſſe daretur, aut gratificari; Verum ad ſublimiorũ imitationem aſpirans, ſingulos Stylobatæ proſpectus, ſiuè Elogiorum libros ſeptem, totidem infixis Principum nominibus, condecorare ac illuſtrare perexi; quemadmodum et illa, iam indè à Mundi exordio, ſingulis Aſtris, totidẽ inſigniuit Sphæras Planetarũ (illa inquam) nimirum Cauſas quibus Deus Optimus in indiuidualium quorumlibet procreatione adminiſtris vtitur, ceù vicarijs executricibus; vno Naturæ *vocabulo ritè nuncupamus. Nam ſi etiam excellentiſsimum Creationis opus, omni cau-*

ſalitate ſemota, vni immediatæ ac liberrimæ omnipotenſis iuſsioni aſcribatur inimitabili; nec iccircò tamen ſtudium meum ad id faſtus referendum, quo perduellis quondam Angelus, ad ſummi Tonantis æqualitatem temerè nimium perlatus eſt expetendam; potius verò inditæ illi tribuendum imitandi propenſioni, quam vt ad diſcendum alliceret ac prouocaret, tanta delectatione perfuſam inſeuit, qui finxit ſingilatim corda noſtra: qua vel paruulos noſtros vix auulſos ab vberibus, dum ſeria virorum conamina inſectari geſtiunt, videmus pro modulo ſuo; vt lepidè ſcripſit Flaccus,

Ædificare Caſas, Ploſtello adiungere Mures,
Ludere par impar, Equitare in arundine longa,

Annon enim & Coſmographi Mathematicique Maris, Terræ, Æteris, Situm, poſitionem, motum, typis ac exemplis cartaceis, ligneis, æneis impunè conficiunt? Firmamentum Syderibus reſperſum, Tropicosque & Signiferum figuris diſtribuunt ac metiuntur, et quod Homerus ait,

Pleiadesque, Hyadesque, & robuſtum Oriona,
Et glacialem Vrſam, Plauſtri cognomine dictam:

Orbiumque diſtinctiones, Solis ac Lunæ acceſſus & receſſus, volubilibus circulis ac imaginibus aſpectabiles repræſentant immunes à delicto? Nemo igitur iurè audax mihi facinus impoſuerit: nullusque amodò ſtructuram hanc aſpernabitur, ex quo gem-

nis adeò pretioſis rutilantibusque eius ſuperlimina-ria conſignaui. Et quid dico lapillis? imò Aſtris; (nam vtrobique metafora agendum) Stellarum *autem vocabulo inſignes Heroas notari, obuium ſæpè, ſacra profanauè ſcripta euoluenti. Balaam de Saluatore vaticinatur futurum, vt oriatur* Stella ex Iacob. *Et ſemen Abrahæ promittitur multiplicatum iri ſicut* Stellas; *ideſt clarificandum viris illuſtribus. Sic Daniel fore prædicit, ſed verius prædicat, vt effulgeant Doctores. Et Naſo Maximũ ad quem ſcribit de Ponto,* Sydus Fabiæ gentis, *appellat. Quod meminiſſe iuuat; vtinam enim abiectionem meam benigno foueatis aſpectu Aſtra nitentia: Vos inquam luciflua sydera fuliginem meã gratioſè perfundatis, cæleſtium corporum inſtar, quorum radij in terræ conuexum rectiſsimo continenter procidunt lapſu. Porrò quemadmodum infimam Stylobatæ Baſim inniti decuit Illuſtriſsimo D. M. Federico Chriſtiani Orbis Cardini, iure ſublimius hoc immediatumque rationalis Coloſsi Scabellum prorſus tibi ſeruandum fuerat, qui ad non dubiam præcipuæ ingenuitatis teſtificationem, cum Eccleſiaſtici: tum ſecularis Inſubrici Principatus, vno eodemque Clypeo conſerta geris inſignia. Ecquo namque dignius cõuenientiusuè calculo prænotaretur Septimum hoc volumen, quam fatali illo Angui, qui in tot præcisè volumina ſeſe vertit ac*

complicat? nodoque inſuper (nexiles dico ſpiras, quibus ipſius vterum contractum intuemur) qui nec otioſus inuenitur; ſi ad neceſſitudinẽ affinitate partam: et vtrinque iureiurandò pactam trahatur (tametſi compertum habeo ad aliud comparatum, mirisque grauidum ſignificatibus) Fræno enim & Colubro in unum iunctis inſeparabiliterque coactis, illud portendi viſum eſt; vt fauſto illo Vicecomitis ac Borromeæ Abauorum tuorum connubio, proles exurgeret, non tam vtriuſque virtutis obſes, aut fortunarum hæres, quam propẽſionis habilitatisque ad ſummorum regiminum egregiè obeunda munia; vti reipſa euidenter in ſago, toga, et lineis comprobarunt, viri ſapientia in diuinis, in humanis prudentia eximij, quos inclyta deinceps enixa eſt propago, Regij Senatores ac Conſiliarij, Legati ad grauiora Magnorum negotia pertractanda, Acres armorũ duces, Apoſtolici Prothonotarij, R. E. Cardinales, et nouiſsimè Archipræſul vndecumque ſuſpiciendus germanus tuus; ſed omnium maxime Co. Pyrrhus Genitor. Js enim heroica magnanimitate inſtructus, quæ malorum expugnatrix cenſetur: et ſolerti ſtipatus prudentia, quæ bonorum procreatrix eſt, nõ Vrbi noſtræ ſolum; ſed toti Italiæ conſpicuus illuxit; potiſsimum vero ea comitatis amœnitate, ac beneficentiæ ſtudio eminuit, ſuauique morũ facilitate, quæ cunctorum ſibi gratiã fauorẽque parare; imò

 parere

parere conſueuit homines beneuolos (vt gentilitij Serpentis *pigmento depromitur) & cum obſequijs uniuerſorum propè ſibi deuinxiſſet atque adeò coemiſſet animos; ſuum tamen ita temperantiæ Fræno moderari didicerat, vt vbi etiam plurimum liceret, minimum ſibi æxiſtimarat decere. Sed quis cumulatam virtutem pro dignitate celebrare queat? quam tibi imitandam reliquit vir excelſus, in cuius recordatione vix ſingultus cohibeo. Accerſant qui voluerint longinqua illuſtrium exempla: externa ſibi æmulanda proponant, Tu domeſticum in conſpectu poſitum ſpeculum aſſume, cuius præclara facinora non procul audiſti, ſed attrectaſti: et quod laudabiliter inſtituiſti, viriliter proſequere: meaque velut inſonante buccina, alacrius etiam perficere ſatage: paterna felicitate vtere, propria tandem gloria fruiturus.*

In Illuſtriſſimum Comitem
FABIVM, VICECOMITEM BORROMÆVM.
Perpetuæ cuius gloriæ dicatur,
Scabellum ſublimius Stylobatæ.

Don. Hieronymi Carandini, Theol. Cler. Can. Sal. Lat.

SQuamifer eſt Anguis, ſunt aurea Fræna decorum
Stemma tuæ gentis; ter memorande FABI.

Regia

Regia PROCOMITVM dignoſcitur Angue corona,
Innuitur Frænis, at diadema ſacrum.
SCABELLVM tibi debetur SVBLIMIVS vni,
Te maiora decent, nobiliora manent:
Námque animos hominum pōpa meliore triūphas,
Et vitij victor, monſtra ſuperba domas.
Hinc tua te virtus, duplici diademate cingit,
Cingit ad IMPERIVM cingit ad EMPYREVM.

AD EVNDEM
IACOBI ANTONII BOSETTI
Oblati S. T. D. & Rhetoricæ Profeſſoris.

HVnc caruiſſe tuo librum cognomine, magnos
Inter & Heroas te latitaſſe, néfas:
Hinc Borromæę ſurgit quia gloria genti,
Perque vices illinc par tibi manat honos.
Eximium nitido monumentum nomine claude:
Summus quiſque Colos optimus eſſe ſolet.

AD EVNDEM
ILLVSTRISSIMVM COMITEM,
PHILIPPVS RICCIVS THEOL.

ECce tuus fluidis Anguis fulgeſcit in vndis,
Et Fręnum infręnes hic moderatur equos.
Sic tua (crede Fabi) ſpatiatur fama per Orbem,
Viuat vt exemplo terra, fretumque tuo.
Neſcio (vera loquor) reſonante Serenius ore,
Si in te quod celebret plus habet, an quod amet?

ELOGII

LIBER SEPTIMVS

COLOSSI SVBLIMIVS Scabellum.

INter Sapientes qui exterſa intellectus acie magnum iſtud animal (Mundum dico) comtemplati: eiuſque concentus artificium admirati, ipſum conditori & Auctori ſuo compararunt, rectè quidem ac doctè nonnulli, præſtantiſſimum ac nobiliſſimum Dei opus prędicarunt: & illiuſmet typum ac ſymbolum; ſed ſatius (vt mea fert ſententia) alij, immenſi incomprehenſibilisque Dei Templum ac Domicilium exiſtimarunt; omnium verò acutiſſimè exactiſſimèque Philoſophatos cenſeo, qui Mundum Dei inuiſibilis ſpeculum & imaginem: auguſtiſſimamque ſtatuam (externam nimirum) aſſeuerarunt. Tametſi non me clam eſt, Platonicos Deo renuiſſe, Mundi attribuere vocabulum, quia ornamentum dicat: & varietatis connotet multiplicitatem; vbi Dei ſimplicitas nullam coagmentationem admittit. Eximium porrò hoc opus, eatenus ſummum repræſentare opificē exiſtimatur potiſſimum, quatenus vnum eſt, & omnia continens, & ex tota materia conſtans, & mira concinnitate temperatum, & vitalibus ſeminibus grauidum, & ſphericum ſeù orbiculare; etenim figura illa omnium capaciſſima, & linea ſimplici ex infinitate conſtructa, ortusque & occaſus expers;

quo ſenſu Triſmegiſtus Hermes, Deum aliquandò dixit, *Circulum immortalem*: alias *Spheram intelligibilem, cuius centrum eſt vbique, circumferentia nuſquam.* Eius namque bonitas cum ſeſe vti ſummè communicatiua, in creaturas diffundere decreuiſſet, Orbem iſtum, ceù ſuimet ſimulacrum edidit; nec quippè poterat vt ſupra tractatũ, ad extrinſecæ cuiuſuis rei ſimilitudinem produci. Hinc Victorinus Doctor, Deus conditor Mundi, contemplato Mundo conſpicitur, & qui per ſe videri non poteſt, videtur per id quod fecit, & pater Adamantius, Qui omnia in Sapientia fecit, ita creauit vnamquamque viſibilium ſpeciem, vt in ea doctrinam rerum inuiſibilium poneret. Quemadmodum de Phidia, & Polycleto cęlatoribus: de Timante, Zeuſi, & Apelle pictoribus memoriæ proditum, quod ſingulorum opera, ex diſpoſitione, commenſione, ſymmetria, & extremis lineis, cuius eſſent agnoſcebantur. Hinc comminatur Eſ. 5. Væ qui opus Dei non reſpicitis: nec opera manuum eius conſideratis, & Salomon Sap. 13. Vani ſunt ſenſus Hominis, qui de ijs quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum qui eſt. Cum ergo Mundus hic sẽſibilis de intelligibili, & Archetypo doceat, vtique poſſumus ab his quæ deorſum ſunt, ad diuina (in ęnigmate ſaltem) ſpeculanda conſcendere, porrò de Mundi partibus, in præmiſſis differentes, negauimus in ſphera dari quicquam prius aut poſterius, dextrum aut læuum, ſed quo ad nos duntaxat. Idque multo magis de Deo ſentiendum; nam ex Auguſtino, Si quis Deo membra humano more ineſſe credit,

Merc. Triſm.

Fol. 235

Hugo de S. Vict.

Origen.

Lib. 5. Fol. 305

S. Aug.

abſque dubio Idola fabricat in corde ſuo. Atqui Scriptura ſacra Deo effingit non ſolum caput, os, & brachia, ſed & manus, digitos, capillos, ac veſtes & quid non? Verum ſingula myſticè accipienda atque figuraliter; nempè per caput eſſentia illius, quæ omnia præcedit cui cuncta ſubijciuntur. Os autẽ quis non odoretur ſchema eſſe verbi, cum intrinſeci tum forinſecus prolati? quemadmodum poteſtatis brachium. capillis tropicè ſubaudiuntur, beatorum ſpirituum legiones. Sicut veſtimenta alba, agmina ſunt electorum ſanctorumque, qui aſcenderunt de lauacro, & dealbauerunt ſtolas ſuas ab inquinamentis iniquitatis: Dextram & ſiniſtram, (cum ab Occidente littera omninò recedendum ſit) Doctores variè pro locorum exigẽtia ac opportunitate interpretantur, ſancta videlicet vnctione magiſtra; aliquandò enim Tropologicè contemplationem intelligunt atque actionem: interdum ad Allegoriã confugiũt, præſentem ſtatum exponentes, & vitam venturi ſeculi: quandoque gloriam ac gehennam elucidant Anagogen inſecuti, vel aliter & aliter, prout res ipſæ depoſcere videntur aut loca. Nos qui in præhabitis
Lib. 5. ibid. ex Salomone ſententiam & eiuſdem intellectum loco ac propoſito noſtro mirè accomodam aſſumpſimus; nempè longitudinem dierum in dextera domini, & in ſiniſtra diuitias & gloriam. Age nunc aliam ex eodemmet applicemus: dicamusque nomine & ore gratioſæ Familiæ, quam dominus tot tantiſque præuenit benedictionibus dulcedinis, illud Canticorum 2. Læua eius ſub capite meo: & dextera illius am-

amplexabitur me : innuatque eodem tropo læua inſtantis æui proſperitatem : dextra æternæ felicitatis typus ſit; quam copioſo enim chariſmatum ac munerum imbre eã anteà perfuderit Omnipotens à quo bona cuncta procedunt, ſatis ex præhabitis conſtare poteſt; niſi quod ſtyli mei tenuitas, nedum exaggerandis, ſed vel enunciandis virorum geſtis rerumque euentibus, pro eorundem pondere ac magnitudine nimium inepta. Et quidem Vitalianus de Borromæis nuncupatus, prudenti conſilio, vrbanitate, comitate, ac morum elegantia, cenſus Principumque fauores, quæ à Ioanne acceperat, auxit incremento multiplici, vt patebit in ſequentibus; id tamen per ſeipſum minus fortè perficere potuiſſet; niſi Ioannis opes illi præſto fuiſſent; niſi (inquam) eius capiti lęuam ſubmiſiſſet, qui olim Cyri, *Chriſti* (licet per Catachreſim) nuncupati, dextram apprehendit ſubijciens illi gentes. Eſa. 45. Quandoquidem enim vti prætulimus in Stylobatæ Baſi, *Nobiles*, dici putantur quaſi *Noſcibiles*; qui ſcilicet innotuerunt ex inſigni qualitate (nolim hic vitioſas comprehendi [licet & *nobile ſcortum*, quandoque occurrat: & *famoſus latro*] ſed laudabiles) cuiuſmodi deſcripſimus eos haberi, qui valdè locupletes exiſtimantur; vel quos virtus ardens euehit? aut quibus claritas affulget maiorum. Splendor autem vitę qui ingenuos decet ritè Fo.438 abſque opibus [vt prætactum] retineri non poteſt, quæ ad res omnes plurimum roboris ac virium habere experimento probantur. Iccircò *diues*, dictus creditur quaſi *diuus*, ac cæteris pręſtans, & amabilis,

& gra-

& gratioſus, & inclytus habetur, & *diuitiæ*, indè *opũ*, vocabulum ſortitæ, quia *opitulentur*. His nedum antiquis, ſed nuper etiam, & vndecumque, & qualitercumque quæſitis, nobilitatem cauſari arbitratus eſt Ariſtoteles, & Theophilus Alexandrinus lib. 3. affirmat, Diuitias hominibus antiquam donare familiam. & Quintilianus declamatione 14. appellat opes *nobiles*, nimirum ab effectu. Et Albericus de Roſate, in l. Imperatores. ff. de Decuri. affirmat diuitias nobilitare. Bal. c. ſuper eo. l. 2. in fin. ext. de teſt. dicit eum ſatis nobilem qui diues eſt. quibus tametſi non vtcumque ſubſcriberem; fateor tamen, quod amplæ diuitiæ ſi non omninò pariunt veram nobilitatẽ, quæ ſolius virtutis ſoboles eſt (vt præmiſſum) eam ſaltem parturiunt: & quod nunc attinet, nutriunt ac fulciunt; vt enim ſupra tetigimus, curſum etiam ingeniorum retardat, vireſque debilitat ac frangit inopia. contrà verò.

Ariſt. *Theop. Alex.* *Quint.* *Lib. 1.* *Lib. 6.*

Et genus & formam Regina pecunia donat. *Horat.*

Pluſque nimio iam verificari compertum quod,

Curia pauperibus clauſa eſt, dat cenſus honores,
Cẽſus amicitias, pauper vbique iacet. *Ouid.* quodque,
Nũmus honoratur, ſinè nũmis nemo ꝓbatur. &c.

Olim penes Romanos etiam nobiles ac patritios, neminem in Equeſtrem ordinem admiſſum comperi, qui minus quadringentis millibus ſeſtertijs haberet in cenſu: neminem in Senatorium, qui non octingenta millia poſſideret. Non dico, tantum cenſuum Equitem Senatoremue conſtituebat; ſed id conferebat, vt ex Patritio quis habilis eſſet ad ordinem

Eque-

Equeſtrem; à quo ſcilicet tenuitas arcebat, habebãt autem Equites annulum, & Equum publicum, acceptum vel à Duce in bello, vel domi à Cenſoribus. Senatores verò etiam toga purpurea eminebant, cæteri qui nullius ordinis eſſent, patritij quidẽ cenſebantur, ſed de plebe *Seſtertius* autem dictus eſt quaſi ſemitertius; valoris ſcilicet duorum aſſium ac dimidij, & de hoc accipiendum. Nam *Seſtertium*, neutro genere, pro mille ſeſtertijs nummis computabatur.

Non ſum qui negem diuitias quibuſdam incitamenta extitiſſe malorum, fomenta curarum, nutrimenta voluptatum, alimenta vitiorum, irritamenta ſuperbiæ, arrogantiæ ambitionisque materiam, vndè quidam haud inſulsè luſit, quod,

Nomen idem vitijs, diuitijsque datum.

Et quod ſummè indolendum Dei obliuionem inducere. Iam enim Ventoſi quidem & ſeculi faſtu turgidi, cum huius vitæ commoda, & ſubſtantiam copioſam à datore munerum acceperint, indè occaſionem ſumunt intumeſcendi: diuinique ſpernendi numinis, vndè magis magisque coram eo humiliari, & grates rependere debuerant, recolentes quod plus exigitur ab eo cui plus creditum eſt: quoque maius beneficium eo grauius debitum. Nihil certè illiberalius quam gratias acceptas munifico largitiori nõ referre. Et ob hoc Salomon Prouer. 30. ſuppliciter orabat, Diuitias ne dederis mihi, nè fortè ſaciatus illiciar ad negandum, & dicam quis eſt dominus? hęc quippè pro ſeipſo minimè præcatus noſcitur Regũ ditiſſimus, ſed eam poſtulationem immiſit Dei ſpi-

ritus in os eius; quia futuri erant noſtra præſertim hac tempeſtate, faſtuoſi quidam aerambuli, qui Dei ſeruitium erubeſcerent: dedignarenturque vel coram tremendis myſterijs in genua procumbere: vel ad ictum Angelicæ ſalutationis, Deiparam adorare Virginem, de cuius gratię plenitudine tantum in nos inceſſanter effluit: Et adeò ſe faſcinari ſinerent Cacodæmonis præſtigijs, vt pietatis operibus, frequenti ſacrorum vſu, hiſceque deuoti affectus munijs, nobilitatis decus temerari: & eorum ſtatus eminentiæ haud parum adimi, non tam ineptè quam ſceleſtè pertimeſcerent. Quare idem Salomon alibi, Melius eſt parum cum timore domini, quam theſauri magni & inſatiabiles. Prou. 15; recolens ſcilicet id quod aliquandò ipſe Deus vltionum intimarat. 1. *Reg.* 2. Quicumque honorificauerit me glorificabo eum, qui autem contemnunt me erunt ignobiles. Cui ad litteram correſpondet Saluatoris conteſtatio Luc. 9. Qui erubuerit me coram hominibus, erubeſcam eũ coram Angelis Dei. Quodque Lucifero illi. Ezech. 28. Signaculo ſimilitudinis, perfecto in vijs ſuis, nihil profuit clariſſima dignitas, nihil excellens pulchritudo, admiranda ſpecies, & bonorum quæ maxima ſuſceperat amplitudo, quominus ab altiſſimo gradu deturbaretur, ſtatim atque ſuperbiendo intumuit, detruderetur que in profundum. Aliud quiddam ſummè perpendendum animaduertit idem Sapiens, nimirum quod Confuſionem pręcedat ſuperbia, & antè ruinam exaltetur ſpiritus. Prou. 16. quapropter cum Nobilitatis flammam diuitiarum,

oleo nutriendam prætulerimus, nunc cauendum mo nemus, nè vitiorũ imbre Lychnus humectetur, neuè prefocatur ſceleribus, aut vehementiori impellatur vento ſuperbiæ; his enim frequens vtcumque radiantia extingui cótingit, Vt enim Sole ab oculis noſtris in aduerſum Orbem fugiente, noctis continuò tenebræ ingruunt; ſic ex Dei contemptu vel obliuione, peccatorum nubes cuncta inuoluens, & caligo quicquid bonorum eſt eliminans; ritè igitur ob id Syraceus conſulebat, Fili quanto maior es humilia te, & coram Deo inuenies gloriam. Eccl. 3. Sic ſanctus Propheta throno etiam Regiaque chlamide nitens, ſeſe in Dei conſpectu abijciebat, ſentiebatque quaſi adipe & pinguedine repleri animam ſuam, cum labijs exultationis exultaret os eius. Et hæc ſané adijcere compulſus ſum non declamantis ſtudio, ſed mœrentis affectu; ſed non hic locus exhortationi. Cœterum diuitias ex ſe ipſis bonas eſſe nil ambigo, nam Benedictio domini diuites facit, ex citato Sapiente, Prouer. 20. Quæ ſolennis & perquam vſitata eſt diuinæ Scripturæ phraſis. Gen. 22. benedixit dominus Abraham 2. Reg. 6. Benedixit Obededom. Benedixit nouiſſimis Iob 42. & centies, pro eo vt dicat, ditauit ac multiplicauit: idque adeò per ſe notum ſupponebat Paulus, vt eum qui parcè ſeminat, ex diametro opponeret ei qui ſeminat in benedictionibus 2. Cor. 9. Iterumque tanti habitę ſunt diuitiæ Salomoni, vt diceret ꝙ ſicut protegit Sapiẽtia, ſic protegit pecunia. Eccleſ. 7.

& alias ſubſtantia diuitis Vrbs fortitudinis eius pro-uer. 10. Quare in eam ſententiã concordi voto eunt eruditi, quod veræ germanęque Nobilitatis decus, mirandis quibuſdam eximiæ, fulgurantiſque virtutis facinoribus, à maioribus partum, poſſit quidem in familia retineri, atque continuari, non adeò ardenti, aut excellenti, ſed mediocri, & (vt aiunt) ciuili ſucceſſorum virtute. at nequaquam (vt dictum eſt) ſine diuitijs, quæ ſe habent inſtar lucis ad perſpicuum, cuius actus perhibetur. Et hac de cauſa, vbi Lacedęmonij Deos, Deaſque armis circumſeptos effingebant, quia nihil virtute bellica præſtantius exiſtimetur, vt prænotatum. Phœnices è contra, Deos nummarijs loculis, & crumenis inſtructos repreſentabãt, quod vnumquemque eo beatiorem opinarẽtur, quo pecunioſiorem. Vel potius vt Deos in humanum genus beneficos, & ditãdis cultoribus paratos exprimerẽt. Apoſtolus quoque prædicat de vero Numine, quod diues ſit in omnes qui inuocãt illum. Rom. 10. quod ſi quidam vt dicebamus, narrantur ex diuitijs ad vitia prolapſi, id non tam opibus, quam peruerſo eorum vſui imputãdum. Quis velit Solis iubar extinctum, quia oculorum acies ſinè detrimento illud intueri nequeat? Vt rectè Poeta.

Lucret. Sol etiam cęcat, contra ſi tendere pergas.

Eliſ. Calent. Quis niſi inſanus ignem accuſabit (inquit Eliſius) quod ſegetes, quod domos, quod vrbes comburat? Quando ad id datus eſt, vt epulas coquat, tenebras fuget, vitæ auxilietur? ſic diuitiæ Sapientibus ad-

adminiculantur in benefaciēdo: propterea & *Facultates* dicuntur, quaſi facilitantes agenda, licet ſtulto afferant exitium. Dauid Rex quo vix alius ditior, vix alius ſanctior, inter Theſauros ſepultus legitur; & inter Dei amicos gratiſſimus reputatur. Vt Abrahamum, Lothum, Iobum, & innumeros pertranſeam, qui locupletes, & ſancti inſimul memorantur; quemadmodum enim Ariſtonius dicebat apud Maximum. Ex his qui idem vinum biberint, alij bacchantur, alij furunt, alij mitiores redduntur, ſic quidam pares habent diuitias, non tamen pariter afficiuntur. Chryſoſtomus obſeruat, quod Propheta non dixit, Diuitiæ ſi affluant ablegate eas aut proijcite, ſed nolite cor apponere. Pſ. 61. Nec Paulus Euangelicæ Doctrinæ Magiſter mandat diuitibus intimari, bonorum renunciationem, ſed non ſublimè ſapere, nec ſperare in incerto diuitiarum. 1. Tim. 6. Nec denique Saluator ipſe abſolutiſſima perfectionis norma, negauit Deum coli poſſe à poſſidentibus diuitias, ſed vtrique, ſimul ac ſemel ritè impendi famulatum. Matth. 6. quia nemo poſſit dominis æquè ſeruire duobus. Archipræſul Mediolanenſis Scribit in hanc ſententiam. Diſcant diuites non in facultatibus crimen haberi, Sed in his qui eis abutuntur; illæ enim vt improbis ſunt impedimenta, ſic bonis fiunt adiumenta virtutum; dicuntur verò *Iniuſtæ*, non quia aurum aut argentum iniuſtum ſit, ſed quia iniuſtum eas putare diuitias, niſi auferant egeſtatem auaritiæ. hæc ſanctus Doctor. Verum ego impræſentiarum, ideò etiam dici reor *Iniquas*. quia

Valer. Max.

S. Io. Chryſ.

S. Ambroſ.

non æquè participantur, aut erogantur à cunctis; ſed pluſquam dici queat inęqualiter. Nec mihi quiſquā ſuccenſeat, quia vir clauſtralis, Apoſtolicique & Leuitici inſtituti ac ſequelæ profeſſor, terrenas opes quibus ipſe in Canonico Clericali dogmate ſuſcipiendo valedixerim, tantoperè nunc commendare laborem; vt veluti manna de cælo præſtitum faſtidiēs atque nauſeans, iterato ad Ægyptiacas carnes ſuſpirare videar, poſthabito Sanctorum Patrum iudicio, qui tantis laudum pręconijs, paupertatem certatim attollunt: neglecto quod Saluator ſui exemplo fideles ad eam animare contendit, qui naſcens cunam qua reclinaretur, pergens iumentum quo veheretur, moriens lintheum quo obuolueretur, ſepulchrū quo inferretur proprium non habuit: diſcipulisque ſuis vſqueadeò calceamēta inhibuit. Luc. 10. qui & olim. Num. 18. Deuter. 15. Leuitis miniſtris ſuis, Agrorū interdixerat poſſeſſione. Hęc fermè in nos iaculari ſolent nefarij, qui Eccleſijs expilandis inhiant: pręcipuèque hæretici, qui facultatum adminicula omninò Eccleſiæ adempta velint; quemadmodum, & ſcholaſticas diſciplinas, quas Theriacam eſſe experiantur, virulentis eorum excindendis ſuaſionibus; nè autem inermes prodire videantur in aciem, zeli ſe galea protegunt, ſed laruata; ſucclamant quippè furentes tabeſcentesque, quod indecorum nimis, vt doctrina Euangelij profanis ſcientijs innitatur admi ſceaturvè: & de dialecticis ſyllogiſmis ſacroſancta pendeat Theologia, quam dominus rudibus commiſit & ignaris humanarum ſcientiarum: perque

litterarum expertes voluit promulgari. Et ad quid rerum affluentia his qui ſe Chriſti aſſeclas venditant? ſiccinè eius paupertatem imitantur? Talia commiſcuntur ac deblatrant ſceleſti in domini ſeruos; quatenus ſublatis opum adiumentis ac methodica diſciplina, quæ fulcra ac ſcuta eſſe norunt; hęc doctrinæ illa etiam perſonarum; in ipſos Catholicæ veritatis aſſertores, pro libito debacchari, vniuerſamque Eccleſiæ ſtructuram funditus conuellere liceat; neque enim poſſunt pecuarij canes, quod in gregum cuſtodia excubent, lupis non eſſe infenſi; vt habetur in fabula Demoſthenis. Ideò certant non tam rationibus quam dolis; Ecquis enim iſthæc Lemurū argumenta eſſe non animaduertat? Atqui nequaquam hic diſceptationi locus, iccircò in aliud tempus, reijcio. Verumenim *Scabellum*, conſtruo quo Coloſſi pedes innitantur, nihil inane, nutans, aut lubricum fas eſt in eo admittere; igitur ſententias iſtorum ſæuas ac ſeueras, non tamen veras; imò procacitatis plenas, paucis retundo; nè fallaciarum lenocinio quempiam iugulent. Saluator inopes ac rudes elegit Apoſtolos, nè potentia, aut ſeculi prudentia Mundum videretur ſubegiſſe; eos verò induit virtute ex alto, vt non ſecularibus ſcientijs niterentur, ſed niterent cæleſti Sapientia: & nihil habentes omnia poſſiderent, nec quid humani à ſe alienum putarent; quin & ipſe dominus in terris degens, ad fideles, informandos loculos habuiſſe legitur: & à pijs oblata conſeruaſſe. qui poſtmodum Principum credentiumque cordibus inſtillauit, vt Eccleſiam ſpon-

Demoſth.

ſam ſuam exornarent, ditarentque muneribus, non ſolum congiaria donando, ſed & reditus attribuendo ad miniſtros alendos. Quemadmodum & Apoſtolici cœtus Chоriphęo Paulum dedit quaſi legatũ de latere; humanis etiam ſcientijs eruditum, & vi eloquentiæ fulgurantem. Quin & ſub lege vmbratili, quamuis Leuitas primum exhęredaſſet, ne terra potirentur cęteris funiculo diſtributionis dimenſa; quatenus reliquis arua colentibus, ipſi ſolum Deum colerent, poſtea tamen, præter decimas, vrbes quoque ac ſuburbana aſsignari iuſsit, lege librum Ioſue 21. & in exitu Iſrael de Ægypto, vaſa aurea & argentea mandauit ab indigenis mutuari atque auferri, non ſolum vt electos ſibique ſeruientes temporalibus ditaret, Exod. 12. Sed vt nos quoque doceret, etiam ab Ethnicis Sapientiam haurire, eorumque diſciplinas ac facundiam imitari. ſic exponit magnus
S. Aug. Auguſtinus. Sed de his nunc ſatis, nè vrceus exeat in amphoram. alias fuſiùs de his, & locupletius Deo dante; in IDEA videlicet, vbi Sancti Cardinalis amictum ac ornatum exequimur. Cæterum diuitię adeò neceſſariæ exiſtimantur tuendæ honorificentię ſtatus perſonarum, quod Patres œcumenici Tridentini Cõcilij (nè longius progrediar, Decreta conuectando) per Spiritum ſanctum adunati, ſuper tenuioribus Epiſcopatuum Sacerdotijs, atque ſubleuanda Clericorum inopia, pleraque præclare ſtatuerunt. ſeſſ. 21. cap. 2. & ſeſſ. 24. c. 23. tantum abeſt vt laicos ſeculares dedeceant. Viri etiam glorioſi atque ſanctiſsimi, qui ipſis naſcentis Eccleſiæ primordijs

ſo-

Societatem noſtram Clericorum Canonicorum in Monte Sion fundauerunt Chron. Antonin. par. 2. tit. 15. num. 7. Salutaribusque præceptis & diuinis inſtitutis formarunt ac firmarunt, Eccleſias & Collegia noſtra certis reditibus potiri nequaquam vetuerunt; quatenus Altaris & verbi miniſterio inſtantes, populares minimè grauaremus, aut moleſtia afficeremus; nam ex Sapiente, Prou. 15. proximo etiam pauper odioſus eſt. Et ego tametſi mendicitatem laudabilem exiſtimo & commendatione dignam, quiputà voluntariam paupertatem proximius Euangelicæ perfectioni coherere nil ambigam, non tamē rerum copia [vt quidem ſentio] arcet à Chriſti dilectione vel ſequela. Rabanus legens apud Matthæū de Ioſepho ab Arimathia quod eſſet diues, ſubdidit, Magnæ dignitatis fuit apud ſeculum, ſed maioris meriti apud Deum, quia non erat diues diuitiarum amore ſed tantummodo poſſeſſione: non pecuniæ amator, ſed ipſius diſtributor. Itidem Vitalianus verè miſericordię vir; nam fuit in egenos largiſſimus: orphanique afflicti, & calamitoſi homines, eius fouebantur humanitate ac patrocinijs. Subleuabat inopes: aduenas & peregrinos hoſpitabatur decentiſſimè; propterea diligebant & commendabant eum ſimul in vnum diues & pauper. ac nè miſerationes eius deficerent, piam domum inſtituit ſub *Humilitatis* inuocatione, eleemoſynis in perpetuum erogandis, via Falcorina, præ cuius foribus ipſiuſmet hodieque ſpectatur imago, in pariete picta, genibus flexis antè Deiparæ Virginis Blancæ ſimulacrum, ab *Raba.*

vetuſto exemplari Caſoretano ductum, quod ijs tẽ-poribus gratioſum fuiſſe noſcitur; cuiuſque cultui, tunc addictum extitiſſe diximus eius fratrem Don
Fol. 448 Baſilium. Eam inquam Domum Vitalianus deputauit eleemoſynarum diſtributioni, cui tantum conſtituit prouentuum, vt bis mille triticei panis ſextaria quotannis erogentur: perſoluanturque dotes quatuor virginibus matrimonio collocandis, & quatuor quotidiè Miſſæ celebrentur. Idem ipſe pauperum refugium quod *Miquetam* dicunt, & alia reliquit pietatis monumenta. Vxorem duxit *Ambroſinam*, è præclara familia *Fagnanorum*, cuius encomijs recenſendis ſuperſedeo, cum eam luculenter ſatis, pro funere laudarit F. Antonius Rhaudenſis Minoritanus Theologus, cuius orationis exempla adhuc extant. Vnum libens addiderim, quod qui *Fagnani* citrà quædam ſecula nuncupantur, eos conſtat iampridem *Fanianos* appellatos: Romaque olim profectos. Ipſos Diuo patrono Ambroſio validè opitulatos in profligandis Arianis, docent tabulæ fidiſſimæ: religioſumque horum affectum, commendant piæ eorundem inſtitutiones, ac legata ſanè plurima, inter quas Oratorium *S. Matthæi ad Banchetã*, ab ipſis anno quadrageſimo poſt milleſimũ humanæ ſalutis fundatum, eorum domui cohærens, iuriſque eorundem patronatus. Ex his prodijſſe creditur Honorius Papa Secundus, patria Bononienſis, anteà Don Lambertus de Fagnanis Canonicus Regularis Lateranenſis: alijque complures armis diſciplinisque celeberrimi. Adeſt nunc Venerabilis Sa-

cer-

cerdos ac legum Doctor Dominus Raphael antiquitatum ſtudioſiſſimus: deque politia noſtra optimè meritus; qui putá nobiliorum fermè familiarum ſucceſſiones ſeduló genealogiasque accuratè admodum indagarit, inque libros aſſiduo labore coegerit; indè enim nos quoque haud pauca decerpſiſſe fatemur. Eiuſque frater Io. Baptiſta in ordine Quæſtorum ſeù Camerariorum, *Magiſtros* vocant *ſuper Regijs reditibus*, ſummæ exiſtimationis. In eundem ordinem; ſcilicet Camerariorum, lectus reperitur per Ducem Philippum Mariam ipſe quoque Vitalianus Borromæus, de anno 1331, qui paullò poſt; nimirum trigeſimo ſeptimo eius ſeculi, donatus ſeú [vt aiunt] inueſtitus inuenitur Oppido Caſtellatij in agro Alexandrino, ea fermè adhibita præfatione verbis Ducalibus; Vt aliqua ex parte reſpondeamus ampliſsimis, & multiuarijs beneficijs ac laudabilibus meritis Egregij Camerarij noſtri, dilectiſſimi Vitaliani Borromæi, quem dudum reperimus promptiſſimũ & liberalem & indefeſſũ in neceſsitatibus noſtris & ſtatus noſtri: nec ſemel, ſed innumeris vicibus, ſuis pecunijs & copioſo numero: effuſa & larga manu gratis & liberaliter ſeruiendo: alijsque grauibus negotijs ſua virtute, ingenio, & ſolicitudine, nobis & ſtatui noſtro profuiſſe vehementer, in eum liberalitatem noſtram ſeù verius retributionem exercere cupientes, vt ex merito nos obnoxios profitemur, Harum ſerie &c. In executione verò ea verba legũtur, Proindè idẽ Illuſtriſſimus Princeps & excellentiſsimus Dux, Animum oculosque conuertens ad virũ fidelẽ, potentẽ &

ſumma prudentia decoratum, Spectabilem Vitalianum Borromæum fil. quond. Iacobi, fideliſſimum, & Clariſſimum Camerarium ſuum, Ciuem notabilē, quem dudum reperit promptiſſimum, liberalem & indefeſſum &c. Eademque ferè verborum forma vtitur in tradendo ei Oppido Paleſtri 1437. Adhucque ampliora leguntur in collatione Terræ, & arcis Aronæ quæ fuerat D.D. Ruſcarum, eamque de ipſorum conſenſu per renūciationem Dux ipſe redemit, aliorum Feudorum permutatione: traditamque Vitaliano 1439. haud multò poſt erexit in titulum Comitatus pro eo ac ſucceſſoribus perpetuis futuris temporibus. Exindè porrò longa perpetuaque phalanx COMITVM, qui ſic ſuo quaſi idiomate vocantur, ipſo Vitaliano auctore. Deinceps quippè ad ſingulos ipſius ſtirpis modò legitimè ſatos, id tituli manauit ex imperantis indulto quin & iuſſione. Eius erectionis litteræ expeditæ viſuntur 1445. adiecto mirando eius meritorum elogio. Simulque ac ſemel Dux ipſe, ad egregiam conteſtandam Vitaliani virtutem, Candidi *Monocerotis*, cum ſtemmate donauit, Regio Diademate ante pectus depēdente necnon Vittis quibuſdam collum exornantibus. Eodemque anno Vitalianus ciuilitatem Genuenſem aſsecutus eſt, deferentibus Genuenſium Duce, Conſilio, & Antianis; ſed anteà de anno 1440. Ipſe Dux



Philippus Maria, eidem Vitaliano aſſignarat Feudum Camairagi: exemeratque a iuriſdictione

Ciui-

Ciuitatis Laudæ; in qua nimirum collatione, maiorẽ in modum laudibus cum exornat: ipſoque anno eidem attribuuntur Terræ Canobij, Vergantiſque cũ villis adiacentibus. Anno ſequenti eidem fit aſſignatio Pagi quem dicunt *Bra*, atque *Cairaſchi* in Aſtẽſi ditione, ingenti ſanè encomio. De anno 1446. eidẽ accedit oppidum Vogoniæ & Margozzij cum Arcibus coherentijs ac plebibus in vniuerſum, concedẽte eodem Duce. Anno autem ſequenti ipſe Vitalianus ſibi coemit Caſtrum ac bona loci *Biſſoni*, itemq; Oppidi *Vegghiezzi*, cum alijs plurimis in agro Nouarienſi. Innumera occurrunt notatu digna de ipſius Vitaliani geſtis, ipſius familiæ ſcrinia luſtranti; ipſe enim tũ à Duce ſæpius memorato tum à Senatu poſt eius obitum, multa ſanè Caſtra, Oppida, Prædia obtinuit Lauenſ, Omegnæ, Robechi, Formigariæ, Cornaleti, Origij, Piſchariæ, Angleriæ cum vniuerſo propè tractu oppidorum iuxta Verbanum, & in agro Parmenſi Terram vocabulo *Ardiſonem*, cum poteſtate gladij: & in territorio Mantuano *Ceſolam*, Palatiumque in ea Ciuitate excitauit via S. Agnetis, quod adhuc extat, nè villas, prædia vineta, nemora, reditus Camerales, pedagia, Hoſpitum diuerſoria, molendina variaſque exemptiones atque immunitates onerum & priuilegia percurendo, lectorum patientia abuti dicar. Nec magnum id fuit Vitaliano, penſata opulentiſſima hæreditate, quæ à Ioanne arrogatore ad eum deriuarat; eam verò metiri procliue, ex proportione præcedenti libro notata; nẽpè in partitionibus maioris Borromæi natorũ;

quam-

Fol. 4:1 quamuis non deſint qui in eam ſummam, nõ paternam modò Co. Borromęi hęreditatem, ſed & vtriuſque Patrui; nempè Alexandri qui ſinè liberis deceſſit, & Andreæ quem exiſtimant, honeſta competentique aſsignata Genero Americo Verrio bonorum portione nomine dotis, reliquum nepotibus reſeruaſſe. Quicquid de hoc ſentiendum, non eſt meum diſputare; licet enim ex ipſius diuiſionis tabulis nihil tale erui poſsit; cum illic nullius memoretur hæreditas, ſed de paternis facultatibus duntaxat habeatur mentio; maximè cum Alexander adhuc viueret diuiſor (vt dicitur) teſtamentarius; minimè tamen inſtituti mei eſt quempiã reprobare, in re præſertim dubia, quapropter totum arbitrio Sapientum derelinquo. Hæc eatenus addidiſſe libuit, nè quem admiratio capiat, quod tantum ſibi comparare potuerit; nihil enim exurgit incommodi, habita ratione tantarum opum, ſimul & gratiæ, qua Vitalianus ipſe apud Principem valuiſſe refertur. Illud verò mirandum magis, quod idem Mediolanenſes cui ſui Proceres quoſcumque ac Dynaſtas, non tantũ opibus pręceſſiſſe narratur, ſed multo amplius animi magnitudine gloriaque geſtorum. Splendidiſſimumque (vt ex Corio liquet) ac planè regifico luxu, ſæpius epulum tradidiſſe Alphonſo Aragonio Neapolitano Regi, qui fauſtiſſimi, ac numquam defituri Hiſpanici in Italia Imperij, primus fundamenta iecit. Quorũ conuiuiorũ lautitiam, vſqueadeò in Oratione funebri, recolẽdam putauit prædictus Theologus Rhaudenſis, Philippo Duce è viuis ſublato, qui Vic-

Bernar. Cor.

F. Ant. Rhaud.

co-

comitibus conſagŭineis ſuis perquam infenſus extiterat, deteſtandamque detexerat animi ægritudinem dicendo: *Vellemus è vita nobis emigrantibus, cuncta euerſione ruinaque agitari, ac miſceri*. Mediolanenſium Republica in magno diſcrimine conſtituta, Vitalianus vt ingenuum decuit Ciuē ac Patritium ſemper illi affuit: multamque opem contulit, opera atque opibus; nam & vſque ad ſexaginta aureorum millia, ab ipſo Ciuitati commodata inueniuntur. Omnibus ille conſilijs non tam intererat, quam prçerat. & clauum moderari videbatur; vt ex geſtorum annalibus procliue colligere. Inter cętera cum Carolus Aurelianenſis, vulgo *Dux de Orliens* Frater Regis Franciæ, ac filius Valentinæ Vicecomitis. quæ fuerat Philippi Mariæ recens defuncti ſoror. Inſubricum Regnum ad ſe deuolutum dictitaret hæreditario iure. Senatus. Populuſque Mediolanenſis, Gallica arma veriti, Quatuor ex primoribus delegerunt, quos Reipublicæ Legatos, Oratores, Syndicos, ac Procuratores conſtituerunt, ad conueniendum, paciſcendum ac trāſigendum cum dicto *de Orliens*, attributa poteſtate obligandi, atque alienandi, non ſolum reditus, ac pecuniarum ſummas, ſed & oppida ac Ciuitates, prout opus foret, expediretque ſalua libertate, conſtant hæc ex ſyngrapha confecta per Ambroſium Andreę Ducalis, firmata atque ſubſcripta ab omnibus Capitaneis, & defenſoribus, ac toto Collegio generali; Legati verò ſiuè Procuratores hi numerātur. In primis *Magnificus* Dominus Comes Vitalianus Borromæus, ac *Spectabilis* Dn̄s Ioannes de Calate,

Do-

Dominus Petrus de Ozeno, ac Dominus Antonius de Rabijs. Attende cordate Lector quo titulo notatur Borromæus prè reliquis, qui probè noueris quo diſcrimine ſecernantur *Spectabiles à Magnifico*; cum tamen ij quoque antiquiſſima nobilitate conſpicui: & præcipuæ claritatis Patritij haberentur; quandoquidem conſtat ex Caſatorum familia Ioannolum plurima Oppida obtinuiſſe. *Galeotum* Veronæ Gubernatorem, Ducalem conſiliarium, Legatumque ad Conſtantienſe Concilium. *Gabrielem* Inſubrici Senatus Præſidem. plurimos Equites Ieroſolymitanos. Euangeliſtamque Regium Queſtorem. Sed ante eos *Comitem*, Cardinalem ſub Martino ſecundo; nouiſſimèque Hieronymũ, Regium Theſaurarium ingenti cũ laude effulſiſſe. Ozeni ex chronico, quod *Flos Florum* titulatur: tum ex Hiſtoria Boſſiana Illuſtres cẽſentur: Caſtrumque *Ozinum* vocabulo, inexpugnabile obtinuiſſe memorantur: & ex eis Vbertũ 1230. Mediolanenſis Reipublicæ Generalem aduerſus Montisferrati Marchionem, Ducemque Sabaudiæ: quin & memoranda geſta à temporibus vſque Diui patroni Ambroſij ei familiæ aſcripta inuenias, quæ tamen præſentem narrationem effugiunt.

Eos aũt de Rabijs (vt verbis vtar Gaudentij Merulæ) Cicero nominis ęternitate donauit, nimirum oratione tertia in Verrem. Horum & meminit Triſtanus Calchus, ac Bernardinus Corius. præter alios; ſummoq; gradu habiti ſunt tum domi tum militiæ. Ex his cum multi Viri egregij prodierunt, tum verò Gregorius ille cuius habetur mẽtio penes Bald, conſ. 95. vol. 5.

obtinebatque Feudum cuiuſdam Caſtri ab Epiſcopo Aſtenſi, quo maiores ſui diù potiti inueniũtur: erãtq́. Comites Meltij: Antonius præterea Ambroſij filius Præſes fuit Regiorum redituum. Sed & in regione Subalpinati clari habentur; prout conſtat per Principũm diplomata, quæ obiter adnotaui; vt innoteſcat quantum inter illuſtres etiam coruſcaret Vitalianus ipſe; erat quippè ſupremi Ordinis Nobilium, cuiuſmodi olim *Summates*, dicebantur; nam & præcedenti libro obſeruaui, Co. Borromeum Auunculũ eius, *Magnificum, & potentem virum*, titulari ſolitũ; imò & hunc ipſum; Collegas verò prædictos; nimirum *Spectabiles*, maiores noſtri *Primores*, appellare ſolebant. Circa id tempus populo in ſeditionem verſo, plurimi ex primarijs & cõſeruatoribus Guelphorum ac plebeiorum factione interierunt, Ariſtocratiaque non dico in Democratiam, ſed in Oligarchiã migrauit, & ni Vitalianus clanculum aufugiens ſeſe in Arces ſuas ad Verbanum recepiſſet ac communiſſet, verendum nè ipſum quoque calamitas inuolueret, qua Collegæ repentè oppreſſi ac impiè trucidati leguntur. Reſipuit, tandem Ciuitas, alienigenarumque quos multos belli Duces aſciuerant proditione, ſub Venetorum iugum mitti formidantes (id enim ad ſummum ęrumnę ac infortunij cumulum Mediolanenſes ſibi contingere poſſe arbitrantur: omnique morte ferrent acerbius) Leonardo Venerio Legato commotione populi interempto, inclyto ac magnanimo Franciſco Sfortiæ demortui Ducis Genero, ac per id legitimo ſucceſſori, abſolutum detu-

Fol. 417
Fol. 491
Corius ac Bugatus.

lere principatum: nec diſpuduit inani abuſiuoque libertatis nomine abdicato, Ducem omnium generoſiſſimum, omnium digniſsimum, omnium optimum, dominum inuocare, nuncupare ac venerari, qui moderandis Imperij habenis natus ac formatus exiſtimaretur, rerum ſucceſſu per omnia reſponden te, vel potius ſpem, ac deſideria cunctorum exſuperante. pulchrè ac ſenſatè admodum, Poeta ſcriptum reliquit,

Claudia. Fallitur egregio quiſquis ſub Principe credit
Seruitium, numquam libertas gratior extat,
Quam ſub Rege Pio.

Et quidem tanta æquitate necnon humanitate, ac populari facilitate: tanto exactæ diſciplinę ordine Principem egit, vt ſummis Heroibus cõferendus exiſtimetur & maiore Imperio dignus. quodque mirũ videri poſſit, vir ingenio acri pugnaciæ feruido dudum prędituſ vel creditus, ac omninò inuictus (nam ſi non ſemper victor, certè numquam prelio ſuperatus inuenitur, Fortuna vadentis ad pręclasum triumphi decus nuſquam fallente veſtigia) continuò tumultus ità compeſcuit ac ſedauit, vt pacis abundantiam vniuerſę regioni inuexiſſe prædicaretur: vnuſque quietis auctor haberetur; id enim ſummo ſtudio iuſtitiæ tenax contendit, vt ſua cuique ſalua eſſent: & Reſpublica optimis fundata legibus, ſed præcipuè aduerſus inteſtinas diſcordias permunita, tranquilla redderetur, opulentoque frueretur otio, Et qui armorum fulgore pridem hoſtibus terrori fuerat, ſoli vitiorum intemperies; poſtmodum bellũ

in-

indixiſſe viſus eſt. Semel dicam, ea integritate, atque clementia, eo ſplendore vitæ dominatus eſt, vt nemo ex his qui antè eum, vel poſt eum apud nos regnarunt; maiora aut clariora magnanimitatis, paterni affectus, aut piæ religionis monumenta reliquiſſe memoretur. Et quod in re noſtra eſt, Vitalianum vti par erat ſemper plurimi fecit, cuius merito, natis quoque eius gratificatus eſt Philippo & Iacobo, quos ille ex coniuge memorata de Fagnanis ſuſceperat, quos & hæredes inſtituit omnium bonorũ ſuorum; præſertim primum nam Iacobus Clericali charactere ſe ſe Dei ſeruitio mancipauit. Vitalianus præter dictos hæredes, alios quoque carnali propagatione genuiſſe inuenitur; nempè Guidonem & Andream, Femellas inſuper Fortetiam, Sperantiam & Coronam, quæ nupſit Baſſano de Cauazzis à Somalia, ab ijs que originem duxit Comitiſſa Corona Comitis Camilli vxor & Co. Io. Baptiſtæ genitrix de qua infra. Inter cætera animi ad generoſa erecti indicia quæ Vitalianus reliquit, illud etiam referendum duco, quod egregium penſile Mauſolæum ex candidiſſimo albaſtrite extrui curauit, reponendis almæ Martyris Iuſtinæ reliquijs, quas Patauio aducctare meditabatur. Idem Sarcophagum ſpectatur ad hanc diem, ſtatuis hiſtoriarumque emblematibus ornatum per quatuor latera, in Franciſcano templo, iuxta ſacellum quod pater eius Ioannes quondam Borromæus erexerat. Et S. Euangeliſtæ Ioanni dicandum curarat adornaratque, cui ipſe Vitalianus dotem conſtituit, redituſque pro inferijs & ſacro fa-

ciundo, ex cuius Legato Decumani ſummi Templi ſingulis menſibus eò ſe conferre: & iuſta in ipſo Sacello eidem perſoluere tenentur. Cæterum cum conceptui de ſacro pignore transferendo minimè reſpondiſſet euentus, ipſemet Vitalianus in eo tumulatus eſt, agentibus filijs. Idem nonnullas Ciuium domos, quas Ioannes pridem ad id coemerat demolitus, Plateam quadratam formauit ad Fanum vſque Pedonianum prorenſam, Palatium verò quod ſumptuoſo ſchemate extruere moliebatur, fatalis intercepit dies, qui fuit Octobris quartus, ſalutaris Anni quadrageſimi noni ſupra quaterdecies centeſimum, non tamen deſperandum quin Nepotum eius quiſpiam aliquandò magnanimitatis eius perindè ac diuitiarum hæres, ipſius deſiderium impleat in domo inſtauranda (quæ lata quidem & ampla, at non recentum more nitens; quemadmodum & Sanctus Cardinalis in conſtituendo Papienſe Schclaſticorum Collegio, præceſſoris Comitis Borromæi votis ſatisfeciſſe viſus eſt, & nuperrimè Dominus meus Illuſtriſſimus D. Federicus, in extruendo Palatio Gruppelliano, ipſius Sancti CAROLI inſtitutum longè exuperauit) id enim cum familiæ decus, ac domicilij Maieſtas, ſpatium capax; tum verò Area ipſa tam aptè concinnata, & Ciuitatis ornamentum depoſcere videntur, atque adeò efflagitare.

De quo fol. 420.

Nunc ad natos eius, primoque ad ſecundum ordine conuerſo. In eo Vitalianus patris ſui nomen excitauit, appellauitque Iacobum; cum in primogenito, gratificari voluiſſet ipſi Adoptatori, illius genito-

rem

rem reuocando, vt mox expendemus. Iacobum verò hunc, fama eſt ſacris profaniſque litteris apprimè inſtructum, & religioſis excultum moribus, de quo pronum eſt colligere ex Franciſco Philelpho eius temporis oratorum facile Principe; quod magnis ſingularibuſque virtutibus præditus fuerit; tradit quippè eum ingenti ſplendore effulſiſſe, magna fide, doctrina, religione, prudentia, & id genus, quæ non fama varia aut dubia, ſed longo vſu, & multiplici experientia probata aſſerit; tum ad ſingularia progreſſus narrat, annos natum vndeuiginti Abbatem Sancti Barnabæ creatum. Quod ſcilicet, Monaſterium, præceſſorum ſoccordia atque auaritia valdè atritum, ille ſurrexit, recuperatiſque cenſibus ac prouentibus magnoperé auxit. Fuerat illud Canonicorum Regularium, ſed iamdudum eius adminiſtratio ad ſeculares commendatarios trāsfugerat; demum verò cum nullus iam Canonicorum reſideret, pij quidam Ciues, Congregationem in illo fundarunt Regularium Clericorū, quos vulgò dicimus *Barnabiti*, quæ creuit mirum in modum, & indies amplificatur, religioſis moribus & eruditione conſpicua. Comes verò Iacobus cum aliquot annos ingenuis artibus Papię operam dediſſet, inſignia aſſecutus quibus Decretorum Doctores ornantur: annumque iam ætatis ageret duodetrigeſimum, inſtante Philippo Maria Duce, per maximum Eugenium eius nominis quartum, eiuſdem Ciuitatis Epiſcopus renunciatus eſt. Eum verò Papienſi Eccleſiæ non tam comiter præfuiſſe, quam inſigniter profuiſſe oſten-

oſtendit Antonius Maria Spelta Poeta Regius mihique in Chriſto cariſsimus, in ea patriæ hiſtoriæ parte qua de Epiſcopis agit, vbi & ſtudioſorum cõmoditati proſpiciens prætactam Philelphi orationẽ ad verbum exarauit. Itaque quicumque de hoc diſcere velint, eos adeunto; nos enim reuocat.

Huius germanus Octaui ſcilicet Vitaliani primogenitus, qui vti prædictum, nomen ſortitus eſt
XXXXII. PHILIPPI, non quidem ob memoriam antiqui illius, quem retulimus ſuperioribus ſeculis Vitalis filium, patremque Matthæi ac Laurentij Epiſcopi,
Fol. 220 in facie quæ eſt ad Auſtrum; ſed ad recolendum Ioannis adoptatoris genitorem, quem in Septentrio-
Fol. 376 nali percenſuimus Florentiæ interemptum; tametſi non in ordine ad hunc ſed ad illum, Comes Philippus *Secundus* notatur; nẽpè quia primus ille de quo in meridionali, ad paternæ lineæ tramitem pertinet, qui in Boreali non item, cum ab eo nõ Iacobus proceſſerit, ſed Margarita Iacobi vxor, Mater Vitaliani Octaui. Ipſe Co. Philippus Secundus coniugem habuit Franciſchinam Lanceloti Vicecomitis filiam; natusque eſt eis paruulus, adhuc ſuperſtite Vitaliano, nimirum vt videret filios filiorum; iccircò Auus ipſe, puerum dici voluit *Ioannem*, ad dulcem munifici Auunculi ac patris Adoptatoris ſui recordationẽ: iſque fuit Comes Ioannes Quintus, qui poſtmodũ in Aſtra tulit familiæ nomen, illiuſque decus mirandum in modum, egregijs facinoribus auxit, vt deinceps. Secundum quin etiam genuit Co. Philippus, anno quinquageſimo primo eius ſeculi, in quo no-

men

men excitauit patris ſui iam defuncti, appellauitque *Vitalianum*, tres demum femellas. Philippum Comitem Dux Vicecomes valdè dilexit, ſed ſingulari quadam beneuolentia eum complexus eſt Frãciſcus Sfortia gener ac ſucceſſor, qui & ei omnia iura Oppidorum ac Vaſſallorum confirmauit? nouiſque indultis, gratijs, exemptionibus ac priuilegijs exornauit, confectis publicis tabulis (*Inſtrumenta*, dicũt) in ampliſſima conceſſionis forma. Quæ adhuc inter Scrinia vel Archiuia Co. Renati aſſeruantur; ex eiuſmodi porrò ſyngrapharum narrationibus, illud fermè elicitur, quod Vitalianus Comes huius genitor, ipſi Franciſco Duci multum contulit, ingentiq; adiumento fuit in capeſsendo Inſubriæ dominatu, nec illud piget adnotare, quod inter tot caſuum diſcrimina, quanta apud Chronographos congeſta videris, & apud Simonetam prçcipuè, non anteà illi affulſit boni nuncij dies, quàm ille ſtationem fixiſſet in loco quem dicunt *la Peſchera*, tunc enim cum in Palatio Borromçorum degeret, audiuit Principatum ſibi à primoribus delatum, vniuerſumque vulgus operiri eius aduentum in Vrbem, tametſi à criticis id fortè leuius refutabitur, quàm vt ſeriç narrationi admiſceretur. Comes Philippus vt fama eſt, pius fuit, munificens, largus, & ad beneficentiam natus: optimus etiã miles extitiſſe perhibetur, Equeſtus auratus nuncupatus; potiſſimum verò prudentia valuit & grauitate, mirèque effulſit in ordine Senatorio, ipſi Principi Conſiliarius à ſecretis. Idem Philelphus, qui Epiſcopum fratrem laudarat Papiæ,

Ioannes Simone.

paul-

paullò poſt; nempè die vigeſima Auguſti anni ſexageſimi quarti, huius exequias lugubri orationis pōpa proſecutus eſt in tēplo Minorū, quæ inter eiuſdē Rethoris opera legitur. Sepultus eſt in Sacello quod per Vitalianum genitorem dotatum retulimus, è regione ſarcophagi memorati, quo ipſe Vitalianus conditur. Filias ſplendidè admodum dotauit, quarum prima *Blanca* nomine, Petro Mariæ Ruſcę tradita eſt, viro primario in Ciuitatę Nouocomenſi; eā verò familiā claro Panegyrico Laudæ excuſſo, Henricus Farneſius Eburo commendat. Robertus quoque Ruſca Ciſtertienſis Ordinis Theologus, in gratiā proprię ſtirpis Hiſtoriā edidit, quare nil immoror. *Ambroſina*, Guidoni nupſit Petrimarię Rubei filio, vt
Fol. 226 ſupra quoque memoratum. *Iuſtinam* vxorem habuit Io. Maria Vicecomes de quo poſthac. Co. Philippus multa eleganter pretioſiſque coloribus; & Cyaneo quem *Vltramarinum* vocant, in palatij atrijs præſertim pingi curauit; adhuc enim ſub porticu intimo Triumphus viſitur Honoris, affabrè admodū ſummaque diligentia elaboratus, audiui autem Sapientis cuiuſdam fuiſſe ſententiam, quod *Cui honor in voto, ei virtus in animo ſit neceſſe eſt*, in cuius rei typum, nonniſi per Fanum virtutis, olim patuit aditus ad Honoris templum. Porrò antè Co. Philippi genitoris obitum.

XXXXIII. Comes IOANNES autem iam vxorem duxerat Cleofen è Clariſſima Familia *Piorum*, Carpi Principum, ex qua quinque liberos ſuſtulit, Co. Gibertum, Philippum, Ludouicum, Lancilotum, & Galea-

leacium, totidem fœminas, Eliſabellam, Hippolitã, Franciſcam, Iuſtinam ac Blancam. Ipſe ea enituit bonitatis ac iuſtitiæ opinione, vt cum Scriptores teſtantur, quod facilius clauam de manu Herculis extorſiſſet quiſpiam, quam hunc è rectitudinis linea detorſiſſet, nihil hyperbolicè enunciaſſe credãtur. Eius ſeueritatis ac incorruptę probitatis ergò, populus eũ eximia quadam reuerentia & obſequio proſequebatur; pręſertim verò Imperialium partium aſſeclæ. Quo autem loco vel numero inter Ciuitatis primates haberetur, indè elicere pronum, quod cum de anno 1469. natus eſſet filius primogenitus Galeacio Sfortiæ Duci (is eſt Galeacius cui coniuratorum dira malignitas dominatum ac vitam inuidit & abripuit) digunioresque Ciues & Proceres aduocarentur ad iuſiurandum fidelitatis præſtandum; vbi eorum nomina ſeriatim recenſentur in tabula publica (*autenticam* dicunt) initium ab ipſo ſumitur, his præciſè verbis. In primis Magnificus Miles, & Comes D. Ioannes Borromæus Ducalis Conſiliarius, filius quondam Magnifici Militis & Comitis, D. Philippi olim pariter Conſiliarij, & cæt. Illic poſt multos memoratur ipſius etiam Patruus, Guido filius quondam Magnifici Comitis D. Vitaliani; ipſi tamen Guidoni, nullus apponitur titulus, & ea ſyngrapha confecta noſcitur per Franciſcum de Balbis Notarium & Syndicum Fiſcalem, virum circumſpectum. De anno item 1474. cum ineunda eſſet pax, ſiuè formandus contractus pacificatorius, inter eundem Galeacium Ducem, ac dominium Ve-

Bernar. Corius.

netum, duo Legati Viri Primarij delecti ſunt Venetiasque miſſi, qui Procuratorio nomine negotium conficerent; quinam fuerint hi Procuratores ſeù delegati, Corius minimè docet, ſed Helias Capreolus libro vndecimo Brixianæ Hiſtoriæ, deſcribit ad id electos Ludouicum Sfortiam ipſius Ducis germanũ, ac Ioannem Borromæum Comitem, quem narrat honorificè hoſpitio exceptum Brixiæ, ab Aluiſio Capreolo ipſiuſmet Auctoris conſobrino. Ad hęc cum de anno 1483. bellum eſſet aduerſus Venetos, Ferrariam Eſtenſibus & Romanæ Sedi eripere dominioque ſuo adijcere molientes, iamque acies buccinæ clangorem pręſtolarentur protinus commiſſuræ. Senatus Mediolani, datis litteris ad prędictum Ludouicum Sfortiam copiarũ noſtrarum ductorẽ, admonuit vt prudenter ageret ac penſitatè, nec temerè exercitum in diſcrimen adduceret, rationem verò haberet temporis, ac perſonarum, quibuſcum & pro quibus eſſet dimicandum; multa demum eaque ingentis momẽti & occultioris conſilij illi reuocauit in mentem; vt verò rem pro grauitate ſedulò expenderet ipſe Dux belli, ſibique ac patriæ commodis ſolicitius proſpiceret, voluit idem Senatus ſententiam ſuam per Regni primates approbari, eorũdẽq; ſubſcriptione firmari ac roborari, qui tali ordine ſignantur, vt etiam Bugatus exarauit. Aſcanius Sfortia, Sfortia Secundus, Petrusfranciſcus Vicecomes, Co. Io. Borromæus. Co. Iacobus Triuultius, Petrus Puſterla, Io. Franciſcus Pallauicinus, Petrus Galeratus, Petrus Landrianus, Io. An-

Helias Capr.

Gaſpar Bug.

gelus

gelus Tolentinus, Guidoantonius Arcimboldus, ac Petrus de Biraghis. En tibi quam honeſto gradu locatus Borromæus, nil amplius requiras, cum is in capite conſtitutus noſcatur, Sfortiadibus duntaxat exceptis ac Vicecomite, qui Ducum noſtrorum ſanguine creti, intimiqne aç propinqui probantur, Cæterum primas ei concedere videntur ex ordine litteræ, in primis celeberrimus Co. Iacobus Triuultia ſtirpe ſatus, qua vix aliud tantopere emicat apud nos: quæ dedit Equitum magiſtros, Mareſcallos, Exercituum ductores, Marchiones Vigleuani ac Muſochi, Cardinales, Epiſcopoſque ſanè plurimos, de qua Antonius Tileſius Coſentinus in oratione quadam. Raph. Volater. lib. 4. Geographiæ, Franciſcus Sanſouinus, & alij mira ſcripſerunt. Qui de *Puſterlis* dicti ſunt, olim de *Ambigatis*, perquã celebres inueniũtur penes Vrbis noſtræ Chronica. Et ex his prodijt *Guido*; armis ac prudentia inſignis, quo potiſſimum Duce, Carolus Magnus Saracenos contriuit, pepulitque Latio & Campania; ipſum verò appellauit *Ciſalpinæ Galliæ Marchionem*. Guglielmus quoque, ab Othone Quarto virtutis ergò Altenſi Ciuitate donatus. Thomas Patriarcha Conſtantinopoleos: plurimi Epiſcopi, Nouariæ, Brixię, Nouocomi: Tres Mediolani Archipræſules, Senatores, Equites innumeri. Et hic *Petrus* notanter ſummæ exiſtimationis Conſiliarius, munere ViceDucis functus memoratur. Palauicini à tẽporibus vſque primi Othonis, Marchionum inſulis decorati leguntur: quo titulo etiamnum gaudet, plurimaque Imperialia Feuda

ætate noſtra obtinent; quare ſuperfluum in his immorari. Galerati à Schytica legione *Gallarite* Inſubriæ Pronincíæ præſidiaria, dicti cenſentur: à qua etiam *Gallerate* inſigne Oppidum, Vrbis magnitudinem præſeferens: hi litteris & armis admodum floruiſſe tradẽtur: Feudorum quoque iuriſdictionibus, & Senatoria toga cõſpicui. Landrianorum familiæ antiquitati, amplum ſatis teſtimonium perhibet Glicerius Archiepiſcopus; quiputà antè mille annos Vrbi noſtræ præfuiſſe noſcitur; nimirum 432. è viuis ſublatus, poſtque inter Sanctos relatus. Claret quin etiam ex geſtis tertij Henrici Cæſaris, eos inter præcipuos Mediolani Proceres numeratos: Gulielmumque paullò poſt compeſcendo plebeiorũ tumultui, nobilitatis Principem acclamatum. Iacobum Cæſar Ludouicus Bauarus, pago Videgulpho donauit. Fabium Franciſcus Maria Feltrius á Ruere Vrbini Dux tanti fecit, vt Comitem Caſtri Conſtantij inſtitueret inter Vmbros. Gerardum Eugenius Quartus purpureo exornauit Galero. Bernardus Eccleſiæ Nouocomenſi Paſtor datus eſt; quemmodum nunc Fabritius Papienſi: huiuſque Patruo Marſilio Vigleuani Præſule (qui, ſi dicam quod ſentio, verè vir mihi fuit, & eximia liberi animi virtute præcellens) Põtifices diù vſi ſunt Romæ Gubernatore, Bononiæ ac Romandiolæ Vicelegato: Turbulẽtiſſimisq; Henrici Regis III. tẽporibus, Nuncio in Gallijs. Co. quoq; Frãciſco Carol. Cæſar V. acceptã retulit Victoriã, quã de Aſſię Lãthgrauio retulit, cũ eius ſolertia Albim Fluuiũ trãſmiſiſſet, alioq inuadabilẽ.

Tolen-

Tolentini olim *Mauritij*, Græcia profecti, vt ex fidiſſimis tabulis cõprobatũ, in bello Gothico iã cum Beliſario ac Ioanne Vitaliano noſtro clari extitere, expleto bello, ſingulis ad propria redeuntibus: Ioanneque Parauium ſuum repetente, vt relatum. Mauritius Tolẽtini ſubſtitit; ex cuius incolatu poſteri eius *Tolẽtini* dicti ſunt. Stirps viris bello illuſtribus fęcunda, magna & multa feciſſe narratur pro Florẽtinis ac Venetis, quæ gratis omitto, Ioannem pręterire nefas Nicolai filium, cuius opera ac opes, pręcipuè vſui fuerunt Franciſco Sfortiæ in acquirendo Dominio Mediolanenſi, quem idem Dux in collatione Feudorum Quarnienti, Belreguardi ac Solerij, appellat Cõſiliarium ac Generum ſuũ; quia illi copularat Iſotam filiam. Hic cum multis ædificijs Vrbem noſtram exornauit, tum verò Palatio inſigni lateritio, cuius adhuc reliquiæ ſuperſunt, ad Portam *Gallicam*, anteà *Veneris*, nũc vulgò *Vercellenſem*, adiectæ Monaſterio S. Agnetis. De Arcimboldis nè prolixitate Lectori moleſtus ſim, remitto ad Chroniſtas. Vnum dico, ꝙ hic Guido Antonius, paullò poſt aſſumptus eſt in Mediolani Archiepiſcopum: ipſeque Palatij frontem exornauit; quo munere alij duo functi ſunt ex ipſius familia: Ioannesque Cardinalis extitit Sixti Quarti, permultique ex eis prodierant Viri egregij, & nunc item Comitatu potiuntur *Candiæ*. Similiter de Biraghis cũ multa dicenda occurrant, videant qui voluerint, quæ Bernard. Cor. & Gaſp. Bug. tradiderũt. multis claruerũt Belli ducibus, Equitumque ductoribus: multum opere Gallorum

Re-

Regibus præſertim impẽderunt, vt ex citatis authoribus; nos verò plurimum eis debere fatemur, quod Daniel Archiepiſcopus Mytilenenſis, in Societatem noſtram beneuolentiſſimus, hanc illuſtrem nobis Ecclesiam Canoniamque fundauit. Hæc ſubintuliſſe libuit; vt diſcant exteri, quibuſnam Borromæus cõmunicarit, quibuſque Prælatus ſit; cum noſtratibus hæc notiſſima eſſe ſciam. Nec illud piget addere, quo Stephanus Dulcinius cum edito tractatu diſertè admodum deſcribat Nuptias Ioannis Galeacij Sfortiæ, atque Eliſabellæ Ferdinandi Neapolitani Regis Filię Aragonię, quibus ipſemet auctor interfuerat, apparatumque ac pompas ſtudiosè exaggeret; nihil tamen adeò admiratum ſe teſtatur, quam quod excellentię attribuit ſolennitatis, in hęc verba deſcribens, Earum nuptiarum ſplendorem oſtenderũt, duo inter Ciſalpinos potẽtiſſimi, Ioannesfranciſcus Pallauicinus Marchio, & Ioãnes Borromęus Comes: hi dimiſſis ſeorſum agminibus, quibus alioqui ſtipati incedere ſolent, Equo longius ſequente, ipſi pedites in togis auro textis, gemmisque radiantibus, Spõſę ad frenum, quaſi paranymphi vtrinque aſtiterũt, ac in templum introduxerunt, Mira herclè nuptiarũ excellentia, quibus tanti viri famulitium pręſtare nõ dedignarentur, Hęc Dulcinius. Tot demum ſuppetunt occurruntque eius pręcellentię indicia, vt planè obruar laboremque in eligendo. At quorſum hęc commemoratio? Certè non abſque conſilio; imò grauibus de cauſis inſtituta. Vtinam vniuerſi me cõciues eo ſcommate ſubſanarent, quo adoleſcentẽ

Steph. Dulcin.

olim

olim de laudibus Herculis pro concione diſſerentē, ſenior quidam naſo ſuſpendit adunco inquiens. Ecquis hunc Deum vituperauit? Nunc verò tantus excelſę familię nitor, tanta dignitas, tantique ſigna decoris, eo inſanię impulerunt nonnullos, (leues an liuidos dixerim neſcio) vt aſſerere auderent, totum ex opibus mercatura quęſitis, ipſi Borromęorum domui partum; eoſque diù mercimoniorum negotijs addictos comminiſcerentur; id verò per calumniam prorſus illatum, tantum à rei veritate abhorrere depreheditur, quam quod maximè; etenim ſi citrà Ioannem Philippi filium ac Vitaliani Comitis adoptatorem, qui primitus ad nos tranſmigrauit, eorum ſtatus ac geſta examinentur, liquidò conſtabit eos inter Primates, & principe loco iugiter habitos. Si autem Philippus ipſe Ioannis genitor, aut cęteri aſcē dentes ac Proaui, Sanminiati negotiationibus intendiſſe aſſerantur, profectò de exiſtimatione non dico periclitabuntur, ſed decident affatim, ij quos mercatorum ditiſſimos Hetruſcę Hiſtoriæ prędicant; ſiquidem illorum loculos, Borromęorum gazę longè exuperaſſe noſcuntur. Atuerò nihil exurgit incōmodi, cum iſti inter Dynaſtas ac Regulos percenſendi veniant, illi non perindè. valeant igitur detractores, amodòque perſequi deſiſtant, quod ſe aſſequi poſſe deſperār; nè quandò perduellium Angelorum nequitię cōmunicare deprehendantur, eorūque ſubeant ęrumnā; ſimplices quippè ſubſtantias illas ſummus rerum Opifex creauit, ſui cōtemplandi gratia; recta autem contemplatio, non inuidiam parere *Ex Apoph.*

aut contemplatæ rei deſiderium, & multo minus odium, ſed conditoris operumque illius laudem & amorem conciliare debuerat, ni peruerſo conſilio ordinem ſubuertiſſent. Conſimiliter inquam pijſſima clariſſimaque familia, aduentu ſuo, tantum ſplẽdoris, tantumque commodi Vrbi noſtræ attulit, quantum in catalogum difficulter referri queat. Iccircò eis applaudere opportuerat, atque gratulari certatim, non eorum initijs oblatrare inſidioſè, aut conuitiari mendaciter. Nec is ego ſum qui mercaturam improbem, quam ſummi Philoſophi, & ingenij, & induſtriæ plenam aſſerunt: ac nedum vtilem, ſed neceſſariam humano conuictui, quam antiqui Mercurio ſacrarunt: Liberumque quia eam docuiſſet inter Deos locarunt: Phœnices vſu receperant Deos omnes cum crumenis effingere, alia etiam de cauſa pręter ſuperius allatam; nimirum quaſi quæ à Dijs proficiſceretur vtilitas, in mercatura potiſsimum ſita eſſet: ipſaque mercatura proximè & ſecundum Deum mortalibus prodeſſet: quam & Marcus Tullius non parum commendabilem enunciat, maximè ſi copioſa ſit & magna, multa vndique conuectans & impartiens. Sed quia admixtam habeat auaritiam, ſæpèque iniuſtitiam comitem, vix poſſum valdè illiberalem diffiteri, meritò igitur ſubiraſcor ſycophantis eiuſcemodi, qui Borromæorum ingenuitatem ore maledico, velut morſu venenato petunt, probroſam illi notam impingentes; verum dentem potius infringent quam infigant; vt enim ſcopulus aſſilientes vndas, ſine vllo metu excipit eliditque, abſque ſui

Cicero.

pror-

prorſus læſione, ſic horum vaniloquentiam flocci habet Borromæorum claritas, idque de Mediolanẽſibus impræſentiarum florentibus liberè ac fidenter aſtruo, conſtantis ac micantis veritatis nitore confortatus ac ſuffultus. Obijciet (ſcio) aduerſator quiſpiam, quod Alexander Ioannis adoptatoris germanus Venetijs Telonium inſtituerit: quodque extant chirographi collybiſtici, vulgò *Lettere di Cãbio*, Borromæi de Borromæis eiuſdem fratris, Mediolano Venetias ad eum directi, quorum habetur mentio inter conſilia Baldi Iuriſtæ lib. 1. conſ. 348. Verum id nihil nobis officit, ſi lis ſub æquo Iudice pendeat quippè in humanis actibus tanta eſſe dignoſcitur rituum ac morum varietas pro diuerſitate prouinciarum, quanta eſt idiomatum ſub hoc fornice Cœli. Vt enim pulchrè notauit Tiraquellus lib. de Nobilitate, ſi in reſcripto, vel alia diſpoſitione, fiat mentio Nobilium, intelligendum eſt ſecundum loci cõſuetudinem; nam verba Principum intelligenda ſunt iuxtà morem locorum ad quæ referuntur, ſicuti & ſecundum qualitates perſonarum. l. plenum, § Equitij. ff. de vſu, & habit. l. ſi quis filio, §. irritum. ff. de iniuſt. teſt. Primò igitur habenda eſt ratio loci, mox etiam perſonæ & temporis, quarundam ſiquidem regionũ Nobiles, adeò inani faſtu nobilitatis à maioribus ductæ tument, vt eam non niſi otio, ac deſidia tueri poſſe arbitrentur: & negotiationem quaſi turpe quiddã ac indecorum in tantum exhorrent, vt vel prędijs ſuis per Agricolas excolendis intendere, vel rationũ ac prouentuum ſuorum cognoſcendorum ſatagere

Ttt nefas

nefas ducant, ſedendo autem in triuijs, nugis inutilibus vacando, aut iocis, ac interdum equitando, & eiuſcemodi oſcitabunda ſegnitie tempus terere honorificum exiſtimant. Sique pauperies ingruat, paraſitando, aut latrocinijs & iter agentium infeſtatioue, quam quæſtu artis quantumlibet honeſtæ ac liberalis vitam tranſigere malunt. Alij nobilitatem ſibi conſingunt, in receſſu ab vrbibus, ruri degentes, venationibus aucupijsque occupati, de agricoltura atque armentorum paſtione ſoliciti, & id genus ruralia curantes, mercimonia autem adeò probroſa cenſent hi pariter atque illi, vt egeſtate ac fame enecari præeligant, quam ciuilibus quibuſcumque lucris diteſcere, aut mercatori etiam opulentiſſimo filiam elocare, & affinitate copulari. Non debeo diuinarum litterarum de hoc exemplum omittere ſacræ paginæ profeſſor, nam cap. 46. libri Geneſeos notanter habetur, quod Aegyptij deteſtarentur omnes Paſtores ouium, cuius rei cum multiuariæ à Doctoribus afferantur cauſæ, ego ad ſingularitatem duntaxat denotandam affectus Ægyptiorũ adduco, cum Ouis animal ſit quo vix aliud tantoperè frugi. Alij Magnatibus adhærent, & in atrijs Principum victitare aſſueſcunt, ea ſeruitute nobilitatem cum primis foueri, imò eidem promouendæ haud mediocriter fauere reputantes. Alij demum his prudentiores (nè per ſingulas ſpecies vagari dicamur) honeſtam negotiationem neutiquam ab ingenuo viro abhorrere ducunt, maximè ſi eam quis ſemetipſum continens, exerceat per inſtitores ac famulos, cuiuſmodi

ha-

habentur Florentini, Lucenſes, Genuenſes ac Veneti; hi namque etiam Equeſtri ac Senatorio ordine progeniti: etiam Magiſtratibus ac regiminum munijs addicti: ëtiam ditionibus ac titulis comitatuum inſignes, nihil verentur multigenis ſe ſe negotiationibus im miſcete, quibus & deſidiam propellunt, & diuitiarum ſic adaugent aceruos, vt ad ampliora ſæpè ſibi aditum patefecerint; alioquin Mari vel montibus propemodum concluſi, fieri non poteſt agri anguſtia comprimente, vt exiguis prouentibus vitam pro natalium ſplendore tueantur, ni lueris extrinſecus & mercaturæ ſtudio potiſſimum iuuentur. nimirum prætulimus de mente Philoſophi. Diuitias vtcumque partas, nobilitati oppidò conducere, quid igitur inſuetum, ſi Alexander natione Florentinus, Venetiarumque incola (vtrobique ſcilicet Trapezitæ magnifiunt) Theſaurorum ſuorum partem more patrio dedit ad menſas, duas nummulariorum Societates conſtituendo? quas tamen ipſemet nequaquam exercuit; nam vt videre eſt penes Iure peritum Paulum de Caſtro lib. 2. conſ. 413. ei quam Venetijs erexit, ſer Lazarum Ioannis Piſtorienſem præfecit. Eã verò quam in Bruges ac Londonijs fundauit, ſer Antonio Franciſci Florentino commendauit tractandã. Atuerò quicquid ſit de Alexandro ſeù Borromæo nil noſtra intereſt; prȩter id enim quod à Iacobo de Vitalianis Patauino, naturali ac maſculina propagatione, clariſſimam oſtendimus proficiſci familiam; Adoptionis quin etiam deriuationem ab vnico palã eſt manaſſe Ioanne, quem illiberali ſtudio vſpiam *Ariſt.* *Lib. 6.*

addictum fuiſſe, nemo effutire audeat. Cęterum ſi de reliquis Borromæis in vniuerſum agatur, quantũlibet eadem vena ſeù ſcaturigine profluxerint, videmus eos in tam multiplicem ſeruorum copiam effudiſſe, vt nec quicquam abſurdi emerſurrem arbitremur, ſi nonnulli ex ipſis opibus exhauſti, imò arefacti & fortunis deſtituti inueniantur, vt artibus inopiam euitare coacti, labore etiam manuum vitam ſuſtentare narrentur. Certè Lanfrancus Serenius noſter, cuius viſitur ſepulchrum ad diui Simpliciani, cum decem filiabus dotandis vix patrimonium ſufficere intelligeret, nè mares exhęredare cogeretur, lanificium inſtituit. ſeque mercatorem profeſſus. nec ob id quicquam de filiorum ingenuitate detractum, quibus auorũ dignitas ſuffragata eſt. vt habetur ff. de Senatoribus. l. Emancipatum. §. Sed ſi quis verſic. & magis eſt vt debeat. Sed quod amplius in re eſt. Vidi ego dum Aquis apud patrem patronumq; cariſſimum D. Camillum Becium Epiſcopum morarer, Hominem quendam pannoſum, tanta egeſtate oppreſſum, vt pro ſtipe viuendi, oſtiatim mendicaret; quem tamen fidiſſimis probationibus conſtabat, prognatum familia Paleologorum olim plurimis Cæſaribus auguſtiſſima. Sed plena ſunt eius generis caſibus volumina, ad ſeculi rerumque mundanarum inconſtantiam, fluxum, viciſſitudinemque demonſtrandam, vt felicem excelſaque ſorte beatam (de ſeculi voluptate loquor) eam progeniem reputemus, cui datum eſt honorifico ſtatu diutius incolumem florere. Hæc inquam de lateralibus vtcumq;

pro-

propinquis, gratis cõceſſerim, nec quippè ſingulos vindicandos ſuſcipio. Illud contenderim, quod in vniuerſa noſtratum Borromæorum linea, à tenellis infantibus Comitum Caroli ac Iulij Cęſaris filijs, qui nunc lactentes ab vbere pendent, rectà ſeriatimque aſcendendo vſque ad Maximum Vitellium, Patauij ac Venetiæ Præſidem, per totos millè ſexcentos annos & amplius, neminem reperias, nedum fœnori, aut ſordidis mœchanicisvè artibus implicitum; ſed nullum non penitus ingenuum, omninò clarum, & vndequaque illuſtrem.

Diuitiarum cumulus quem omnes ſuſpiciunt, reuera mirandus, non ex mutuo, aut plebæis argentariorum lucris congeſtus, ſed ex theſauris, per magnũ Ænobarbum coaceruatis, ab eiuſdem nepotibus cõſeruatus fortè & auctus, ac velut per manus ad poſteritatem tranſmiſſus noſcitur, vt prædictum. Retulit namque ſæpè citato numquam ſatis laudato, D. Danieli Vitaliano, Diana filia Caroli qui fuit Antonij filius, Borromæique, Alexandri ac Philippi frater, de quo in Coronide, tunc octuagenaria maior, Mantuæque degens, audiſſe ſe ipſum Antonium Co. Borromæi filiũ, Auũ ſuũ narrantem, quam ingentem ac planè incredibilem, auri pretioſorumque lapidum vim, Sanminiato Mediolanum aſportaſſet Talda Philippi vxor, quem retulimus Florentinorum indignatione obtruncatum. Quibus ſcilicet diuitijs, inuidiſſe prædiximus Franciſcum Carrarienſem. Faceſſant igitur rabulæ iſti, quos ægreſcens alienis proſperitatibus maleuolentia, ceù tortor inteſtinus iugiter

Fo. 422
Fo. 405

giter excruciat: confundanturque amodò vndequaque nitentem coruſcantemque familiam contumelijs labefactare; vt enim iacula quædam in cęlum emiſſa etſi videantur eo pergere, pertingere omninó nequeunt, ſic eiuſmodi conuitia Borromæos petunt, non accedunt, Putas enim Inſubricæ Reipublicæ Proceres, itidem Comites, Marchiones, Barones, paſſuros Ioannem ſibi præferri vel etiam aſſociari, quē męchanica procuratione qualitercumque ſordidatū arguere potuiſſent, aut quouis mndo ſuſpicari? multo veró minus Vitalianum ipſius Auum: adoptatoremvè Ioannem, nouos, aduentitioſque homines tantopere coluiſſent, aut in conſortium admiſiſſent, qui illiberalem negotiationem, vel tantillum olerent? imò ni de eorum ingenuitate planè ac plenè conſtitiſſet? Hęc per tranſennam ad retundendos maledicos adieciſſe libuit. Nunc ad Comitem Ioannem Quintum redeo.

Duce Galeacio Sfortia interempto, cum filius ob pupillarem ætatem regimini minus aptus eſſet, tumultuſque indies exorirentur hinc indè, decernentibus *Bona* Ducissa, ſanioribuſque Conſiliarijs, de graui quopiam Moderatore deligendo, cui vacillantis ipſius Regię Ciuitatis adminiſtrationem comitterent, qui auctoritate valeret ac prudentia, dexteritateque in rebus gerendis, nemo ad id aptior occurrit Comite Ioanne; quem ſcilicet egregia virtus, probata fides, ſumma integritas, maximè verò vniuerſorum ordinum fauor, ardenſque totius populi ſtudium ſupra cæteros commendarent. Omnium igitur con-

ſenſu,

ſenſu, ac ſingulorum applauſu, Mediolani Guberna-
tor renunciatus, ijs artificijs ſuſceptum clauum mo
deratus eſt, tot pręſertim diſſenſionum procellis vn-
dique exurgentibus, vt eximiam penes cunctos ſibi
compararit Sapientiæ exiſtimationem. Cumque
Valeſiani ac Heluetij, ferox & aſperũ hominum ge-
nus, diſsidiis quibus Mediolanẽſe dominium paſſim
agitabatur, eius diripiendi, ſuæque eorum ditionis
ampliandæ occaſionem ſe nactos arbitrati, confra-
goſis vallibus, Domuſſulã verſus erupiſſent: Pagoſq;
finitimos adorti prædam congeſſiſſent ingentem:
iamque pro libito debacchantes, cædibus ac ruinis
cuncta complere nunciarentur, eorum audacię com
peſcendæ impetuique reprimendo, Comes Ioannes
deſtinatus eſt, adiuncto ſibi Renato Triuultio magni
Iacobi fratre bellatoreque ſtrenuo, qui tamen eo prę
lio vaſta hoſtium cæde laſſus, grauiterque ſauciatus,
tandem ſuper confuſæ ſtragis aceruum concidit, glo
rioſi facinoris fama pro triumpho vſus. Itaque Bor
romæus barbaros aggreſſus, inclyti ducis ſimul &
validi pugnatoris munere perfunctus, (vt verbis
vtar ipſiuſmet Bernardini Chronographi) vſquea- *Bernar.*
deò latè fortiterque circumfuſos, cæcidit, ſecundum *Cor.*
amnem vocabulo *Toſam*, vt fluuius tinctas cruore
vndas traheret: cumuluſque cadauerum inſtar col-
lis exurgeret: quo ſanè certamine hoſtium vires tan-
topere attritæ ſunt, vt animis conciderent, nec ter-
minis ſuis amplius excedere attentarent. Comes
Ioannes tãta victoria potitus, illud de vniuerſa præ-
da ac ſpolijs reuexit tropheum, quod Frenum genti-
litijs

litijs eius inſignibus adiectum eſt; id quippè præmij loco, ipſius conſecuta eſt fortitudo, deferente Principe ac Senatusconſultò. Quidni igitur Comitem hunc priſco illi Ioanni, qui inſigni bellicæ virtutis felicitate, olim *Boni romani* ſibijpſi parauit, ac poſteritati peperit agnomen, parem cenſeamus? Sed iam operepretium recolere qualiter ingens fortunarum detrimentum ſubierit optimus Comes. Erat illi [ſicut prætulimus] frater minor natu *Vitalianus* nomine, quem ille Genitore defuncto ſumma diligẽtia educandum, ſcientijsque exornandum curauit: iſque aſſiduis ſtudijs nec repugnante Minerua, ſatis amplã ſibi comparauit litterarum ac politicæ ſapientiæ ſupellectilem. Cumque Sapientiæ opinione valdè emineret, Duçi Ioanni Galeacio in primis gratus extitit: & ab eo Conſiliarius à ſecretis adhibitus, effulſit inter cæteros mirandum in modum. Intereà cum Ludouicus Sfortia, dictus cognomento *Morus* (non quia lurido ore, aut fuſcedine reſperſo, vt vulgares opinantur, ſed quia ipſe tali nomenclatione gauderet; quiputà ad ſagacitatem inaniter denotandam, *Mori* arborẽ, inſigne ſibi peculiare conſtituerat, quæ eſt prudentiæ ſymbolum, quemadmodum Quercus fortitudinis, Palma iuſtitiæ, Salix temperantiæ, arborum autem prudentiſſimam *Morum*, indè arguimus, quia nequaquam primo lenioris mitiorisvè auræ flatu allici ſe ſinat ad germinandum, ſed tardè, nec prius quam hyemps abierit, nulluſque ſupereſt pruinæ infeſtę metus, in gemmas erumpit; vt verò ad amœniora veris tẽmpora peruẽtum eſt, quã

ocyſ-

ocyſſimè folia, flores, fructuſque profert: ac celeriter maturat, nec aduentātis æſtus noxam opperitur; tale prorſus Ludouicus ingenium ſuum oſtentare ambiebat; quod ſcilicet grauiter conſilia iniret; celeriter explicaret conſulta. Emblema fortaſsè Cæſarum Titi, ac Veſpaſiani æmulatus, *Delphini Anchoræ* circomuoluti, quo conſilij pondus executionis velocitatem deſignaret. *inaniter* autem dixi, comprobante euentu; quippè nec quicquam ſapere exiſtimandus, qui ſibi non ſapit. ſed interim, vafro vir ingenio, enecti Galeacij germanus, nepotisque pubeſcentis tutor, libero abſolutoque inhiaret potiundo Principatui, ſingulos Regni Proceres quos auctoritate vel potentia valere intelligeret, iniquæ autem eius cupiditati minimè obſecuturos vereretur, quin potius obſtituros ob fidelitatis iuſiurandum dudum præſtitum, inteſtino odio perſequebatur: Exercitus præfectos exacerbabat; quatenus à Ducis Ioannis Galeacij ſeruitio, ad alienos deficerent; Munitionū ac Fortallitiorum cuſtodes amouebat: Ioanni Tolentino copias ademit, eximium virum Reipublicæ columen Cicum Simonetam, cuius Sapientiæ incomparabili vniuerſi regiminis moles innitebatur, in falſi criminis culpam vocatum, confectis vel confictis potius quæſtionis tabulis (*proceſſum* dicunt) reum iudicauit & capitis damnauit. Quod verò de Comite Ioanne tantum nequaquam ſibi licere animaduerteret, ob nobilitatis ipſius eminentiam, fideique ac integritatis præſtantiam, nemini nō exploratam, eius fortunis inſidias ſtruere aggreſſus eſt; nimirum

ſubdolè cogitauit, ſubſtantiam Borromæis adimẽdo, de eorum potentia ſibi inuidioſa, non parum imminuere. Quod Corius his verbis innuit præcisè, *Suſcitò Vitaliano Borromæo, ch'era ſenza figlioli, contra Gioanni ſuo fratello, & per diuiſione li tenea in diſcordia.* Itaque Vitaliano eius fratri ſyncero facilique ſuadere adnixus eſt ſub honeſti ſpecie, vt quandoquidem fata ei poſteritatem denegaſſent, adoptiuum ſibi deligeret, facultatum ſuarum ſimul ac nomenclationis hæredem, exemplo ſcilicet Ioannis, qui Vitalianum ipſius Auum in filiũ ſibi allegerat, ſic enim fore, vt ſe aliquandò vixiſſe innoteſceret venturis ſeculis: nomenque ſuum ęternitati commẽdaret: & alios ſui memores relinqueret benemerendo; cum cæteroqui germani Ioannis, aut filiorum opulentiæ nihil prorſus defuturum videretur; imò abundè nimium diuitiæ ſuppeterent. huiuſcemodi adhortationibus eum frequenter alliciens, tandem in ſuam ſententiam traduxit.

Diligebat autem Vitalianus Ludouicum nepotẽ ſuum, ex ſorore Iuſtina, Ioannimariæ Vicecomiti Equiti Ducalique Conſiliario deſponſata primogenitum, præclaræ indolis Adoleſcentem, hunc ergo adoptatum ſibi ſucceſſorem deſignauit in bonis, voluitque *Borromæorum* cognomine appellari, & eorundẽ geſtare inſignia. Hic inquã Ludouicus *Vicecomes, Borromæus*, genitus fuerat Ioanne Maria, qui filius extitit Philippi Mariæ & is Gaſparini, illius dico, quem Ioannes Maria Anglus, & Caterina Mediolani Duces, in quorundam Feudorum collatione, nũcupant,

cupant, Egregium militem Equitemque armatæ mi litiæ, Conſiliarium ſuum, & conſanguineum dilectũ. Eiuſcemodi porrò propinquitatis ratio ea eſſe digno ſcitur, quia ipſe Gaſparinus filius fuerat vbertati; Vbertetus ſed enim vir fuit *Sopranæ*, ipſaque Agleſiæ Cypri Reginæ ſoror, natus verò Iannolo octingentorum Equitum ductore, & hunc Gaſpar ediderat Caſtri Albizati ędificator, qui proles extitit Petri Aronę Comitis; aſt Petrus filius fuerat Iacobi Andreotij, fraterq; Theobaldi, à quo magnus Matthęus, & Mediolani Duces prodierunt. Vicecomitum autem genealogiam à primordijs & (vt fertur) ab ouo, nonnulli ſic deſcribunt; nimirum, quod Princeps quodam Troianus nomine *Anglus*, de ſtirpe Agenoris, non quidem Antenoridæ, ſed Agenoris Regis Phœniciæ, de quo 1. Æneid. *Virgil.*

Punica regna vides, Tyrios & Agenoris vrbem.

Cum poſt Ilij euerſionem profugus ad Verbani lacus oras fortè appuliſſet, Angleriam ex ſuo nomine condidit, quæ procedente tempore, populoſæ amplæque Ciuitatis decus obtinuit, vt quidem grauiſſimi tradunt Scriptores, poteſtque ex ruinis conijci; licet nunc inter oppida numeretur, non tamen obſcuri nominis, de qua Auctor ſupplementi Chronicorum ſcribit in hęc verba. Eo loci adhuc caſtellũ in tumulo poſitum eſt, quod Borromæi clariſſimi Mediolanenſes Ciues, multarum diuitiarum potentiſſimi, ſumma cum diligentia cuſtodiunt, hęc Iac. Philippus libro 12. Sunt qui hunc Anglum nuncupent *Allionem*, eiuſque filium *Andream*, quem *Abi-* *Iac. Philip. Bergomaſ.*

dam dicit citatus Bergomenſis. ab his prçclariſſimã Vicecomitum familiam fluxiſſe perhibent, ſeriatim deriuantes vſque ad Helyprandum, qui patriam noſtram ab igne & ferro ſecundi Conradi Cæſaris, admodum glorioſè propugnauit tutatuſque eſt, adiuuante eum Sancto Patrono Ambroſio, dum minitabundus apparens, Imperatorem deterruit. Recenſetur & inclytus Otho, famoſi Colubri inuector, & Galuagnus, qui eandem Lombardię Vrbium Vrbé, cum à barbaris Theutonicis ſub *Rubrobarbo* deformata proſtrataque, extremum paſſa videretur diſcrimen, vſqueadeò felici rerum omnium prouentu erexit, vt priſtinæ amplitudinis ornamenta reciperet; quin & ad firmiorem dignitatem inſtaurata, clariore iam nominis ſui auctoritate potiretur: adiacentesque inſuper confęderatæ Ciuitates, liberalitatis ac magnificentię eius emolumenta perciperent. à Galuagno autem vſquè ad Othonem Archiepiſcopũ facilis eſt deductio, ac deinceps ſumus in claris; nam ipſum Antiſtitem Vberti ac Bertæ Pyrouaniæ filium, fratremque Andreotij, prędictorum Theubaldi atque Petri patruum extitiſſe, latè patet, his qui vel ſummis labris Chronica delibarunt; præclaram verò eiuſmodi ſeriem ſedulò perſcrutatus egregius Legum Doctor Paulus Alexandri à Rhaude, nuper in Arborem dilucidè admodum redegit. Et hæc obiter viſa ſunt adnotanda, nec incaſſum fortaſsè laboraſſe contigerit, non dico vt innoteſcat quibuſcum ſępè affinitatem inierint D.D. Borromæi; neque enim ſcriptis meis ſerenari indiget Vicecomitum familia,

quam

quam nemo inficietur ſuoptè fulgore ſereniſſimam; ſed quia vbi Vitaliani Borromæi fusè deſcribuntur, Borromæi Vicecomites, omninò præteriri non debuerunt. Ludouicus quippè iuxta Adoptatoris Co. Vitaliani Legatum, confeſtim ſe de Borromæis cognominari curauit, appinxitque eorum inſigne. *Frænum* videlicet, gentilitio auitoque *Angui*. Vtroque perpetim pro ſtemmate vſurus. Porrò Ludouicus minimè vnigenitus fuit Io. Mariæ ac Iuſtinæ licet primogenitus; habuit namque fratres Alexandrum, Io. Hieronymum, Gaſparem, Cæſarem, & Albertum, qui vnà & ſimul in quodam priuilegio Imperiali nuncupantur, Fideles ſacri Imperij nobiles. Co. Ludouicus plurimis innatis & quæſitis dotibus conſpicuus fuiſſe deſcribitur, & varijs maximisque legationibus perfunctus ad Pontificem, Reges ac Principes, ex quibus multa retulit gratiarũ munera & indulta. Filios habuit Comitem Vitalianum ac Petrumfranciſcum, qui pater extitit Filiodoræ, eius quæ nupſit Hieronymo Vicecomiti de Maſſino. Vitalianus Regius Senator fuit, habuitque hęredem Annibalem, ea fuit adoptati Co. Ludouici progenies. Alexander Prothonotarius atque commendatarius prorſus caruit prole. Conſimiliter Io. Hieronymus, nullum reliquit filium. quapropter Ludouici hæreditas tranſijt ad Gaſparis liberos; nimirum Gaſpar quarto editus partu, propinquior extitit Ludouico adoptato, præceſſitque Cæſarem & Albertum natu poſtremum, qui ſuſcepit quidem Federicum ac Io. Mariam, ex quo alius ortus eſt Fede-

ricus,

ricus, verum in his interceptam vidimus eius lineā. Cæſar verò genuit Carolum qui fuit Regius Senator, Epiſcopus & S. R. E. Cardinalis. præterea Io. Gaſparem, ex quo Cæſar prodijt, pater Caroli nunc viuentis, qui ex coniuge Camilla Co. Federici de Rubeis filia, alium procreauit Cæſarem adhuc infantulum; Gaſpar autem (vt pręmiſſum eſt, Ludouici hęres) filium habuit Fabium, qui ducta vxore *Constantia* Firmi Triuultia, ſuſcepit Othonem, Vitalianum, Pyrrhum, ac Io. Firmum, quorum nemo poſteritatē vidit, ſi vnum excipias, Pyrrhum Comitem Equiteq; S. Iacobi, qui candidiſſimis placidiſſimisque moribus inſtructus, ſic omnis elegantiæ ingenuæque liberalitatis muneribus effulſit, vt in omnium ore eſſet, cunctorum ſibi conciliaſſet dilectionem, & ſi dicam quod ſentio, me quoque ſuaui quodam nodo deuinxit illius iocunditatis lepor; ſed quid memet in medium proripio? omnes eum gratijs natum exiſtimabant: idque iure comitatis & nuſquam fucatæ facilitatis ei contigit, vt mira etiam beneuolentia eum amplecterentur ſummi Principes, Guglielmus, ac Vincentius Mantuæ: Franciſcuſque ac Ferdinandus magni Etrurię Duces. Quin & ea ſibi aſciuerat litterarum ornamenta, quæ Equitem ſanè inſignem commendarent. Vndè & *Muſarum delitium*, eum dicere conſueuerat Don Gregorius Commaninus inſtituti mei Poeta celeberrimus. Excelſi animi illius ſuperſunt indicia ſubſtructiones mirandę, quas ipſe erexit in Allodio, quod *Caſalis* appellant: tum verò artificioſi fontes, viridaria, nemora, eximio cultu ac

ſum-

ſumptu Leinati conſita, obeliſcis ac ſtatuis marmoreis ęneisque diſtincta: Muſcaque ita lithoſtraticis conſtructa lapillis, vt dependentes, velut diuturna aquæ diſtillatione eroſi pumices ſpecuum imaginem omninò referant. Aulæ quoque & cubicula, fornicibus, laquearibus ac parietinis laborioſa auri pictura necnon teſſerulis vitreis, petrisque ſectilibus vario multiplicique colore effigiata, conſtructa ſiuè cruſtata, vbi vel pauimentis ipſis, marmore cęſim diminuto, emblemata miro artificio expreſſa cernuntur. vt ſpectantibus illud Papinij ſpontè ſuccurrat;

Dum vagor aſpectu, viſuſque per omnia duco,
Calcabam necopinus, opes: nam ſplēdor ab alto
Defluus, & nitidum referentes aera teſtæ
Monſtrauere ſolum: varias vbi picta per artes
Gaudet humus, ſuperātq; nouas Aſarota figuras.

Illic cū clariorum pictorum exemplaria, ſiuè iconū originalia (vt aiunt) congeſſit vbertim; tum & vetuſtorum numiſmatum, vulgò *Medaglie*, vim ingentem. Vir omnis antiquioris elegantiæ ſtudioſiſſimus. In Vrbe etiam animo reuoluebat grandia moliri: Mediceorumque palatium (nunc Simonetarum) ad Braidenſe Collegium ampliare cogitarat atque complere, modo illud per Regij Senatus diſpēſationem obtinere licuiſſet. Diuertit propterea ad Arigoniorum domicilia, quę dudum Petrus Paulus cum Senatui pręſideret ad Damianam ędem extruere cęperat, & ex partè abſoluerat ſanè perampla, eaque ſibi coemit, quæ tamen filijs perficiēda reliquit, articulari morbo antè diem abreptus, qui ob egregia

cœpta

cœpta videbatur mori non debuiſſe. Vxorem duxerat *Hippolitam* Alexandri de Porris, Pompęo geniti filiam, ſed ex ea vnicam ſuſcepit, *Conſtantiam*, quæ cum adoleuiſſet, ſecularis vitę pertęſa ſacris virginibus Canoniſsis aſſociari voluit, mutatoque nomine donna *Hippolita Camilla* nuncupata eſt, adhucque multa cum laude templo deſeruit *Annunciatæ* Dei Matris, ipſe verò genitor, vxore Hippolita defuncta, Camillam ſibi deſponſauit, Marchionis Io. Baptiſtę Marini filiam, quę duobus maribus Fabio ac Vitaliano eum ditauit, tribusque femellis, quarum prima *Margarita* vocabulo Comiti Io. Petro, Io. Baptiſtę filio, ex inſigni familia Sorbelloniorum, de quibus apud nos prędicatur vti de Iobo quōdam, quod *Magni ſint inter omnes Orientales* (nempè ad ortum ſolis reſident in Ciuitate) quorum viri dudum prępotentes, pręter bellica trophęa ſępiſsimè de hoſtibus relata, Epiſcopalibus infulis ſacraque purpura, fœminę etiam Pontificio Throno familiam exornarunt.

Vitalianus Vicecomes Pyrrho genitus, paternę virtutis obſes, vſqueadeò à teneris annis ſpecimē pręſetulit eximię indolis & pręcocis ingenij ad litterarum ſtudia, indiesque ſuccreſcens opulentam ſibi quęſiuit ſcientiarum poſſeſſionem (haud ignota loquor) quare nec nimię propenſionis erga mihi dilectiſſimum, & multò minus adulationis inſimulari vereor; quandoquidem ſingularis eruditionis meritò, Artium, Philoſophię Theologiæque imberbis adhuc lauream conſecutus eſt, ac vtriuſque Iuris prudentiæ, & paullò poſt in ciuile DD. Iuriſtarum Collegium Mediolani

lani aſcitus: ac Romæ referendis coram Sanctiſſimo Patre libellis præfectus; poſtque in cœtum Clericorum Apoſtolicæ Cameræ cooptatus Adrianopolitanus Archiepiſcopus: & ipſius Pontificis Pauli Quinti ad Matthiam Romanorum Imperatorem legatus deſtinatus; dum admirandæ virtutis radios diffunderet, immaturæ mortis nube contectus, ab omnium oculis lachrymas elicuit. Comes Fabius natu maior domi reſidens, familiæ decus ſplendidè tuetur: præclariſque nuptijs *Blancam* ſibi copulauit, Ioannis Ambroſij Spinolæ filiam, quæ ad hanc diem Camillam ei peperit, Aureliam, Pyrrhum, & Gaſparem Vitalianum. Hactenus de Vicecomitibus Borromæis qui *Frænum* gerũt inſigne, & *Colubrum* inſimul, occaſione Vitaliani Borromęi Comitis eorum Auunculi, ſeù patris ex fictione legali, intercedente adoptione. Nunc ad ipſos germanos redeundum, pro quibus extant litteræ Blancæ Mariæ Vicecomitis, & Galeacij Sfortiæ Ducum, ſub Ann. 1466. infeudantes ipſis fratribus Terram Guardaſonis, cum alijs quibuſdam iuriſdictionibus, hac pręcisè forma verborum. Volentes aliqua ex parte reſpondere ampliſſimis, & multiuarijs beneficijs, & laudabilibus meritis Magnificorum Dominorum Ioannis, & Vitaliani fratrum de Borromęis Comitum Aronæ noſtrorum dilectiſſimorum, quos reperimus promptiſſimos, liberales, & indefeſſos in arduis neceſſitatibus ſtatus noſtri, nobis non defuiſſe de ſuis pecunijs in copioſiſſimo numero, gratis, & liberaliter ſeruiendo: ac in alijs virtute, ingenio, & ſolicitudine ſtatui noſtro profuiſſe vehe-

menter,& cęt.Volentes in eos fratres Comites libera-litatem noſtram, ſeù verius debitam omni iure re-tributionem exercere,Harum ſerie,attentis etiam & conſideratis, & cęt. Anno autem ſequenti ſcilicet 1467. 16. Ianuarij ab ijſdē Ducibus manarunt lit-teræ confirmationis, ac nouæ inueſtituræ ipſis fratri-bus,omnium Oppidorum,Caſtrorum, locorum, Iu-riſdictionum, ac Bonorum per ipſos quęſitorum in ampla forma. Sub tali præfatione. Illuſtriſſimi Prin-cipes,& D.D.Dux, & Duciſſa, nacti occaſionem fa-ciendæ recognitionis,& renouationis Feudorum Pri uilegiorum,conceſſionum,& cęt.Secumq; cogitan-tes, quantum fides, deuotio, obſeruantia, prompta obſequia, ac merita prædictorum Comitum expo-ſtulent,qui paterna auitaque veſtigia imitati,omnia ſummo ſtudio conquiſierunt; quæ amplitudinem ipſorum concernerent, nullum diſcrimen euitantes, & fortunas exponentes, quo Principibus ſuis ob-ſequerentur. Statuerunt aliquo beneficentiæ argu-mento,tot tantiſque beneficijs correſpondere. Ad-de quod vt clariſſimo genere, ac ingenuis moribus, præſtantiſſimis animi & corporis dotibus Comites ipſi, vel maximè pollent, quæ omnia prædictos Do-minos non hortantur modo,ſed impellunt, vt eorum bona conſeruent, & augeant, & cęt. Præter alia quæ piget exarare.

Comes autem Vitalianus Borromęus obijt die de-cimo ſeptimo menſis Septembris,currente anno ſa-lutari 1493.Co.Ioanne fratre adhuc ſuperſtite. Vi-taliano ipſi nonnulli detrahere nituntur, affirmantes

eum

eum lanificij inijſſe ſocietatem. ego nuſquam talia reperi; nec ſatis video vndè probare poſſint: nec quippè vero ſimile iudicetur, vt vir ſupra modum locuples, maxima ditione potens, in litterarum ſtudia propenſus, Ducaliſque Conſiliarius, tantoperè augendo cenſui inhiaret, vt in claritatis ſuæ contemptum, vel potius iniuriam, mechanicis animum adijceret; maximè cum prole deſtitueretur, ac bonorum ſuorum forinſecus inquireret hęredem, vti prędictum. Sed ſi & id detur, (cum tamen nullatenus concedatur) palam eſt ex eo nihil de Trunci huius nitore detrahi, quando & ſummi Duces, ac Principes hodieque eiuſmodi conſtat ſe Societatibus immiſcere, & in ciuium, priuatorumque vaſſallorum commercijs participare. Idem porrò & Romanorum primores præſtitiſſe teſtis eſt accuratus Foroliuienſis, lib. 1. de Roma Triumphante. Et Marcus Tullius pro Plancio orans. Eius patrem dixit Equitem Romanũ, addiditque inter commendandum, eum extitiſſe maximum Societatum auctorem; imò & plurimarum magiſtrum. Et ad Craſſipedem ſcribens, affirmat hoc genus hominum, magnam eſſe Ciuitatis partem; nimirum ob vtilitatem quam ex eis percipit Ciuitas vberrimam. Verum vtcumque ſumatur, ſupra relatum ex Platone, quod *Nobilitas tranſit à parentibus ad natos*, ſeù, *A patribus ad liberos* ex Cicerone, neq; vſpiã dictum *à Matribus*, neù *à patruis*, aut *ab Agnatis*, & id ſufficere puto. Bernardinus Corius ſexta parte Hiſtoriæ dum pompam recenſet qua ad Eccleſiam Eliſabella Aragonia Ducis Io. Galeacij ſponſa proceſſit;

Blondus *Cicero.* *Bern. Cor.*

Fo.510. idem prorſus repetit quod ex Dulcinio ſupra retulimus, nimirum illi aſtitiſſe Co. Ioannem Borromęum, & Io. Franciſcum Pallauicinum, quos teſtatur præcipuos Mediolanenſis Imperij Feudatarios. Eandemq; Neapoli deductum ierant cum Hermete Sfortia, Vitalianus Borromęus, Gaſpar Vicecomes, & Ambroſius Mainus ſummi Heroes ex eodem Corio. vtque ad exitũ properemus, præ foribus templi Pedoniani, marmori inſculptæ Co. Ioannis ſimulatque Vitaliani ſpectantur effigies ad viuum expreſſæ. Cuius quidem Ioannis Quinti, cum de anno 1495. Nouembris 14. diem clauſiſſet; tamquam Duci parentatum memoratur. Eius quoque Filias Illuſtribus connubijs elocatas didicimus; nempe Eliſabella primum Iuliano Medicæo nupſit, poſt cuius obitum, ad Franciſcum Attendulum Bologninum tranſijt S. Angeli Comitem: demum & coniux fuit Marchionis Ant. Mariæ Palauicini. Franciſca, Franciſco tradita Sfortiæ Co. Burgi noui. Hippolita Claudio à Sabaudia, Marchioni Raconiſij. Iuſtina, Marcheſino Stãpæ. Galeacius natu minimus, clericali ſe mancipauit profeſſioni fuitque Prothonotarius Apoſtolicus, & S. Gratiani in Gratiſolio, ac S. Barnabæ Mediolani commendatarius, ceù quondam Co. Iacobus Papiæ Præſul de quo ſupra.

Lancilotum 1512. Matthæus Schiner vocabulo *Cardinalis Sedunenſis*, Legatus ac Vicarius in toto Dominio, Nouariæ Gubernatorem conſtituit, vt eam Ciuitatem ab hoſtium impetu inſidijsque tueretur, ac non multo poſt, eundem Mediolani Senatorem,

atque

atque Conſiliarium declarauit, ipſe ſequeſter fuit inter Franciæ Regem, Ducemque Mediolani: diſcriminaque magna ex parte reſcidit, diù etiam Alexandriæ gubernacula moderatus, Coniugem habuit *Luciam*, Antonio Adorno Genuenſium Duce natam, ex qua filiam ſuſcepit *Eliſabellam* vocabulo, eaque nupſit Renato Triuultio, non iam Antonij, quem occidiſſe prædixi in bello Heluetico ad Domuſulam, ſed Renato Franciſci, ex quibus orta eſt Margarita Borromæa & Lucia Vicecomes, Margarita inquam Domini mei Card. Federici Genitrix, Lucia verò Aloyſij Vicecomitis vxor, materque Annæ, quæ Iac. Ant. Io. Baptiſtæ Arconati primogenito, Co. Aloyſium pepe-rit Galeaciumque nunc viuentes. quod addidiſſe placuit, vt poſteris innoteſcat, qua ſanguinis propinquitate cohæreant, D. D. Borromæi, ipſeque Co. Aloyſius, cum tantoperè animis iuncti narrabuntur. quod ſanè propoſitum, cum aliquandò ipſi Comitiſſæ Annæ apeuiſsem. Laudabile profectò ſtudium, opereque pretiũ te facturum ſcito (ait illa) atqui noueris, alio inſuper glutine nos inuicem copulari; quo ſcilicet non modò Illuſtriſſimus Federicus Comitiſque Renati proles; ſed & Sanctus Cardinalis, Vicecomitesque, Ferrerij ac Vermienſes comprehenduntur; nimirum reſpectu Amitæ meæ; Aloyſius ſiquidem Galeacio Vicecomite genitus pater meus, ſororem habuit Veronicam, Federico Borromæo copulatam, matremque Comitum Giberti ac Iulij Cæſaris, necnon Magdalenæ, quæ tradita eſt Sebaſtiano Ferrerio March. Romagnani, & Eleonoræ, quam ſibi deſponſauit Ianes Vermienſis Co.

Bo-

Bobij, fraterque Thadeæ Com. Giberti vxoris ſecundę. Ecce tibi nexus dudum confectus, qui nouiſſimè innouari viſus eſt, vel confirmari nuptijs meis, fœlicique augmento prædictis additi Arconati. De his ingenua Heroina me initio docuit: Multaque diſſeruit de Socero ſuo, quod valdè acceptus fuiſſet Galliç Regibus Franciſco & Henrico: tum de Cognatis Franciſco Tribuno, Equite Ordinis Annunciatę, Oratore ad Pontificem ac Regem Philippum Secundum, tum de Io. Baptiſta I. C. nunc Capitaneo Iuſtitię. Sciſcitanti autem mihi, num aliquandò audiſſet de filiabus Com. Vitaliani Octaui, vtique; reſpondit, narrabat quippè Comitiſſa Eliſabella Auia mea, Ambroſinam Fagnanam peperiſſe præter Coronam, Fortetiã Philippi Cribelli, ac Sperantiam Co. Iacobi de Corrigio vxores. Subiunxit autem ex ſe, velim recenſeres Claudiam Co. Marci Ant. Areſini, atque Annam Pręſidis Alexandri Panigarolæ coniuges; nempè ortæ ſunt Com. Fabio Vicecomite Borromæo & Conſtantia Triultia, ſororesque Co. Pyrrhi tui, quem tantoperè dilexiſſe profiteris. nec ſilentio præterires natas eiuſdem ex Camilla Marina, Hippolitam quæ nunc in Clauſtro S. Pauli nomen ſortita eſt Angelicę Perpetuę Mariæ, atque Liuiam, pręter Margaritam Sorbelloniam. Ipſa Co. Anna Arconata his diebus emigrauit pietatis operibus conſpicua. Date ei de fructu manuum ſuarum.

Cebes. Ludouicus, antiqui Sapientis cui vocabulum *Cebes*, ſententiam, veram eſſe in ſe ipſo comprobauit; nimirum quod *Multos anguſtiæ illuſtrarunt, qui obſcuri fortè iacuiſſent ſi præſſuris, & perſecutoribus caruiſſent*,

que-

quemadmodum & lima ferrum corrodens, ipſum ſplendeſcere facit. Cui ſimile quiddam affert Ciſtertienſis Doctor inquiens. Quomodo ſtellæ noctu lucent interdiù latent, ſic vera virtus quæ ſæpè in proſperis non apparet, in aduerſis enitet. indè & Macrobius (vt ſuperſedeam noſtratum, ſcilicet Chriſtianorum auctoritatibus, quæ innumerę occurrunt per cenſendis) aſſeuerabat non omninò Dijs inuiſos eſſe eos qui in hac vita cum ærumnarum varietate luctantur. Odium quo Ludouicus Sfortia in vniuerſam Borromęorum ſtirpem, ob eorum probitatem integritatemque exarſit. Ludouicó huic Com. Ioannis filio, occaſionem miniſtrauit proferendi magnanimitatis ſuæ inditia; namque cum ſibimet proſpiciendum intelligeret, cauendumque à verſipellis inſidijs, ſeceſſit in extrema Verbani littora: illicque memorandam extruxit Arcem, quam *Vitalianam* voluit appellari, ad non dubium animi elati, & ad grandia ſurrecti monimentum: quandoquidem cum publica Vrbium, Mœnium, Baſilicarum, ac Templorum; tum priuata etiam Turrium, Palatiorum, ac Domorum ædificia, lautè ac ſumptuosé conſtructa, certiſſima magnanimitatis exiſtimantur argumenta; nam vt coloſſos, pyramides, obeliſcos, fornicesque triumphales: & conditorum qui talia erexerunt, recenſitas paſſim laudes pertranſeam, Nero cum Orbis ſceptra gereret, Romani Imperij gloriam ſatis ſe oſtēdiſſe putauit Principibus quibuſdam exteris, cum eos in Theatrum, dudum à magno Pompeio extructum introduxit. Titus ac Veſpaſianus

S. Bern.

Macrob.

mi-

mirandum Amphitheatrum poſuerunt. de quo Epigrammatiſtes,

Martialis. Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro,
Vnum pro cunctis, Fama loquatur opus.

Domitianus coram Senatu iactare ſolitus fuit, Vrbem ſe lateritiam reperiſſe, & marmoream relicturum. Sed quid in hominum placitis verſemur aut opinionibus? Excelſus & incomprehenſibilis Deus à ſeculis æternis ſuimet fruitione beatus, quod initio temporum ſtatim atque bonitatis ſuæ theſauros in creaturas effundere decreuiſſet, vaſtum hoc opificiũ condiderit Aedificatorem ſedici gaudet, Fabrilisque & id genus Architectonicę artis vocabulis ludere delectatur, cum præſertim de Orbis terrarum conſtitutione ſciſcitatur ex Iobo 38. Quis poſuit menſuras eius? quis tetendit ſuper eam funiculum? ſuper quo baſes eius ſolidatę ſunt? aut quis demiſit lapidem angularem eius? Moyſes primæ Mulieris formationem enarrans, eiuſmodi introducit vocabulum. Gen. 2. inquiens, Aedificauit coſtam in mulierem, [indèque myſticum intellectum elicit ſacer Epiphanius ad Eccleſiam trahens] Dauid quoque pro magno habet dicere domino, Tu fabricatus es Auroram & Solem. Pſ. 73. alias de ſuperna ſanctorum felicitate verba faciens inquit, quod cęleſtis Hieruſalem ędificatur, vt Ciuitas. Pſ. 121. ſimilitudine non inconſona, eamque dicẽdi phraſim ſubſecutus Apoſtolus 1. Cor. 3. ſpiritale commercium ipſe pariter expreſſit metafora fabricæ, cum docuit Chriſto qui æternæ domus fundamentum perhibetur, ædificium viuis operibus ſu-

ſuperextruendum : nec ligna ſtipulam, fœnumvè adhibendum, ſed argentum, aurum, lapideſque pretioſos; imò ipſe Saluator Turrim nonniſi computatis ſumptibus auſpicari monet, nè intercepta erectione, temeritatis improuidæ notam incurramus: & tranſeuntium deriſioni pateat audacia noſtra. Lucæ 14. Certè (quemadmodum & in Pilæ huius fundamento obſeruatum) forma corporis, & membrorũ decenti ſymmetria coaptatio, optimam prodit vt ſæpius inuiſibilis animi diſpoſitionem, ita illuſtris ædiũ ſubſtructio, inhabitantium præſefert honeſtatem. *Fol. 11.* Neque enim Ægyptiorum iuuat veſaniam imitari, quibus nihil penſi fuit habitationum conſtruendarũ, quod eas *Diuerſoria* appellarent, teſte Diodoro, quaſi exiguo præſentis incolatus tempore inhabitarentur, in ſepulchris conficiendis maximum ſtudium atque operã impendere ſoliti, ꝙ ea domos aſſererent ſẽpiternas (adhuc extant ædificiorũ portẽta Mẽphiticæ Pyramides condẽdis Cadaueribus) quibus illud Pſ. 48. ad litteram accomodari poſſit, Sepulchra eorum domus illorum in æternum; nam paullò poſt ſubdit, Homo cum in honore eſſet comparatus eſt iumẽtis, corpus quippè iumentum cenſetur vehendo ſpiritui attributum. Non equidem improbo condendi ſepulchri religionem; ſed prius quæ vitam tuentur ſollicitius peruidenda. Et nè noſtratibus vel præſentibus neglectis alienigenarum vel antiquorum exemplis ſemper inhærere dicar; (ceù nonnulli qui ſuo infenſi, ex alieno iugiter exempla rectè factorum Orbe vel ſeculo mutuanda putant: hoc aut illud præ- *Diodor. Sicul.*

ſtan-

ſtandum contendentes, quia id obſeruarint antiquitus Indi, Thraces, Maſſagetæ; quaſi longinqui duntaxat, vel qui eſſe deſierũt ſoli laude digni exiſtimẽtur; nos verò citrà maiorum decus inglorij; imò quæſita labe turpes ac inhoneſti) Triuultiorum familia bello ac pace clariſſima ac D. D. Borromæis arctiſſimo propinquitatis vinculo obſtricta, cum inſigne Mauſolæum excitauit ad Diui Nazarij ædem; plurima pridem eaque ampliſſima, paſſim per Vrbem exædificarat domicilia, quæ adhuc extant, eorumque proloquuntur magnificentiam. nec his contentus generoſus adoleſcens Co. Theodorus Quintus (Io. Iacobus à ſacro fonte) Eques Sancti Iacobi, Octauiaque de Marlianis Petri Antonij præſidis Regiorum redituum filia, matronarum decus, ipſius Co. Auia, Palatium nunc extruunt eximio cultu ad Diui Stephani, quod & vicinium aſpectu iucundet: & animi eius celſitudinem futuris conteſtetur ſeculis. Nam qui vniuerſum patrimonium luſibus, opiparisvè comeſſationibus exhauriunt; Ferculorumque copia ac pretio ad ambitionẽ & luxum abutuntur, tamquam ad paſtum nati, vel quaſi ad Cereris vinique vſum in lucem editi: quique nefandis ſe voluptatibus ingurgitant, eos rectè dixeris Porcos de grege Epicuri aut Sardanapalli; ea quippè cæteris quibuſcumque anſam fomentumque præbent vitioſis habitibus. Qui ſicarios & garrones enutriunt, gladiatorumuè comitiuis ac triconum ſatellitio delectantur, hi hominum conſortio abigendi, tamquam pacis turbatores peſteſque Ciuitatum. Qui ampliandæ tantum poſ-

 ſeſ-

ſeſſioni inhiant: agrumque agro auidè copulant, vel theſauros recondunt immodicè, hi ſibijpſis duntaxat viuere conuincuntur; cum ſinguli non nobis ſolū nati ſimus, ſed proximis, & inprimis Patriæ. Hac de cauſa Croeſus olim, Cambyſem Cyro genitori nequaquam cenſebat æquandum, quia nondum filiū procreaſſet iuuandæ Reipublicæ. Id ſenſit Proſper Gaſparis filius Vicecomes, ætate noſtra bonorum planè memoria dignus, qui quamuis auctor extitiſſet ingenioſæ Achademiæ quā dixere *Bregnam*, aliaque reliquiſſet viuidi ſpiritus monumenta; cum tamē liberis careret, veritus nè inutiliter Patriæ vixiſſe diceretur, ædes ſanè conſpicuas, iuxtà Diui Bernardini Fanum à fundamentis extruxit, vt vel ſic natali ſolo ſtudium declararet, ac deſiderium ardens eius honeſtandi. quandoquidem enim nihil eſt Ciuitatis gloria niſi Ciuium virtus, Condecorantur maximè oppida publicis priuatiſque ſubſtructionibus. Vndè & Vrbis Curatorum ex iure communi, intereſt Vrbis ornamentorum ſatagere: illique demum glorioſo præconio tamquam de Patria optimè meriti celebrantur, qui eam egregijs facinoribus illuſtrarūt, ſiuè caritatem in illam pro viribus conteſtati ſunt. Profectò viros illuſtres nihil ęque ac Magnanimitas commendat, quæ extenſionem importat animi ad magna, vel ſimpliciter & abſolutè, vel ſecundū proportionem. nec aduerſatur humilitati; licet in oppoſitum tendere videatur. nam de magnanimo ſcriptum reliquit Vates ſacer, quod ad nihilum deductus eſt in conſpectu eius malignus, timentes autem Deū *Ex Plutarch.*

glorificat. Pſ. 14. Magnanimitatem autem ingenuo-rum virorum inter cętera ſubindicant diuitiarum ef-fuſio, victus ratio, apparatus elegantia atque nitor, aſſiſtentium parentiumque copia, munerum ac do-norum collatio, ſed magis Hoſpitij dignitas, quæ potiſſimum attenditur ex ſplendore ędificij; imò id pręcipuum magnificentię teſtimonium ſemper exi-ſtimaui; quoniam ex eo non ſolum ipſe Aedificator ſibi paraſſe videatur, ſed vniuerſę poſteritati proſpe-xiſſe; quemadmodum inter Doctores ij pręferuntur qui libros ediderunt; vt notat Gab. Rom. lib. com-mun. opin. quia hi plurimos edocturi pręſumuntur, nam, vox audita tranſit littera ſcripta manet, & Sa-pientia ore Syracei monet, Videte quod non mihi ſo-li laborarim, ſed omnibus exquirentibus veritatem; hęc quippè perbellè quadrant in nobilium ſubſtru-ctionum Auctores. Quocircà (in hoc genere per-ſtando) nunquam conſeneſcet egregij ciuis Tho-mę de Marinis memoria; qui putá ad Vrbis noſtrę de-cus, palatiũ erexit Regifico planè sũptu, iuxta quòd Eques Leo Aretinus haud multò poſt, pro modulo ſuo, domum ędificauit ſchemate perquam eleganti; nec procul ab his, ſubindè Io. Baptiſta itidem Ma-rinus viam condecorauit Paulinam: minimèque ſi-lentio prętereundus Io Paulus Alphonſo de Cuſanis genitus, fundator conſummatorque clariſſimi domi-cilij ad Concanum diui Ioannis templum, neù Ca-rolus Cæſaris Vicecomes, in conſpectu veteris Vlmi: Iuliusuè, Cęſare natus de Foſſatis, pro fronte ambu-lacri ęſtiui ad Eluetios. Hos inquam recolere iuuat

qui

qui recens ędificandi ſtudio decus ſibi conciliarunt, & gratiam. Cuius nunc deſiderio planè laudabili, Ill. Marchio Regiuſque Senator Ludouicus Acerbus ſe teneri declarat, dum Cataractæ portæ: cui *Romeæ* nomen, ſplendidas molitur ædes obijcere. Nimirum id honorifici applauſus negligere ſe produnt plerique ciuium noſtrorum, etiam locupletiores, qui lata & ampla habitacula condentes inſtaurantesuè, nihil penſi habent extrinſeca interioribus reſpondeant necnè. Sed vel agreſti more rudibus parietibus includuntur, vel ad ſummũ craſſiori cęmento forinſecus obliniũt, id vero nõ ingloriũ modo, ac probroſum iudicarit quicumque recti æſtimator, verum naturæ aduerſari conuincet, ac ordini rerum: tamque indecens imò inſanum, quam ſi quis holloſericas veſtes, aureas, phrigiataſque intus ad carnem indueret, incederet verò pannoſus, ſeu canabina, aut leuidenſa amictus externè. Conſulendum eſt habitatorum neceſſitati & commodis in domo introrſum conſtituenda, ſed prius decori proſpiciendum, quod à foris commendet familiæ dignitatem, Ciuitatiſque Maieſtatem augeat; bonum etenim publicum longè pręſtare videtur priuato. Quo ſpectare videtur, quod percontanti cuidam curnam ex Spartanorum lege, liceret prælianti galeam proijcere, gladium non item, reſpõdit Demaratus, quia priuatam perſonam tegat caſsis, enſis verò toti deſeruiat Reipublicæ. A pari igitur mea quidẽ ſententia, expedit humiles habitare caſas, quarum tamen proſpectus niteant cohoneſtandæ Vrbi, quam abditis lautè inſtructis, *Apophteg.*

aditus

aditus ſqualere. Quo in genere, etiam atque etiam Sanctus Cardinalis, verè (quemadmodum in reliquis) magnalium patrator excelluiſſe videtur; qui putà inter alia memoranda, Papienſe condidit Collegium quod ſtructuræ excellētia cętera proculdubio totius Italiæ antecellit. Atriumque Canonicorum Cardinalium contubernio, tametſi ſupremam nequiuit imponere manum, cum inſtar proſpectus qui ad Viridarium vergit, quatuor Archiepiſcopij latera nitere vellet. Illuſtriſſimus autē Dominus meus Federicus, in Grupelliana alijsque ſubſtructionibus, tum in Bibliothecæ Ambroſianæ dedicatione, vniuerſa Europa celeberrimæ, omnium attraxit admirationē, ſed de his alias. Sunt hi conatus virorum ſublimiū ſapientiſſimorūque. Eccè etenim Salomon 3. Reg. 7. ſimul ac Tabernaculum parauit Deo inuiſibili, domum ſibimet conſtruere ſubindè aggreſſus eſt, in quo nimirum opere, totos ſeptem annos cōſumpſit. Ciceroni quinquaginta millibus aureorum ſtetit habitaculum; quam ſcilicet pecuniæ vim, haud multū ab opibus paratus, non ex cenſu aut reditibus, ſed aſſiduis laboribus coegit. Celebrantur apud Scriptores, Romanorum aliquot habitationes eximię, inter quas Marci Lepidi, Luculli, Publij Clodij, Marci Scauri & aliorum; ea ſiquidē opera cōditoribus perpetuum certiſſimumque magnificentiæ, animique ad grandia ſurrecti perhibent teſtimonium: & ad decus vniuerſæ ſtirpis reſultant haud mediocre. porrò in Vrbe noſtra cum procliue foret illuſtre Maximiliani Cæſaris olim conciuis ædificium, cuius adhuc ſuperſunt

ſunt veſtigia Columnæ marmoreæ ſexdecim, ad Portam tunc *Mercurij*, nunc Ticinenſem erectæ, & id genus alia percenſere; parco tamen quia ſingula propè temporis iniuria diſiecerit. Quæ verò te gentes vnquam, aut quæ linguæ tacebunt inuictiſſime Sfortia? Franciſcum primum appello cuius memoria in benedictione ſit, vehementiori iugiter amore proſequendum ab omnibus qui ſe legitimos Ciuitatis filios profiteantur, is enim & Vrbis vias cum anteà cæno ſorderent, diligentiſſimè ſternendas curauit, vetuſta inſtaurari, labentia reparari: tum Xenodochiũ celeberrimum, *Magnum Hoſpitale* appellant: & quod mirandum præ cunctis, Caſtrum portæ *Iouis* condidit (id porrò Arces omnes toto Orbe poſt ſe relinquere creditur) ſummum etiam almæ Deiparæ Templum, non modò ipſo procurante & adiuuante incrementum accepit ſanè ingens, ſed longè ſplendidiſſimi exemplaris, ac propè incomprehenſi operis ſchemate auctum locupletatumque; ita vt non ſit factum tale opus in vniuerſa terra, Brachia trecenta habens longitudinis, 85. latitudinis, & 202. altitudinis, non contectum aut cruſtatum, ſed vndequaque ſolidatum compaginatumque marmoribus, & præter inenarrabilia pilarum, foliorum, criſtarum, pyramidum ornamenta quatuor millibus quadringentis & quinquaginta marmoreis ſtatuis circũdatum. Sed ad Borromæum redeo, cuius ædificia occaſionem digreſſioni præſtiterunt. Itaque Ludouicus molis cõſtructione cuius meminimus in Stylobatæ Baſi ſeu Fundamento, & incolumitati & famæ prouidè con- *Fol. 14.*

ſul-

ſuluiſſe noſcitur. Coniugem habuit *Bonam* de Longhignanis Ambroſini filiam, ex qua Carolum ſuſcepit, Camillum, Vitalianamque: Ioannam præterea Balthaſari Puſterlæ iunctam, & Lauram, quę data eſt Marchioni Io. Baptiſtæ Palauicino.

Carolus ex Prothonotario Apoſtolico, & Abbate S. Gratiani Arone, ſubuectus eſt ad Puteolanum Epiſcopatum in Campania. Eumque Cęſar Carolus Quintus Conſiliarium à ſecretis adhibuit, ſub ea forma verborum. Cæſaream decet maieſtatem eos beneficentia, & liberalitate amplecti, quos ſibi & ſacro Romano Imperio deuotos eſſe cognoſcunt. Ea propter, ipſi cognoſcentes qualia & quanta ſint ergà nos merita & fides: quantaque integritas, bonitas & experientia rerum. Venerabilis ac deuoti nobis dilecti Caroli Borromæi Epiſcopi, Iuremeritò aliquod gratitudinis ſignum in eum conferre decreuimus; Vt & eius exempla alij imitentur: & omnes cognoſcant quam nobis carus ſit, & cæt. ipſum quin etiam idem Cęſar adminiſtratorem conſtituit Palantię ac Verbani lacus: & penſionibus auxit, is cum de anno 1537. deceſſiſſet. Sepultus eſt in ſacello Diui Antonini Eccleſię S. Petri *de Geſſate* dicunt, vna cum Auo ſuo materno, Ambroſino de Longhignanis in Sarcophago marmoreo penſili, ſplendidè admodū elaborato.

Camillum ſtaturę proceritate inſignem, comitate, facilitate, beneficentia pręcipuum, idem Cęſar pluſrimi fecit, Senatoréque creauit, talibus fermè vſus in eius electione. Cum igitur Magnificus Imperij noſtri fidelis Co. Camillus Borromæus, Camerarius noſter

ea progenie orginem ducat, quæ inter alias nobiles familias ſtatus Mediolani haud poſtremum locum vendicare, *ſummo quodam iure* videatur: & cuius prędeceſſores ergà Sereniſſimos prædeceſſores noſtros Romanos Imperatores, & Reges, nos, & ſacrum Romanum Imperium *plurimæ fidei, & deuotionis ſuæ ediderint documenta*; Is verò Co. Camillus in hodiernũ quoque diem non minima fidelitatis obſequia nobis & eidem Imperio præſtet: & in futurum non minus præſtare, atque rebus noſtris & Imperij vtilis eſſe poſſit, & cæt. Ex quibus ſanè verbis ſi ſedulò expendantur, atteſtatio elici poteſt, eorum quæ in ſuperioribus per nos relata ſunt ſecundò præcipuè ac tertio libro; ſed maximè omnium ad pręclara primi Ioannis Vitaliani Bonromani facinora reſpicere videtur. Quæ autem ſit verborum Principis eiuſmodi aucto ritas; & quantũ probent, conſulatur Dec. conſ 200. num. 8. 269. num. 11. 341. num. 5. Aym. de antiq. temp. par. 1. num. 10. & 11. Alex. conſ. 112. nu. 7. Soci. conſ. 87. verſic. dubio. num. 17. Præſertim cum Imperator id ſupponit tamquam notorium de quo nullus ambigat.

Camillus hic ab eodem Carolo Cæſare Nouocomi Rector ſupremus, mox de anno 1548. Ciuitati, & Caſtro Papię pręfectus datus legitur, & Gubernator; ſub ea litterarum forma, Conſiderantes inuiolabilẽ fidem, ardẽs ſtudium, eximia merita & obſequia, quibus nos & ſacrum Imperium hactenus proſecutus eſt, atque indies proſequitur, Magnificus noſter, & Imperij ſacri fidelis dilectus Co. Camillus Bor. Ca-

merarius noſter, & Senator Mediolani; ita vt eius fidei, & integritati, maxima quæque tuto comittere poſſimus, & cæt. (Eiuſmodi Senatores Borromæos, nequaquam Cauſarum Iudices accipias; neque enim Iureconſulti vſpiam leguntur aut togati, ſed in Sago rerum gerendarum prudentia, experientiaque graues & eatenus Conſiliarij à ſecretis adhibiti) Camil-
Fo.499 lus vxorem duxit *Coronam* de Cauazzis (vt prætactum) quos dicimus *Comites à Somalia*. Hi propagati inueniuntur per Nicorolum de familia Agillariorum, qui præcipui fuerunt in prouincia Aſturiæ Hiſpanicæ: ſed & in Citeriori Sicilia, nam Scipio Ametranus librum edidit titulo *Della Familia Capeca*, Neapoli excuſſum 1603. Nicorolus bello ſtrenuus Hiſpanus, Barnaboui Principi noſtro carus, ab eodẽ donatus noſcitur fundis & pagorũ ditione, de anno 1371. ab eo proceſſit Bartholamæus, qui genuit Sanguinolum, Petrinum, ac Baſſianum à quibus poſteritas vniuerſa. ijs Dux inclytus Franciſcus Sfortia 1452. aſſignauit inſignia *Equum*, *Scopam*, *Adamantes*, *Viperas*, & alia, *Caput* autem Mauri á priſcis temporibus gerebant, eo quod p ri m u eorum cæſo famoſo Saraceno, caput eius retuliſſet, indè cognomẽ ſortitus *Capetij*, nam Caput hiſpanicè dicitur *Cabeza*, quod vulgi corruptela vertit in *Cauazzi*. Ex ipſa Corona Camillus ſuſtulit Barbaram, poſtea Camilli Gonzagæ Comitis Nouellariæ coniugem. Iuſtinã, quæ nupſit Georgio Nericino Comiti Riſij, ac Io. Baptiſtam qui fuit forma decorus planèque dignus ſpectaculo, Tribunus militum pro Philippo Secundo

Rege.

Rege. Hic vxorem ſortitus eſt Iuliam Sanſeuerinã, ex qua nullum ſuſcepit Marem, ſed femellas duntaxat, Hippolitam & Coronam, quæ Capuccinarum habitui ac profeſſioni ſe addixit, tantumque pecuniarum Sororum contubernio contulit, quantum toti fermè ingenti S. Praxedis Monaſterio extruendo ſatis fuiſſe creditur. tantis porrò corpus afflixit macerationibus ſponté aſſumptis, vt breui ad cæleſtem ſponſum euolarit, relicta ſanctitatis opinione. Hippolita, Alberico Balbiano Co. Ludouici Belgioſij filio elocata eſt. Genuit præterea Com. Camillus Aluyſium, qui & ipſe ſuſcepit Vitalianum nunc viuentem. At uerò Caroli Epiſcopi, Camillique frater, *Vitalianus* poſtremo partu editus, bellator ſanè ſtrenuus extitit, Tribunus à Cæſare inuictiſſimo Carolo Quinto datus, tribus peditum millibus in bello ſubalpinati, Vnicam reliquit filiam Iuſtinam. Guglielmo de Puſterlis traditam, ex quibus ortus eſt Vitalianus Puſterla adhuc viuens viridi ſenectute, qui habuit vxorem Eliſabetam de Serenijs conſobrinam meam, Iulij filiam, nam ego Georgij. Hæc de Ludouici prole.

Philippus inter Co. Ioannis natos, ſecundo æditus fœtu, aliũ genuit Ioannẽ ex Franciſca Vicecomite, ac Iuliũ Cæſarẽ, qui fuit cõiux Hippolitæ Caſtillioneæ: obijtque nulla prole relicta, aſt Ioannes Tribunus peditũ, ex Cornelia a Rhaude Io. Pauli filia ex Feudatarijs Burgheti, ſuſcepit Dionyſiũ, Virũ Apolloniȩ de Bottis, patremque Conſtantiæ Vxoris Ferdinandi Caſtuldi. Fœminȩ præterea Philippo enatȩ ſunt.

Magdalena, Actio tradita Vicecomiti Barbara, quæ fuit Co. Ludouici Beccariæ vxor, ac Hippolita, Co. Hieronymo Anguiſſolæ deſponſata. Nunc ad
XXXXIIII. GIBERTVM Co. Ioannis Quinti primogenitum, qui in trunco quidem, eius nominis primus, verum in Arbore ſecundus inuenitur; id quippè vocabuli ab eo traductum noſcitur, cui inter Maxi-
Fo. 205 mi Secundi filios, Pagus obtigit *Plebis* dictus, vt in Meridionali proſpectu recenſitum. Huic Vitalianorum ſimul ac Borromęorum fortitudo, ac in tractandis armis præſtantia ceſſit tamquam hæreditaria; emicuerunt nempè in eò generoſi ſpiritus, qui in maioribus ſuis efferbuerant. Ipſe ingentem ſtrenuitatis laudem conſecutus eſt in memorato Heluetiorum Valeſianorumque conflictu ad Domuſulam,
Bern. Cor. cuius & Corius honorificè meminit, Veruntamen graues moleſtias perpeſſus noſcitur à Ludouico Sfortia, quod cum inter Ducales Conſiliarios, primaria extaret auctoritate; quantum in eo fuit, toto conatu reſtitit ne Gallica accerſerentur arma, quæ nimirum toti Italiæ, Inſubriæque Regno potiſſimum, exitialia fore præſagiret, quamobrem variè ab eo vexatus, Caſtraque Aaronę, Angleriæ ac Vogoniæ illi adempta fuerunt; quæ nihilominus doloſus vir, cum ſe deluſum, omnique adiutorij ſpe deſtitutum animaduertiſſet, conſcientiæ ſtimulo eum perurgente inte-
Franc. Guicc. gra reſtituit Auctore Guicciardino. Non poſſum mihi temperare quin Ducis ipſius Encomium adtexam, cum ſcilicet eundem Gibertum 1499. inter Conſiliarios adlegit, cuius tenor is eſt,

Gentis

Gentis Borromeæ pręclarè res geſtæ, etſi apud Populum noſtrum vulgatæ, & perſpectæ celebrantur, nobis tantò maioris faciendę ſunt, quanto magis ipſius gentis vires & opes Excellentiſsimis Auo primum in ſeruando: & Parenti deindè noſtro in reſtituendo ipſorum Regno profuerunt. Ignorare enim credimus Mediolanenſium neminem, quam patentes ad ipſorum parentum noſtrorum arbitrium fuerint fortunæ, ingenia, clientelæ & corpora denique Borromæorum: & præſertim tempore quo difficultates de ſeruando vel de redintegrãdo Imperio Vicecomite Sfortianoque pręmere videbantur. Sed vt vetuſtiorum plena laudibus acta prætereamus, quorum longiſsima ſeries repetenda eſſet, recentiorum delibatione contenti, non ſilentio prætereundũ duximus, ſpectabilem aurata militia & virtutibus inſignem virum Co. Ioannem Borromęum, cuius memoriæ quamquam ex incredibili fidei ſuæ erga nos candore, & voluntate menti & voluntati noſtræ propitia, non vulgariter nos debere fateamur; non diffitebimur tamen, eidem vel ex hoc plurimum debere, quod ità in calle & ſemita ſuæ erga nos fidei, & cęterarum virtutum diſciplina, educauerit atque erudierit Spectabilem Equitem D. Gibertum Borromęũ eius filium natu maiorem, vt cum multa armatus aduerſus hoſtes noſtros Heluetios præſertim, pro nominis noſtri, & noſtræ tuendæ dignitatis, & animi & corporis & conſilij viribus præſtiterit; non pauciora quoque armatus vel togatus præſtare poſſit. Quorum rationi & cæt. Hic Gibertus fundator ac do-

dotator extitit ſacelli S. Pauli in Eccl. S. M. Gratiarũ, vbi & conditus noſcitur. Idem ipſe vxorem habuit Magdalenam Equitis Phrigij, Brandeburgi Marchione geniti filiã, ex qua præter Femelles, vnicus illi enatus hæres, quem ob iucundam progenitoris Æno barbi memoriam,

xxxx IV. FEDERICVM nuncupari voluit, & hic quoque ditione Mediolanenſi varijs diſcriminibus agitata nutanteque, adeò prudenter ſe geſſiſſe Sapientum ſententia iudicatus eſt, vt eum inclytus Cęſar Carolus ſummè diligeret: eiuſque Vicarius & pro-*R*ex Antonius a Læua, mira quadam beneuolentia in Federicum propenſus exiſtimaretur. extant litteræ ad eum Imperatoris nomine conſcriptæ, ex quibus eum Imperatori vnicè carum extitiſſe conijcitur. Huic Egregius Dynaſta Galeacius Vicecomes filiã deſponſauit vocabulo Veronicam (vt prætactum) ex qua orti traduntur Gibertus iunior Sancti Cardinalis genitor: Franciſcus Alæ Equitum armatorum ductor: Magdalena Marchioniſſa, Iuliuscæſar Domini mei Cardinalis Federici ſator poſteritatiſque vniuerſæ, Eleonora Comitiſſa: alius demũ Frãciſcus. Magdalena elocata eſt Sebaſtiano Ferrerio Marchioni Romagnani, peperitque illi Co. Philibertum, necnon & Guidonem Cardinalem. de hac prædicatur quod totius vitæ decurſu, exemplar extiterit vitæ incontaminatæ, in Matrimonio miris effulſit virtutibus, natos beatis moribus inſtituere ſedulò admixa: tum verò Viro orbata, cum pietatis operibus totã ſe dedere decreuiſſet, Monaſterium in Vrbe patria iu-

xta

xam Fanum Scalenſe fundauit, titulo *il Soccorſo*, ſub inuocatione diui Benedicti, Mulieribus recipiendis quæ poſt ſeculi naufragia ad pœnitentiæ portum appuliſſent, in quo diù morata, formam ſe prębuit redimendi temporis. Aliud conſimile Auguſtę Taurinorum ab ea conſtitutũ audiui. multisque alijs operibus religioſum affectum teſtificata, quæ tractationis huius metum excedunt. Eleonoram cõiugem habuit Co. *Ianes* Federico Vermienſe Bobij Comite, & Anna Schineria Heluetia Ortus. nec prætereundum de duobus Franciſcis fratribus, quod priorem Carolus ipſe Imperator duabus præfecit turmis Equitum armatorum, ſcribens ad eum in hęc verba, *Por la eſperienza que tenemos de la affection que teneis à nueſtra perſona, y confiando que en todo lo que ſe offreciere, haueis de hazer lo que haſta à qui haueis hecho & cæt.* Coniugem duxit Baurellam Viſtarinam. Reliquus verò id nominis indè ſortitus noſcitur, quia cum eius genitrix ipſum in aluo gerens in Gallias profecta eſſet; comitatum ſcilicet Eleonoram Imperatoris ſororem Regique Franciæ deſponſatam, illic eum peperit, quem Rex ipſe ſacro fonte leuauit, voluitque de nomine ſuo *Franciſcum* vocari: plurimi eum fecit, curauitque ingenuè educari, qui defuncto Rege in patriam reuerſus, haudquaquam ſe degenerem præbuit maiorũ virtuti, interfuit bellis Vngariæ Io. Iacobi Medicæi Tormentis ſiuè muralibus machinis pręfecti vices gerens. Vxorem habuit Zenobiam è familia Tolentinorum, ex qua filium ſuſcepit *Ioannem* Dianæ Pirouanię maritum vexilliferumquè Cataphractorum,

perio

porrò Pirouanorum domus antiquiſſima claritate fulget: deditque Archiepiſcopos, Cardinales, Senatores, Quęſtores, Equites, Diana ipſa filia memoratur Franciſci, Soror Philippi nunc Romanę Rotę Auditoris. Nec ſilentio obuolui debent ſenioris Giberti natæ; quamuis de ijs vnum didicerim, quod Margarita Equiti Marco Antonio Landriano tradita eſt: Co. Ludouicus Caccia duxit Ioannam: Matthæoque Beccariæ iuncta eſt Camilla.

Iunior autem Gibertus ac Iuliuscęſar, factis quidē ſed magis glorioſa prole felices dici potuerũt; quippè hic bellator validus, ac omnibus ornamentis excultus fuiſſe traditur, quę Equitem ſanè inſignem decerent, pręſertim veró in Fortallitijs excitandis muniendisuè, miro cum naturę munere, tum diſciplinę beneficio iudicij acumine excelluit, eoque nomine, non ſolum ſtationi Domuſulę qua Eluetiorum cohibentur incurſiones, ſed omnibus Subalpinę regionis Caſtris, Mœnibus, Aggeribus inuiſendis, ſarciendis, rectificandisque pręfectus. Accidit autem temporibus eius, vt Regis miniſtri, Mediolanenſem Arcem, quam olim fauſtę memorię Franciſcus Sfortia incomparabili ſtructura ędificarat, nouis propugnaculis, oppoſitione laterum inuicem ſibi ſuccurrentibus, iuxtà recentiorum normam, ad firmius Imperij munimentum ampliandam decreuiſſent: idque conſilij pro munere ſuo Iuliuscęſar ſummopere commēdauit, atque adeò promouit magno vſui futurum ſuadens, Cęterum contendentibus plerisque & quidem ex primoribus, Alas, ſeù Forcipes ab ipſo Ca-

ſtro,

ſtro, vtrinque continuato vallo ac muro lõgius producendas, renuit Borromęus omninòque reſtitit pro ſua virili, id prorſus inutile, imò & vniuerſę moli exitiale fore conteſtatus, in cuius pariter ſententiam meliores, tametſi pauciores iere, & verò præualuit auctoritas ineptè aduerſantium, nè dixerim priuata compendia ſpectantium (vt plerunque fit vbi ſuffragia non ponderantur ſed numerantur) Itaque dicto citius, quamuis maximo tum Vrbis tum Regiæ Cameræ diſpendio, Aggeres longo tractu extructi ſunt, quos dixere *Tenaglie*. ſed cum iam ipſe Iuliuscæſar naturæ debitum ſoluiſſet, eius fides atque prouidentia innotuit comprobante experientia, ac proindè Belli ducibus, Architectis, peritisque omnibus Borromæi conſilium recolentibus ac ſuſpicientibus, ſupremo Regis & procerum Concilio ſancitum eſt, eos quam celerrimè demoliendos, ſicuti & confeſtim dirutos perſpeximus. Ipſe pater extitit Lauræ, quæ poſtmodum Franciſco Vicecomiti de Maſſino iuncta eſt in matrimonium. Coniugem ſortitus eſt Margaritam, é ſtirpe Triuultiorum Renati filiam atque Eliſabellæ Lanceloti Borromæi, ſummè quidem pudicam, modeſtam, religioſam, quæ ſunt præcipuę dotes fœminei ſexus; ſed animo per cuncta virili, de qua videretur ſcripſiſſe Salomon, Prou. 14. quod Mulier Sapiens ædificat domum; erat quippè inſigniter ſolers, ac in omnibus prouida; & vt fertur Argus domi, Talpa foris. Hæc Domitillam illam cuius eruditio propè incredibilis, ſuperioribus admirationem attulit ſeculis Petri Triuultij filiam Comi-

tisque Franciſci Taurelli vxorem imitata, apprimè iam indé à teneris annis Latinè didicerat, proindè litterarum ſtudijs admodū delectabatur, præſertimque ſacrarum meditationibus, pietatisque operibus impensè addicta, ſacroſanctis myſterijs diebus ſaltem Dominicis, exactiſſima leuium etiam culparum diſcuſſione præuia communicabat: in eleemoſynis profuſa: in orationibus aſſidua: in ieiunijs ſupramodum. Si quid ſolatiorum admitteret animi gratia, ad ſummum erat Sanctimonialium viſitatio, quibuſcum caſta colloquia confererendo, ſpiritus dulcedinem hauriebat, in ijs ſummè iucundabatur, ſemper in habitu ſancto incedens, mundana faſtidiens; nihil tamen remittens de maieſtatis decore. Cumque circa id tempus Matrona inſignis Paula Ludouica Taurella contubernium virginibus excipiendis educandisque ad Diui Barnabæ conſtituiſſet, adhuc Oppidi quod eius ditionis fuerat agnomen retinens, nimirum Guaſtallæ: Margarita bonorum operum æmulatrix, aliud Aronæ fundauit, quod ſanè Mediolanẽſis ſupar exiſtimetur, quin & ibidem Eccleſiam extruxit, ſub inuocatione *S. Mariæ Lauretanæ*. Nihil vltrà requiras, cum eius præſtantiam ſic admiratus eſt vir, vt non tam eam diligeret aut laudaret, quam ſuſpiceret coleretque; in cuius gratiam filium quem illa primo partu enixa eſt, de patris illius nomine *Renatum*, appellauit. Conſimiliter in femella quæ ſecundo edita eſt fœtu, non ſuam ſed vxoris matrem excitauit, appellauitque *Eliſabellam*, quæ poſtmodum Hieronymo tradita eſt, cui cognomentum,

Eques Vicecomes, Hęc adhuc viuit eximia integritatis fama, multiplicique & præclara ſobole fœcunda. Tertio demum loco filius eis natus eſt in quē ſupernorum munerum imbres compluerunt: & in eo genitor nomen reuocauit patris ſui, dixitque *Federicū*. Hos cum ille haud multò poſt dereliquiſſet properè nimium decedens, ingenua virago ſuſcepto domus regimine, ita ſcientijs, & moribus per pręceptores curauit inſtitui, vt ex ſeipſa, omnium illis præberet virtutum ſpecimen. minuſculum verò præcipuè, quem mente præſcia diuinis munijs mancipandum cognouerat, religioſæ deuotioni pietatiſque exercitationibs aſſuefacere ſedulò nitebatur: quē & propitio numine cum ad altos prouectū perfectionis gradus, tum & Romanæ Eccleſiæ Cardinalem & Mediolanenſis Archipræſulem vidiſſe lætata eſt. quod dico quia cum optimam educationem ei dediſſet Mater, maximum ipſe reddidit decus Matri, diſcite radicem ex germinę: ex fructu dijudicate arborem. Verū de priore prius.

Co. Renatus ſumma grauitate ac prudētia pollere viſus eſt vſqueadeò à iuuenilibus annis: maximaque auctoritate enituit. de Anno 1591. à Rege Regum Philippo II. Comitiuæ Equitum grauis armaturæ Dux prefectus eſt, datis litteris ſub ea verborum forma: Ad diſciplinæ militaris præſtantiam quæ apud omnes nationes magno honore ac pretio ſemper habita fuit, plurimum ducimus pertinere, vt ij Duces militum curæ, & imperio præficiantur, quos cōſilio, fide, ſolertia, & bellica virtute præſtare conſpi-

 cimus.

cimus. Cum igitur vna ex Equitum Cataphractorum turmis, in ditione Mediolani noſtro ſtipendio merentibus, per obitum Co. Alphonſi de Somalia præfecto careat, Nos quem in demortui locum ſubſtituamus ſolicitè conſiderantes, in te Magnificè, fidelis nobis, dilecte Renate Borromeæ Aronę Comes, oculos præ cęteris coniecimus, ſperantes quod bellicam á maioribus tuis conquiſitam laudem, tu etiam pro tua egregia indole, generoſo ſpiritu, & prę alto animi vigore, ſolerter & feliciter æmulaberis: & antiquam nobiliſſimæ familiæ tuę claritatem, cum militari virtute ac vigilantia, tum perpetua erga nos fide & obſeruantia tueberis, & cęt. Quid hoc Elogio illuſtrius magnificentiusvè expeti poſſit neſcio, maximè cum ex ore altiſſimi Monarchæ prodierit Regisque Catholici, ideſt vniuerſalis, qui dominationis amplitudine ſolum Omnipotentem ſuperiorem agnoſcit, quare vt egregius I. C. Scipio Lācilotus Cardinalis dixit aliquandò, cũ Delphici oraculi, ſeù Chilonis ſapientis pręceptum illud *Noſce te ipſum*, propè iã antiquatũ ſit: nec mortales libenter inuicem ſibi concedant: nec vſpiam excellentia careat inuidia: nec de eodem omnium idem ſit iudicium. Sapidi rerum ęſtimatores Principis iudicio ſtandum cenſuerunt, & in eius placito quieſcendum: cui nos prudētia ſemper inferiores profiteri decet, quod ſi & ipſe fallitur, pręuertitque ordinem in dijudicandis aliorũ meritis, Deũ vltorem habebit; ſubditos autem oportet dicto parere; nam & olim lex Perſarum & Medorum fuit, Vt quodcumque conſtitueret Rex, nullatenus

tenus liceret immutari. Non paucę ſuperſunt eiuſdem Regię Maieſtatis Epiſtolę ad Gubernatores ac Proreges, quibus ipſum Co. Renatum commendat obnixè: quem etiam in numerum Conſiliariorum à ſecretis cooptauit. Ad ipſum vniuerſa noſtratum Borromæorum confluxit hæreditas, licet ſatis immi nuta, ob auulſas fœminarum dotes variosque caſus, quibus haud parum de eorum ſubſtãtijs diſtrahi cõtigit, ampla tamen adhuc & perquam diues. Vt enim Agros, Vineas, Nemora, Villas, Allodia, ac latifundia prætercam, eius Iuris ac dominij fuerunt Feuda, Aaronæ, Læſæ, Intræ, Canobij, Veghiezzi, Vogoniæ, Omegnæ, Lauenæque, cum eorum vallibus, collibus ditionibus, venationibus, piſcationibus, fodinis petrarum ac metallorũ adiacentibusq; Terris, & Oppidis, ſupra centum ac ſeptuaginta numero; ita vt vaſſallorum multitudine, magnis etiam Principibus æquari potuiſſe cenſeatur, ſed & in agro Vigleuanenſi Paleſtrum poſſedit, Camairagum in Laudenſi, Formigariam in Cremonenſi, Guardaſonem in Parmenſi, alia inſuper quæ recenſere duco ſuperfluum. Ipſe vnus ſeruatus dici poteſt excitandæ ſoboli in clariſſima familia, quæ propè iam deſitura timebatur; copulata namque ſibi Herſilia ſereniſſimi Octauij Parmæ, & Placentiæ Ducis filia, ſororeque magni Alexandri Belgiæ domitoris, tribus filijs locupletatus eſt, totidemque filiabus; Ioanne ſcilicet, Carolo, ac Iuliocæſare, Eliſabella, Maria, atque Iuſtina. Horum primus, ſereno vultu placidoque ingenio ac moribus, omnium ſibi concilia-

rat

rat dilectionem, immaturaque morte præreptus, ingens ſui reliquit deſiderium. De Co. Carolo ac Iuliocæſare qui nunc ſopites Deo propitio florent, quorum prior duobus iam natis gaudet Renato ac Giberto, ex coniuge Eliſabella Herculis quondam de Abdua ſuſceptis: De iuniore pariter, qui familiam ſuam Vrbemque denuò Romana nobilitate conſeuiſſe viſus eſt, coniuge ducta eximij nitoris *Ioanna* Ducis *Andreæ Cæsij*, filia ex qua iam paruulos poſſidet Ioannē, ac Federicum. de his inquam ſubruſtico quodā timore effari prohibeor, nè videlicet adulationis ſuſpicionem incurram; maximè cum apicibus meis neutiquam egeant commendari, quorum vitæ tenor impræſentiarum de eis abundè proloquitur. Conſimiliter a Sororum præconijs abſtinere compellor, eadem formidine impellente, vel potius deterrēte. Itaque curſim enarraſſe ſufficiat, quod Maria Marchioni Io. Ambroſio quondam Frāciſci de Abdua iampridem à patre coniuncta eſt. Lucet porrò eam familiam inter præcipuas cenſeri (ex qua & Co. Carolum memorauimus coniugem traxiſſe) ſeculisque anteactis extitiſſe clariſſimam, teſtes ſunt Corius ac Simoneta. Eandem à Longobardorum Regum Ducibus originem ducere, aſſertio eſt Pauli Diaconi, enucleatius autem rem tradit Campanus lib. 4. cap. 5. ſcribens eam Gothorum temporibus ab *Olgino* profluxiſſe celeberrimo Heroe, qui inſigni militia perfunctus, emeritus tandem, iuxta Fluminis Abduæ littora ſecedēs, Turrim excitauit quam hodieque nuncupant *de Olginate*, inter cuius nepotes egre-

Bernar. Cor. Ioann. Sim. Paul. Diac. Fanuſ. Camp.

egregijs facinoribus inclytos, & eorum intuitu maximis Longobardorum Regum priuilegijs auctos, *Addo* ille enituit, qui Foroiulienſis Prouinciæ clauum à Chuniperto ſibi commiſſum, ſumma cum laude moderatus eſt, à quo vniuerſæ poſteritati deriuauit nomenclatio *de Adda*, ſimul ac eiuſdem Amnis Stemma, quod idem ipſe geſtãdum aſſumpſerat pro inſigni gentilitio, nam cæteros qui ex hac familia prodierunt, domi foriſque illuſtres, recenſere vetat compendij huius anguſtia. Iuſtina natu poſtrema, nuper Franciſco Gallio quondam Ptolemæi Ducis Albeti in Cãpania primogenito copulata, ingenitæ claritatis decus, illabis vitæ tenore tuetur. Hæredemque iam protulit Carolum Ptolemæum, præter Parteniam. Has ætate anteibat Eliſabella, Federico de Rubeis Sãctiſecundi Comiti, Equitũque Ductori deſpõſata, quę dudum naturæ debitũ ſoluit relictis Co. Petromaria ac Troilo, ingentis ſpei adoleſcentibus; non præclara modo indole, ſed ſcientia ac ingenua morum ſuauitate pręditis: nec non filiabus Herſilia atque Eliſabella, adhuc ſub tenella ætate virtutum indicia proferentibus. Marito autem ſummam calamitatem reputante generoſæ Viraginis iacturam; quæ nimirum florenti ætate decedens, lachrymas à cunctis extorſit. Elogium ſanè luculentum promeruiſſe credita.

Supereſt Co. Federicus horum patruus, nempè prædicto Co. Iulio cęſare ſatus ac Margarita Triultia, non tam meus quam ingeniorum omnium Męcenas, & virtutum patronus; ipſi verò S. CAROLO

vnicè

vnicè quondam dilectus Candidus pariter & Rubicundus; ideſt ſucceſſor eiuſdem Pallij ac Purpuræ, qui adeò rutilat geminæ caritatis cocco bis tincto, inque paſcendo eius grege ipſum tam proximè æmulatur, vt de illo ſcripſiſſe credatur Syraceus, Eccl. 30. Mortuus eſt pater, & quaſi non eſt mortuus; ſimilē .n. reliquit poſt ſe, aut certè quod habetur. 4. Reg. 2. Eliæ ſpiritus ſuper Eliſęum, magna plenitudine requieuit. Hunc Prępoſitus D. Gaſpar Franc. Viualda, mihi in Chriſto pręcipuè dilectus, hoc loco prætereundum monebat; quipută ſecretorum meorum conſcius, exploratum haberet, me de hoc ipſo proprium peculiaremque tractatum animo reuoluere; ea propter in pręſentia omittendum ſuadebat inquiēs, cū Illuſtriſſimus Federicus, ſic exigente ſeriei ordine, ponè diuum ipſum CAROLVM omninò locandus ſit, ex quo tranſlato ſucceſsit & adhuc viuit, quorſum in illius Stylobaten aut Scabellum compingi queat? ſatius quippè dixeris quod CAROLVS Federicum ſubleuat facitque eminere, quemadmodum pręceſſores recenſiti, quam viceuerſa. Talia cariſsimus qui ſingula metitur ad ingenij ſui lineam ſummoperè exactam. Verum cum eius venia, non præceſſores modò, ſed & qui futuris ſeculis ſubſecuturi ſunt ingenui & clari, Sancti Cardinalis glorię deſeruient; ſuſcipiet enim ex illis indies incrementū: eiuſque fulgor amplius in illis coruſcabit. de Cęſare Didio Iuliano qui fuit conciuis noſter & vigeſimus Romanorum Imperator, memorię proditum, quod cum ouans ſolenniori pompa Vrbem ingrederetur,

omnes

omnes cognatos ac propinquos ſuos voluerit currũ aſcendere, ſecumque in Triumphum aduehi. Federicum autem pręcipuè CAROLI ſcabello Contenderim eximium adferre decus, illiuſque meritum apprimè ſurrigere; non quia alterius cauſa ſic pendeat ex altero, vt quiſquis huius laudes dignè extulerit, illius etiam inſigne præconium tacere non poſſit; ſed quia Filius ſapiens lætificat patrem, quod perhibet Salomon. Prou. 10. & ex conſequenti hic flos eius honoris cenſendus, & fructus laboris, gaudium, & corona illius, quem ille tam ſedulò amanterque de lege Dei erudiuit admonitione inſtruens & exemplo, ſicut aquila pullum prouocans ad volandum & ſuper eum volitans. De eius geſtis nihil attinet impreſentiarum afferre, nè mihi indignetur ſi quandò ei vacet ſcripta hæc noſtra videre, quem ad proprias laudes perturbari experimento didicerim non ſemel neque bis. Præter id quod eius encomia longè iam ac latè diffuſa, citò iuſtis annalium monumentis poſteritati tradenda nouerim. Illud ſubticere non valeo quod Brunſuicenſis Ritheuſuſius, indè Ænobarbum Cæſarem Federicum argumentatur ſcientijs inſigniter excultum & litteris non minimè imbutũ, quia virtute præditis, & diſcendi cupidis tantoperè fauerit (non mihi obijciatur quod Elephas Amnes ſæpè inuiſit: Riuiſque oblectatur ipſe nandi ignarus & impotens, quia ſimul & docet de eius ſcientia: deque ſcriptis illius ſelectam quandam ac præcipuã doctrinam redolentibus) quid igitur ſentiendum de Archipræſule noſtro, qui bonarum artium ſtudia tã *Conrad. Brunſ.*

impensè fouet ac promouet, eruditos tanto honore afficit tanta caritate complectitur? profectò eum de re litteraria præ conſortibus ſuis optimè meritum ventura iugiter inclamabunt ſecula. Verum de ijs quę ipſummet circumſtant, illud pronunciare auſim, quod exotica idiomata quæ illi tamquam vernacula præſto ſunt, Græca, Hebraica, Arabica, Chaldaica: vberrimaque cum ſacrarum tum profanarum litterarum ſuppellex, quæ ſingulos in admirationem rapiunt, exiguam partem in eius laudibus occupant; quandoquidem ea præacuto ingenio aſſecutus eſt, totoque pectore hauſit, quæ eum nemo vel delibaſſe opinetur; perindè enim atque Stoici virtutẽ, ſic ille Doctrinam vtcumque occultam, pretium ſibijpſam exiſtimat. Porrò de vitæ eius integritate, morum grauitate ac lenitate; de vi & copia in dicendo: de magnanimitate, deque prudentia cum pietate coniuncta & id genus, teſtificantur quotquot eum agnoſcunt, poſteris autem innoteſcet ex actis ipſius perpetim memorandis, potiſſimumque ex eiuſdem ſcriptis, atque commentarijs; in ijs quippe velut viuentẽ ac ſpirantem ſuimet reliquit imaginem; tametſi illa modo renuit euulgari, & ſtellas claudit quaſi ſub ſignaculo, innata humilitate ac modeſtia cohibẽte. De aſſiduis tãdem laboribus eius ac vigilijs, & paſtorali ſolicitudine, res ipſa per ſe loquitur, vnum vſurparim Salomonis Prouerbium 14. Vbi plurimæ ſunt ſegetes, illic manifeſta eſt fortitudo bouis: quod eſt dicere, frugum vbertas. Coloni prædicat ſolertiã; veros namque Paſtores à nothis, ijs præcisè notis diſ-

creuit Saluator Matth. 7. cum aſſumpta metafora *Arboris*, quæ de fructibus expendi ſolet, vtroſque ſubintulit ex operibus dijudicandos. Videatur quo loco, modo, ac numero, Eccleſiaſtica diſciplina, pœnitentia, & ſacri Chriſtianorum ritus habeantur in hac Ciuitate, Diœceſi atque Prouincia; hæc nimirum de Sacerdote annunciant. Cæterum digitum meum ori apponens, calamumque contrahens, ad GIBERTVM deuenio,

Is primogenitus extitit inter fratres, peditum Tribunus ac Regius Conſiliarius, cui pręclarè geſtorum intuitu occulatiſſimus Carolus Cęſar, annuã aſcripſit penſionem, ſub ea forma verborum, Magnificus noſter, & ſacri Imperij fidelis, dilectus Co. Gibertus Borromęus, tanta argumenta fidei & deuotionis ſuæ erga nos, & idem Imperium edidit; vt aliquam ei gratiam referre merito debeamus, & cęt. quam nimirũ penſionem eidẽ haud multò poſt augendam decreuit, ſcribens in hęc verba. Attentis qualitate perſonæ dicti Co. Giberti, eiuſque meritis & obſequijs, quibus nos in dies magis magiſque proſequitur: proque noſtra in eam familiam beneuolentia & gratia eid. & cęt. Habetur & confirmatio ipſius penſionis facta per filium Philippum II. Regem, cũ ea præfatione, Nos animo repetentes ſinceram fidẽ: nec non grata, fidelia & aſſidua obſequia, non ſolum ipſius Co. Giberti & fratrum, ſed totius illius familiæ, arduis etiam & difficillimis rebus ac temporibus, inuictiſſimo parenti noſtro hactenus pręſtita, & quę in futurũ præſtare poteſt, & cęt. quo defunc-

to voluit idem Rex dictam penſionem tranſire ad Co. Federicum eius primogenitum, vt illuſtrem vaſſallorum ſobolem, ſe plurimi facere conteſtaretur; imò cum eius Auunculus Cardinalis Medicæus in Petri Cathedram ſubuectus, Federicum ipſum Eccleſiaſtici principatus Pontificiæque ditionis generalē Vexilliferum declaraſſet, eundem Rex Ducatu Auritano exornauit, ac Torque donauit Equitum ſacrati Regij ordinis Velleris aurei. Verum is cum ætate florenti ſibi deſponſatam Virginiam Ruercam Sereniſsimi Vrbinatum Ducis Franciſci Mariæ ſororem ſuſcepiſſet: iamque mundanæ glorię culmen concito curſu ſcandere putaretur, repentè morte abreptus, ſecularis felicitatis fallaciam in ſeipſo expertus eſt; Fortuna ſiquidem cœptis tantiſper arridere, ſed ſubito reflatu viſa eſt illudere, & eleuatum allidere. Huius ſorores Giberti filiæ, fauſtiſſima ſortitæ connubia, prima namque *Eliſabella* vocabulo, Regi ſeculorum Chriſto domino ſe exhibuit, religionem profeſſa in Monaſterio Ordinis S. Dominici *Virginum* dicunt, quia inibi Virgines aſſeruari (quemadmodum in alio Nuptas ac viduas, propterea *Veterum* adhuc nomen retinenti) iuſſerit, in deuaſtatione Rubrobarbus, ſtupra ac effrenem militarem licentiam exhorrens, appellataque eſt Sor *Corona*, poſt hanc *Camilla* Melfictæ Duci Cæſari Gonzagæ nupſit, ſupremo Cataphactorũ ductori Arianique Principi. *Hieronyma*, Fabritio Geſſualdo tradita eſt Principi Venuſiæ. *Anna* deſponſata Fabritio Columnæ: erat is primogenitus Magni Comeſtabilis Marci Antonij Taliacotij

cotij Ducis, qui tunc Prorex vlteriorem Siciliam moderabatur; hanc verò breui ſed miro Elogio celebrat Carolus à Baſilicapetri Clericus Regularis, ab ea pietate commendans, quæ procreatrix, & quaſi mater cenſetur reliquarum virtutum. *Hortenſiam* demum vxorem habuit Annibal, Vuolfangi Theodorici Altempſij filius, bello clarus & Pontificiarum copiarum Generalis præfectus: horumque proles extat Co. Gaſpar & Marcus Salsburgenſis Archiepiſcopus. *In vit. S. Car.*

Nec tibi ſubrepat ſcrupulus illicitæ copulæ ob propinquitatis gradum. nequaquam ſanguis tetigit; quia Hortenſiam non Margarita peperit ſoror Claræ ex qua ortus Annibal, ſed Thadæa Co. Federici Vermienſis filia; Ianes namque cum Eleonoram duxiſſet Giberti ſororem, vicem cognato rependit Medicæa defuncta. Quemadmodum nuper perſpectum in ſplendidiſſimis Co. Triuultij, & Honorati Monachi Principis connubijs, ſcilicet Co. Theodorus accepta Ioanna Herculis Grimaldi filia, eiuſdem ſucceſſori viciſſim Hippolitam tradidit germanam. Hęc gratia exempli, Atuerò C. Plinius cum ad Veſpaſianum Auguſtum pro magno referat de Fabiorum familia tres continēter in Senatu effulſiſſe egregijs facinoribus claros; nimirum *Marcum Fabium Ambuſtum*, eiuſque filium *Fabium Rutilianum*, ac *Quintum Fabium*, nepotē, qui appellatus aſt *Gurges*, quid nunc de tot Heroibus Borromęis dicturus exiſtimetur ſi adeſſet? quid de tot tantisque clientelis, & affinitatibus quibuscum sūma neceſſitudine iuncti inueniuntur? ſanè inter eorum propinquos recenſen

tur,

tur, præter Vicecomites ac Triuultios, Sfortiadæ, Balbiani, Caſtoldi, Ferrerij, Geſualdi, Torculi Brandeburgenſes, Adorni, Gallij, Rubei, Sorbellonij, Cęſij, Arconati, Raconiſij à Sabaudia, de Abdua, de Somalia, Medicæi, Candiani, Gradenici, Campoſantrij, Anguiſſolæ, Altempſij, Farneſij, Gonzagæ, Eſtenſes, Columnenſes, Vermienſes & primarij quique. Baldus autem ſummus Legiſta c. 1. tit. de Feudo Monarchiæ, in vſib. Feudorum, affirmat conſanguinitatem inter viros Principes, conſiderari vſque ad milleſimum gradum, licet inter priuatos, vſque ad decimum duntaxat attendi putetur. vt habetur Inſtitut. tit. de legitima Agnatorum ſucceſsione, & Dec. conſil. 321. Vna defuiſſe viſa eſt felicitas Inſubrum Borromæorum domui, quemadmodum & Triuultiorum; nempè numeralis indiuiduorum pluralitas; nō enim adeò copioſa palmitum germina protulerunt excelſæ Arbores iſtæ, quantum alias quaſdam ſe effudiſſe ac pullulaſſe contuemur, iuxta quod varia ſunt dona Dei, diuidentis vnicuique prout vult. Fateor quod benedictio Domini multiplicat, ſed & ſcio quod quó quicquam pretioſius, eo rarius, Cęlum innumeris ornatur ſyderibus, quæ *Prolem Titaniam*, eſſe fabulantur Poetæ; ſed numerum ſeptenarium Planetæ non excedunt, & Sol quem Aſtrologi per excellentiam circulo notant integro, vnicus in Orbe coruſcat, quem iccircò Euripides candentis auri maſſam exiſtimauit, quia virtus vnita fortior; palam enim cumulos vtcumque ingentes minorari ſi frequens adimas, tandemque ad nihilum redigi, vt & ſu-

pra expendimus: maximè quod Borromæi vſu rece- *Fo.516*
perunt vſqueadeò Nothis eorum ſanguine natis, prę-
dia bonorumque portiones attribuere, quibus hone-
ſtè vitam tuerentur, nec męchanicis artibus cogeren-
tur ſe addicere. Longè verò amplius de eorum opi-
bus detractum à nonnullis, qui filiabus dotandis plus
nimio largi ac profuſi extitere: ſed iam receptui ca-
nendum; Gibertus enim Federici de quo dicere exor-
ſi ſumus, præmiſſum vnus ipſe claudit illuſtra ag-
men.

Hactenus de regali viridario, deque ſpecioſiſſima Arbore vndè odorifera cedrus enata eſt: quamque digna radice planta inſignis aſcenderit; vel quibus ſancta proles deſcenderit Auis ac progenitoribus ſatis oſtenſum, hunc proximum ramuſculum, ex quo immediatè flos ipſe Diuus Cardinalis exortus perhibetur contrectantes, inſtitutum noſtrum nequaquam tueri poſſe videmur, aut dicendi characterem; imò diuerſa prorſus methodo progredi compellimur; nã vbi Borromæorum Vitalianorumque cognationem honorifica amplitudine, iuxta nomen magnorum qui ſunt in terra florentem atque affluentem: & mundano faſtu planè effulgentem, pro tenuitate noſtra deprompſimus, Heroum qui ex ea prodierunt præclara facinora, inclyta geſta, titulos ac faſces vel ſummatim attingeudo. Nunc cum iam cominus acceſſiſſe cognoſcimus, Sanctoque ipſi CAROLO appropinquaſſe, quem eiuſmodi affatim contempſiſſe compertum eſt; qui putà in Chriſto vnicè gloriatus. omninò ſuperfluum arbitramur ipſius genitori ap-

plau-

plaudere; quia Ducalis conſiliarius extiterit, quia inter Patritios, Dynaſtas, & Comites maxima ditione inſignis habitus ſit, acerque bellator, & præliatorum turmis ab ipſo Principe præfectus, quia vxorem ſortitus ſit è familia Medicęa, quæ gens tota fermè Europa celebris, præter Regium quod iugiter fauſtum obtinet magni Ducis Diadema, quatuor iam dedit in Apoſtolico culmine ſumma almaque Tyara nitẽtes. Ipſamque Bernardini Medices ac Cæciliæ Sorbelloniæ filiam, & Marchionis Io. Iacobi famigeratiſſimi exercituum Ductoris, ac ſummi Pontificis quater Pij Sororem, & id genus encomijs proſequi, quæ ei ad mundanæ felicitasis cumulum contigiſſe prædicantur. Hęc inquam penitus miſſa facienda duco dum ſancto appropinquamus; quippè ſi glebam corporis eius extulero, quantumlibet mirandis nitoribus confertam, exiguum erit quod impendo, monẽte Propheta, quod Omnis caro fœnum Eſa. 9. Longè enim pulchrius in eo renituit quod renatus in Chriſto, quod conuerſatus in cęlis, & quod proſapia ei fuit diuina, teſtante Paulo. Rom. 8. quicumque ſpiritu Dei aguntur hi filij Dei ſunt, quantumuis igitur clarus carnali propagatione, maior exiſtimãdus ſublimitate cęleſtis vitæ. Enimuerò anteuertente diuinæ benignitatis diſpenſatione, parentes quoque eius cęleſtis benedictionis rore aſperſi ſunt; quemadmodum & prætulimus à Luca ſacro obſeruatum, in præcurſoris ac Baptiſtæ domini generatione. Præ- *Lib. 1. fol. 18.*
ceſſit inquam in radice diuini copia muneris, ſanctitatis abũdantiam ſubſecuturam in fructu; ambo etenim

nim cum præclaris natalibus eminerent, nec eis quidem defuit eius generis fulgor, qui à pietate proficiſcitur atque religione; probi namque ac timentes, & amantes dominum, illius cultui mirandum in modum putabantur addicti. Gibertus facilis, apertus, comis, ac per omnia miſericordiæ vir. Margarita vxor eius ſicut vitis abundans, pudicitia, prudentia, deuotione inſignis; & quæ viro ſpontè ad bona opera currenti, calcaria ſubderet. Sed dum hanc Margaritam Mediccam deſcribo, per quam Sanctum Cardinalem Magnalium patratorem Suſcepimus: aliaque ſubit in mentem Borromæa, Philippi Hetruſci filia, Ioannis ſoror, quæ Vitalianis copulata fecit vtraque vnum, cuius gratia inquam clariſsima progenies Vrbi noſtræ adiecta eſt. quin & tertia eiuſdem nominis Triuultia, domini mei Cardinalis Federici genitrix; non poſſum ſatis mirari huiuſcæ familię felicitatem; nam vbi negociator ille Euãgelicus Matt. 13. quærens bonas Margaritas, vix ſummo labore ac induſtria vnam reperit pretioſam, quam auidiſſimè ſibi coemit, profuſis opibus & diſtracta re familiari, benefortunati Borromæi, vel in hoc mercatores ſagaciſſimi: & excelſa ſorte beati, exiguo temporis interuallo: nulloque (ſi dici fas ſit) negotio, duas, imò tres (ternario autẽ numero nil ſacratius, niluè vberius ad ſignificationes myſticas ac reconditas) obtinuerunt planè inæſtimabiles, pro quibus tantum abeſt, vt diſpendium perpeſſi inueniantur, quod propter eas omni bonorum cornucopia ſe cumulatos lætentur. Magna porrò laus Sancti Cardinalis, tantorum paren-

Lib. 6. Fol. XII


Fol. 553


tum extitiſſe filium ; ſed adhuc maior eorum gloria, quod tantam meruerint accipere prolem ; nimirum gratioſa ſtirpe glorioſum germen erumpens, ceù fructus ſtipite præſtantior, familiæ decus in genitores refudit mirando auctum incremento : non ſecus atque Amnis retrorſum fluens, ſuique copia fontem exundare faciens.


F I N I S.


POſt Clariſſimæ Familiæ ortum, progreſſus atque incrementa, quantũ per imbecillitatem licuit ſedulò enarrata; libet eandem compendiario figuræ typo delineare ad clariorẽ notitiam. Cumque eiuſmodi, Arboris ſimilitudine exprimi ſoleant; aut certè metafora Amnis anguſto primum manantis fontis meatu, mox in vaſtos ſeſe fluuiorum latices amplianris, & in riuos circumquaque diffundentis, prima congruentior cenſetur ac dilucida magis; nempè A R BOR. Eam verò non vt plerique ſtantem erectamque; imò conuulſam effingendam duximus; non tantum quia Graijs Homo *Antropos* ſit, nempè Arbos euerſa; ſed quia cęleſte nobis germen atque origo, quod vel aſſumpto profani Arati teſtimonio, euicit Apoſtolus Athenis diſputans: & nos quotidie Patrem inuocamus in cœlis reſidentem diuina inſtitutione formati: præter id quod paſſim obuenit in vſu loquendi & Iuriſtis potiſſimum, vt poſteros denotent vocabulo *Deſcendentium*, perindè ac pręceſſores; *Aſcendentes* appellant. Iuuit inſuper Plantæ cacumen deorſum vergere; vt meminerint D.D. mei, quod Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quaſi flos agri. Vtinam enim deſcendant in infernum viuentes, & calcatis ſeculi fallacijs. vnicè in domino glorientur.


Radix Iuſtorum non commouebitur. Prou. 12.






S. Iuſtina
73.
Iuſtinus
93.
Vitalianus II.
120.
Zilius
1120.
S. Maximus.
128.



Prandus 123.
Candidus 24.
Anterius 126.



Galienus
128.
Valerius
134.
Iannuſius Rex
135.
Prandus
130.
Cordanus
133.
Iocund.
Eſtenſis
138.
Iornandus.
140.
Sirena
138.



Maximus
147.
Vitalianus III.
Prorex.
150.
Ioannes Bon-
romanus
169.



Anaſtaſius 195.
S. Vitalianus Papa. 196.
Paulus 193.
Vitalianus IV. 201.
Ioannes II. 203.
Truncus Vitalianorum.
Anaſtaſiu 190.
Vitalianus 190.
Antenor 308.
Gaſpar 190.
Ioannes 308
Erneſtu 308.
Philippus 308.
Raimus Bon-romanorum.



Paulus
208.
Ioannes
207.
Palamedes
208.
Hernestus
207.
Federicus
Paulus II.
204.
Maximus
204.
Gaboardus
209.
Ioannes
209.
Gibertus
205.
Candidus
210.
Maximus
206.



Palamedes
311.
Adriana
Gradenica
214.
Iuſtinus II.
213.
Vitalis
215.


Philippus.
220.
Laurentius
Epiſcopus
502.
Matthæus.
222.
Ianus.
224.
Alexander.
223.
Gaboardus
224.



Io. Baptiſta. 253.
Antonius. 258.
Carolus. 231.
Ioannes III. 256.
Sigifredus. 257.
Truncus Vitalianorum.
Valerius. 256.
Ramus Bonromanorum.


Palamedes
260.
Valerius
259.
Vitalianus V.
262.
Iuſtina Cāpo-
ſanpetria
264.
Gaboardus
265.
Gerardus
266.



Federicus Baro 311.
Conradus III. Imper. 322.
Petrus 268.
Iacobinus 269.
Federicus Monoculus 323.
Vitalianus VI. 269.
Otho 360.
Federicus Aenobarbus Imperator 325.
Conradus 360.
Federicus II. Imperat. 362.
Henricus Imperat. 355.
Philippus Imperat. 360.
Matthæus II. 271.
Federicus Dux 58



Bartholamæus 282.
VITALIANI REGNICOLAE.
Vitalianus VII. 272.
Ioannes IV. 278.
Gerardus 286.
Iacobinus 283.
VITALIANI PATAVINI.
Philippus.
Federicus.
Philippus.
Lazarus.
Ianfredus 366.
Entius Sardiniæ.
Cõradus II. Imp. 362
Henricus Corſicæ 362.


Eeee





Petrus
248.
Hieronymus
291.
Borromæus
374.
Lazarinus
374.
Philippus
375.
Iacobus 292.
409.
Margarita
405.
407.


Andreas 404.
Alexander 404.
Borromeus Com. 404.
Co. Vitalianus VIII. 436.
Guido 505.
Andreas 499.
Fortetia Cribella 534.
Corona Somalia. 499.
Sperantia 534.
Ioannes Arrogator 434.
Ventrrinus Basilius 448.
Ioannes 421.
Antonius 422.
Galeacius 421.
Co. Philippus 500.
Iacobus Episcopus 500.
Posteritas vniuersa.


Galeacius 552.
Blanca Triuultia
Co. Ioannes 504.
Iuſtina Stanga.
Eliſabella Pallauicina 532.
Franciſca Sfortia 552.
Hippolita Raconiſia 532.
Eliſabell Triuulti 533.
Lancilotus 532.
Iuſtina.
Laura Pallaui cina.
Ludouicus 534.
Iulius Ceſar.
Philippus 547.
Vitalianus 544.
Iuſtina Puſterla.


Barbara Beccaria.
Magdalena Vicecomes.
Hippolita Anguiſſola.
Carolus Epiſcopus 544
Camillus 545.
Barbara Gōzaga 546
Iuſtina Nericina
Ioannes 547.
Margarita Landriana 534.
Ioanna Caccia 534.
Camilla Beccaria 534.
Co. Gibertus 548.
Aloyſius 547.
Io. Baptiſta 547.
Dionyſius 547.
Vitalianus 547.
Conſtātia Caſtolda 547.
Sor Corona
Hippolita Balbiana.


Hortenſia Altepiia.
Eliſabella Corona 564.
Co. Gibertus 563.
Co. Federicus 550.
Franciſcus 550.
Eleonora Vermienſis 551.
Camilla Gozaga
Hieronyma Geſualda 564
Magdalena Ferreria.
Franciſcus 551.
Ioannes.
Laura Vicecomes 553.
Federicus Princeps 564
Anna olūnenſis
Co. Iulius Cæſar 552.
Eliſabella Vicecomes 554.
S. CAROLVS.
CAR. FEDERICVS.



Co. Renatus 555.
Co. Carolus 558.
Co. Iulius Cęſar 558.
Co. Fedeli cus 160.
Co. Ioannes 160.
Co. Renatus 81.
Co. Gibertus 81.
590

EXCELSVM VETVSTVMQVE

CLARISS.

BORROMEÆ FAMILIAE

STEMMA,

Vt procedentibus ſeculis varijs Inſignibus cumulatum,

Diſsertatio.

D. BASILII SERENII.

Ad Illuſtriſs. D. D. FEDERICVM Cardinalem Archiepiſcopum, Dominum ac Mæcenatum ſuum.



MEDIOLANI,

DE
STEMMATE
AC IMAGINIBVS, ARMIS, ſeù Inſignibus
Illuſtriſſimæ Familiæ.

GYmnaſiarcha Peripateticorum Ariſtoteles, poſtquam Phyſicarum rerum ortus omnium ſolertiſſimè perſcrutatus fuiſſet ac interitus; id demum ſcriptum reliquit ſe deprehendiſſe, quod quæcumque Natura conſtant, in ea ipſa tandem reſoluantur, vndè iam pridem fuerant exorta. Quem præcisè initij decurſum ad finem & huius recurſum ad primordia, Dei omnipotentis diſpoſitioni priſci olim aſcripſerant Theologi, docentes vniuerſa ab illo perenni fonte effluere dum creantur: & in eum refluere, dum ipſo rapiente vel attrahente primam originem repetunt: poſtremò perfici, vbi ad ipſum redierint, *Felicitatem*, quæ ſummum bonum eſt, definientes ſitam in reditu vniuſcuiuſque rei ad ſua principia. *Encyclopędiam* appellant Græci eiuſmodi ambitũ; cuius typus non rarò in ſcientijs occurrit humanitus inuentis; lucet enim artificis induſtriam Naturæ parentis operibus æmulandis longè felicius progredj, quam illa ſummi conditoris (cui nulla proportione coheret) imitationem aſſequi valeat. Huc omnis (ſi vera fatear) tetendit conatus meus: hic ſcopus ſtudij: hæc meta ſtadij quod cucurri; vt ſcilicet ad te peruenirer à quo iam cæperat.

Enim-

Enimuerò de *Nobilitate*, in ipſo operis veſtibulo tecum agens, eam deſcripſi. Animi patrimonium, virtutum poſſeſſionem, atque hæreditatem gloriæ, tum de eiuſdem effectibus diſſerens, permulta retuli, nec pauca attuli, adieci ſubtexuique: monui, narraui, animaduerti, confutaui: demonſtrare, probare, euincere adnixus ſum. Vnum nunc ſupereſſe videtur, vt de ipſius Signis, exterioribus inquam; quæ videlicet forinſecus proſtare ſolent: & proſpectui omnium obijciuntur, duo curſim verba ſubinferam; ſiquidem ea varijs rerum exemplis, ſiuè ſymbolis denotari conſueuit in Scuto effigiatis ac impreſſis: eaque *Stemmata* nuncuparunt maiores noſtri familiarum, vulgò *Arme*, vt qui clariori inſignium ornatu legitimè potiuntur, amplioribus quin etiam honoribus, effulgere exiſtimentur, & in eminentiori gradu collocentur; quaſi ornatuum fulgore vel pretio, dignitatis augeatur prerogatiua. Nec quidem ad inanem gloriolam aucupandam iſthæc excogitata: neù ad ambitionem referenda ſunt: recentioriſuè ætatis inuenta; vt quidam Comes ratus eſt; quinimò allicien- *Natalis Com.* dis vt prædiximus nepotum animis, ad ingentia ſubeunda præceſſorum inſtar, qui præclarè geſtis glorioſa poſteritati trophæa compararunt: moris inſuper antiquiſſimi extitiſſe conuincuntur; Imaginibus quippe veteres paſſim vſos, teſtantur abundé grauiſſimi Auctores, inter quos Bartholus, edito de hoc peculiari tractatu, ac Taegius Iureconſultus: & Tiraquellus lib. de Nobilitate, Plinius lib. 35. c. 23. Præterea Paulus Iouius: Hieronymus de Ruſcellis: recen-

tiores demum Academici innumeri. Porrò ſelectis viris & inclytis, Imagines ex facinoribus belliciſque potiſſimum, ſiuè honoribus vel magiſtratibus geſtis olim conſtituebantur; alioqui enim qui ſuas vel maiorum Imagines nullas proferre poterant, ij gentilitatis iure carere, à ſe orti, vel terræ filij; haud prorſus inſulsò ſcommate dicebantur. Hinc Tranquillus
Sueton. de geſtis Veſpaſiani Cæſaris, Flauiam gentem obſcuram reputat quia Imaginibus minus commēdaretur,
Cicero. ſed de his conſulendus eſt Tullius, in de lege Agraria,
Iuuena. tum in Piſonem, ac de Oratore. Et hi *Fumoſi vultus*,
Ouid. *Vetereſque ceræ* Satyrici atque Naſonis, quibus inſignia, ac ſtemmata poſterioribus ſeculis ſubrogata
Budæ. fuerunt, ſi Budęo credimus; niſi quod Imaginibus proprijs Heroes ſimpliciter deſignabantur, quemadmodum & cognomentis; namque *Cunctatoris* titulus qui Fabio Maximo attributus noſcitur, ad eius nepotes nempè Fabiorum gentem minimè tranſijſſe narratur, nec *Africani* ad Corneliorum familiam: nec *Torquati* ad Manlios omnes: neù *Coruini* ad Valerios; ſic inquam Imago vnicum referebat, nihil cæteroqui commune habens cum reliquis, itidem & Coni vulgò *Impreſe* quos viri inſignes ſibijpſi deligūt, & adaptant pro vniuſcuiuſque ſenſu vel libito, ad mētis conceptus denotandos, de re præterita, inſtanti, vel futura; hi nimirum nemini congruere putantur, præter vnicum ipſorum auctoris indiuiduum. Stemmata verò vniuerſam complectuntur poſteritatem; nempè teſſerarum munere funguntur atque ſignorū, quibus tota denotatur domus, ſiuè propinquitas, vel ſuc-
ceſ-

ceſſione interminata: quæ & ipſa rerum præclarè geſtarum virtutiſque monumentum præſeferunt, ac poſteritatis decori inſeruiunt; & ea nihilominus ab antiquis diebus in morem recepta inueniuntur; nam Seleuchum Antiochi filium vna cum nepotum ſtirpe *Anchoram* nauticam geſtaſſe ab Apolline acceptam auctor eſt Iuſtinus lib. 15. & Clemens Alex. pædag. lib. 3. c. 11. Æſchilus quoque in Tragedia perquam exactè deſcribit inſignia quæ detuliſſent *Septem apud Thebas*. quin & Clearcus Eraclienſium Tyrannus, auream *Aquilam* in Parma memoratur geſtare ſolitus; quod ſe Ioue prognatum aſſereret. Eodem iure, quo & Dardanus Troiæ conditor, vti prædictum in Stylobatæ Coronide. Et litteris Spartiatarum ad Simonem Sacerdotem datis, quarum habetur mentio inter ſacra volumina, 1. Machab. 14. notat antiquitatum Chroniſta, eas complicatas fuiſſe figura quadrangulari: impreſſasque ſigno *Aquilæ* quæ Dracone arreptum vnguibus comprimeret, (id enim extitit Lacedæmoniorum geſtamen) De *Colubro* Alexandri Macedonis, quem Vicecomites ſibi aſſumpſerunt iure belli partum, ſupra tetigimus. Simon quoque cognomento *Taſſis*, ædificaſſe narratur ſepulchrum parentibus ſuis ac germanis, cum Pyramidibus & columnis, ſuper quibus inſtituit Arma & Naues ſculptas 1. Mach. 19. nè vagari incipiam per Lilia Regum Franciæ: Fulmina Scytharum: Arcus & Pharetras Perſarum: Leones Phœnicum: Athenienſium Noctuas & id genus. hæc inquam Stemmata vel Inſignia vulgò *Arme*, Populorum ſeù Regum, ad Regni ſucceſ-

Iuſtin. *Clem. Alex.* *Eſcuil.* *Ioſeph.* *Lib. 6. fol. 459*

ſores, ſiuè Nationes legitimè transfundi nullus ambigit. At uerò Amor parentum in filios, horumque viciſſim pietas in genitores (nullo quippè arctiori vinculo alter alteri copulatur) effecit, vt Coni etiam quos dicimus *Impreſe*, peculiares ac proprij: ipſaque indiuidualia ac notionalia cognomenta, non rarò communicarentur: taliterque tradita atque recepta, ad prolem tranſirent ſubſequentem. Quo ſpectat illud Mar-

Cicero. ci Tullij de ſomno Scipionis, cum inducit Africanũ loquentem cum nepote his verbis, Erit cognomen id tibi per te partum, quod nunc habes es me hæreditarium. Sed quid longinquos cieo, cum noſtrates ſint in promptu? nempè qui de *Ada*; nam præfuli cognomen mutuatum ab *Adone*, eius gentis ſatore: Vicecomitesque trophæi Conum quem Otho extulerat

Fo. 459 pro familiæ Armis gerentes: demum Crucæi vtrũque ſibi adaptantes; inſigne videlicet ac titulum Rhaudenſis quondam Ioannis; omnium verò maximè Vitaliani, nam & inclyti Herois vocabulum proprium,

Fol. 38. appellatiuum eſſe voluerunt Domui, & primigenij Antenoris Conum ſibi gentile fecerunt.

Antenorẽ Aequori acceptũ retuliſſe quod Achæorũ

Fol. 49. manus & Troiæ euaſiſſet incendiũ, ſatis initio relatũ, & eius rei gratia *Marinas vndas*, ſibi Conũ effinxiſſe, tamquam per eas ſe ſoſpitem gauderet. Porrò rudiori illius æuo nõdum vſus Titulorum ſiuè Inſcriptionũ inuectus fuerat, qui haud ita pridem excogitatus noſcitur ad eiuſmodi emblemata perficienda; contendunt quippè



pè neotericorũ plurimi (quemadmodũ & ſuprà tetigimus) ex eo pendere vel in eo repoſitam Animã, Formã ac Vitalem Coni ipſius ſpiritum: ipſumque Emblema tamquam corpus inanime cẽſendum, quoties ei ſubtrahatur inſcriptio, vulgò *Il motto*, Reluctantur alij aſſerentes eiuſmodi imagines *Impreſe* per *intrinſecam ſimilitudinem*, conſtitui in eſſe formali (ſic effari à ſchola diſcitur) cæterum Titulos ornatui duntaxat deſeruire: nec ad perfectionem requiri; tantum corpus figuris cõſtet ſenſatis ac prægnantibus: nec vſquequaque enigmaticis; ſed quæ eruditorum ſaltem intellectui peruia exiſtimentur; nam alioqui (vt veteri fertur Prouerbio) nil cum phidibus Graculo, nec cum amaricino ſui. Exemplum nectunt Aegyptiorum, quod Hieroglyphicis nulla cõſueſſent admiſcere verba, imò & Dei optimi; ipſe enim Legifer noſter, qui adinuenit omnem viam diſciplinæ, & tamen Emblematibus, quæ multa ſanè confici mandauit in priori Teſtamento, myſticis intellectibus fœcunda, qualia numerantur Menſæ, Thuribula, Cherubim, aureaque Candelabra, Altare, Ligna Setim, quæ nos *Larice* vocamus imputriſcibilia, & id genus, ne ſyllabam quidem appoſuit; ſingula verò hæc haud impropriè nunc appellaremus *Impreſe*, nuda licet, nulliſque omninò fulta dictionibus. Addunt ſufficere ſi ad ſpicilegium ſtipula relinquatur (vt Varro dicebat) nimium ſi manipulus. Enimuerò verba imaginibus adiungere, ad multiplicanda entia ſpectare videtur; quãdoquidem & voces internarum ſunt notæ conceptionum: & ſermò imago animi. Vrceus facilè exibit in

amphoram, ſi argumenta vtriuſque partis proſequi voluero; totidem enim, quin & validioribus peremptorijsque rationibus aduerſantes cõtrarium perſuadent, quæ licitè à me omitti poſſunt; cum præſertim nemo me á ſubſellijs euocarit ad Tribunal; illud verò ſtatuendum ducerem, quod pari paſſu gradiantur Scientia atque Natura; nempè ab imperfecto tendentes in perfectum; quo fit vt præmiſſa argumenta langueant vel certè claudicent, laudabile profectò veterum inſtitutum; ſed ei multum contulit ſplendoris & gratiæ recentum induſtria, quod vt vernaculo exemplo demonſtrem; maiores noſtri cum primum ex Augusta prætoria Mediolanum ſe contulerunt, dicti ſunt *Sereni* ab hilaritate & amœnitate vultus (vt memoriæ proditum) ipſi verò (vt idem intrinſecus latere & forinſecus lucere dõteſtarẽtur) Viam lacteam pro Co-
Fol. 57. no extulerunt in Scuto effigiatam: eaque pro domus Stemmate perennaſſe noſcitur ad hãc diem, varijſque lapidibus inſculpta inuenitur. Eandem verò euolutis mille circiter annis, Sanctus Cardinalis noſter in Academicorum Affidatorum conſortium aſcriptus, ſibi pro ſigno delegit; addita inſcriptione *Monſtrat iter*: ſeque *Inflammatum* cupijt nuncupari, ſuper quibus cũ multa pronum eſſet commentari, parco tamen quod verear Lucæ Cõtili qui tunc de his diſſeruit, illius ſenſum apprimè exploratum. Porrò id ſtemmatis deinceps nobis gratius extitit & carius, iugiterque pretioſius habebitur, ex quo magnalium ipſe patrator id ſibi aſſumens, ſuaueolentibus velut vnguentis deliniſſe: gloriaque circumornaſſe viſus eſt. de quo hactenus.

Ergo

Ergo celebratiſſimus Henetorum Rex Antenor (vt loco ſuo relatum quantum ſatis) quaſi incolumitatem ſuam Ponto acceptam aſcriberet, *Undas* in Conum effinxit. Eundemque poſtmodum Iuſtinus magno Vitaliano ſatus Altini & Concordiæ Regulus ampliauit, interiectis *Areolis* ſuperſtratoque *Capillitio*, ad facti tũc pręſentis vel recentis præconium, & ad futurorum prçſagium, de quibus quoniam fusè ſatis ſecũdo libro diſſeruimus, imó & quinto contigit eorum vel incidenter meminiſſe, eadem in præſentia minimè iteranda putamus. Vnum reticere non debeo, quod in quibuſdam noſtratum Borromæorum exemplis etiam vetuſtis, *Areolæ* quidem ſeu terræ portiones virore nitentes aſpiciuntur; muliebre verò *Capillitium*, quod magno arcano,& alta mente additum retulimus deſideratur, cumque cauſæ ignoratio patente efficientia admirationem pariat, ſategi rationis eruendę, cur haud ita paſſim *Comæ* appingãtur, proindè intellexi in eo Artificum incurioſitatem peccaſſe: multiplicitatemque ſignorum proceſſu temporis adiectorum, vetuſtioribus pręiudiciũ attuliſſe, quominus articulatè exactèque ſingula vbique diſponerentur; quemadmodum in alijs induſtriori penicillo confictis, cuncta in vnguẽ affabrè expreſſa obſeruaui. Eas porrò nullatenus omittendas cenſeo, ad recolendum inclytæ Viraginis triũphum; quod valdè decorum exiſtimem, pro huiuſmodi gloriari; Id enim perenniter dulce fuerit ad recordationem.



Fol.95. 108.

Fo.320

Poſt

Poſt Marinos Fluctus originis ordine *Repagula*, ſiuè clatra vel *Faſciæ* locantur Virides, Rubræ, Albaque tranſuerſa, de quibus in Aquilonari diſſeruiſſe.



Ea vt præmiſimus Sueuorum extitiſſe aſſeruntur, antiquitate fidem conciliante; nam à ſeculis velut per manus tranſmiſſa probantur, ad quod facit & conuenientia; vel (ſi ſi dicere liceat) maneries ipſius Scuti, Germanicum ritum apprimè ſapiens ac præſeferens. Hæc cũ certò ſciam, nequaquam illis ex ſtirpe acceſſiſſe aut gentilitate; ambigam verò ex agnatione, ſeù hæreditate illis parta: potiuſvè ad præclare geſtorum conteſtationem, vt loco ſui diſſerui; ex his tamen quæ fruſtatim eruere potui pro mea ſententia dicerem, eiuſmodi inſigne à Gaſpare & Anaſtaſio, vel nepotum quopiam ſpontè electum, dum intra priuatos lares degerent. quod licet eorum poſteri ſepoſuerint qui ad Auguſtale faſtigium promoti ſunt (quemadmodum & Sfortiadæ vbi Inſubrica dominatione potiti ſunt, auito abdicato, eximij Principatus ſigno vti cęperunt, Colubro & Aquila, & nunc item Borbonij Galliæ Regnatores pura lilia adhibent) cæteri tamen retinuerunt quotquot extra Regni ſortem ſeſe poſitos intellexerunt. In maiori Atrio vetuſti Borromæorũ palatij, quod Co. Philippi cura picturis exornatum fuiſſe retulimus, ſub arcubus porticuum, Stemmata Vitalianorum deprompta viſuntur, Scutum hocce Sueuorum ita continentes, vt dicas ex Marinis fluctibus orta Repagula; non enim

per

per quadrantes vtrũque diſpoſitum, vt moris antiqui etiam fuiſſe conſtat: nec iſtud in illius centro locatũ; ſed ita vt alterũ ab altero enaſci videatur; ac ſi Bonromanos vtero cõtinerent Vitaliani; ea vero ab exẽplaribus ipſa antiquitate vetuſtioribus deſũpta narrantur.

Proximè ſuccedit *Humilitas*, Diademate ſuperiecto, eam quippè virtutẽ diximus ità in corde inclyti Ænobarbi coaluiſſe, vt radices deorſum mittens, magnopere demum fructificarit ſurſum; cum enim ad altiſſima niteretur, humilimè de ſe ipſo ſentire didicerat, nè quando caderet a ſe, ſi ſupra ſe inaniter raperetur. Eamque propterea proprium ſibi adlegit Conum à tergo exculpens ſui Nomiſmatis, adeo vt eſſet illi id quod dicitur *Il rouerſcio della medaglia*, quam & D. D. Borromei (ſed noſtrates) ſic adamarunt, vt eorum ambulacra, atria, portæ, aulæ, parietes à ſummo deorſum vſque, eo paſſim charactere completa ſpectentur. Sed cur non reliqui itidem? id ego eidem prorſus cauſæ adſcribendum ducerem, quam attuli de vario incolatur delectu ipſorum progenitorum, propter diuerſitatem temperamenti ſeu commixtionis animorum corporumque, Vndè & aſſerebam Dei ſapientiam intelligibiliter elici poſſe. Sępè videmus inter fratres vnum præ cęteris Genitoris effigium aut mores referre. Ità dico, Ioanni arrogatori cordi fuit *Humilitatis* nota, Germanis ipſius non tantundem, vel certè atauum Federicum reliquis impenſius dilexit. At quo conſilio vel fiducia Æno- Fo. 433



barbi vexillum extulit in hac Ciuitate, quam noſſet ab eodem tam diù direque olim afflictam? imò inquam nil gratius Ciuium noſtrorum conſpectui obijci poterat ipſo inſigni Barbaroſcij, ſed humiliati, verte impios & non erunt, ait Salomon Prou. 12. maximè cum Merula totum victoriæ pondus in Vrbem noſtram conferat, his verbis rem tradens, Omnis igitur laus & gloria, debellati Federici, & reſtituti Pontificis gratia, penes Mediolanenſes eſt, quibus tamen ſuppetias tulere Veronenſes, Brixiani, Nouarienſes, Vercellenſes, & Alexandrini. Cui tametſi non omninò ſubſcriberem, reconciliatum tamen Vrbi noſtræ Cæſarem retuli, nec minima deinceps interceſſiſſe beneuolentiæ indicia. Ad hæc, iure reportandum, glorioſèque repetendum fuerat inſigne illud in hac potiſſimum Inſubrum Metropoli, quæ eiuſdem victricibus armis aliquandò humiliata atque attrita, ad tãtum honoris ac potentiæ faſtigium ſe protinus erexit, vt aureo Regioque ſuper finitimas meruerit ſerto coronari, fuit quippè gloria Ciuitatis huius nouiſſimè magis quam primæ. Quocircà nec illud reticere poſſum, quod quotieſcumque in præcipuis Vrbis ædificijs (paſſim namquè occurrunt Templa, Collegia, Palatia, Baſilicæ ac magnificæ ædes, quæ CAROLVS extruxit, aut certè Federicus, præter vetuſta) id characteris affixum contueor, Haſtæ Peliæ figmẽtum recolo: Iubetque Naſonis carmen mutuari, vnica dictione mutata, nimirum,

Georg. (margin, beside "maximè cum Merula")

Fol. 356 (margin, beside "Cæſarem retuli")

Ouid. Vna eademque Domus, vulnus opemque tulit.

At (quod ſupra quoque innuimus) felici omine antiqua,

tiquà, & obſoleta diruit Rubrobarbus, vt longè auguſtiſſimè ipſius Nepotes inſtaurarent, Itaque magni Federici Conum (recens *Impreſiam*) vel Teſſeram, Borromæi Inſubrici ſuam iam effecerunt à ducentis fermè annis & citrà; cum alioqui in Sueuorum *Repagulis*, æquè ac cæteri indidem prognati communicent. Vt dici poſſint hæc pro indiuiſo ſtare, illam in Mediolanenſium peculium vindicatam ab Arrogatore *Ioanne* quondam Philippi Hetruſci.

His maiorum inſignibus, Octaui *Vitaliani*, (Iacobi olim de Vitalianis Patauini, & Margaritæ de Borromæis Hetruſcæ) qui Mediolanenſi Ciuitate donatus eſt: cui & *Borromæi* cognomen primitus hic noſcitur inditum: generoſæque huiuſcæ familiæ pro- *Fo.* 441.
pagatoris, *Camelus* appingi cõſue- & 456.
uit, de quo in Stylobatæ Coronide, adhùc humi decubans; quaſi ipſius vigori tantarum opum honorumvè ſarcina minus ſufficiat, ſed clarioribus etiam honorum titulis ac infulis onerari: ac proindè ornari præſtoletur, vt tandem aſſurgat.



Supra memoratis nonnulla temporis ſucceſſu ab iiſdem coagmentata noſcuntur; per legitimos videlicet Mediolani Principes ſolenni ritu collata, ad clariſſimæ proſapiæ nitorem augendum, inter quæ *Monoceros* erectus, ac velut in ſubrectum ſcandens: niten- *Fo* 492
temque Colubrum, ac radios circumquaque vibrantē intenta acie ſuſpiciens, & veneranter admirans. In cuius deſcriptione me aliquãdò deceptum haud poſ-

ſum diffiteri. Quoniam verò ſcripta mea iam inuulgata doleo, re ſolicitius introſpecta, nunc palidoniam canere præeligo, quam vt errore meo ſtudioſi inuoluantur. Lapſui autem occaſionem præſtitit quidam alioqui non infimæ eruditionis, qui in Encomio D.D. meorum, dudum typis excuſſo, inter eorum inſignia Monocerotem retulit, *Viperam ſplendoribus circumfuſam, & in ſpeculo proſtantem, cornu adoriri ac vulnerare minitantem.* (Id autem non ex litteris ſed ex pictura muta decerpſerat vt reor.) Quod ſanè opus, cum ad manus meas deueniſſet, iuuenili ardore, non Viro, ſed errato ſubiratus (vt eſt ea ętas ad concertandũ prona) cõtinuò exertis ingenij viribus, diſceptationemque ordiri meditatus, ſcripſi ad eum in hanc fermè ſententiam. Veſtram hanc Vnicornis poſitionem, macte virtute, ego nec ſequor nec aſſequor; quale enim eſt, vt Dux Vicecomes Serpenti qui ſuæ ipſius gentis inſigne perhibetur, bellum intentatum vellet à ferociſſima beſtia? nimirum ſtudioſè, ſibi ac domui ſuæ cõflaſſe videretur inimicitias. Vnicornis inſigne à Principe Vicecomite Borromęis virtutis ergò traditũ, nullus eſt qui ambigat, Verum lis eſt de poſitura, quare ſi ſenſum meũ aperire detur, primò ſuppono quod non vnius ſoliusvè rei ſymbolum ſit Serpens, ſed quẽadmodum in ſacris litteris, eius calliditate, Diaboli innuitur verſutia primigenio illudens Gen. 3. & in Virga Moyſi, Chriſtianam ſignat Sapientiam. Exod. 4. Æneus verò alligatus in palo, ipſum figurat Saluatorem. Num. 21. Et in Euangelio prudentiæ typus eſt. Matt. 10. Ita apud profanos, aliquando *Mundi* hie-

hieroglyphicum fuiſſe legitur: interdum poſitus ad *Tempus* notandum, aut æternitatem: quandoque *Iuuentutem* exprimit, & *Iram*, ſeu *Conſtantiam*, ſiuè *Perſpicacitatem* & quid non? Conſule antiquorum arcana, potiſſimumque ſacra Ægyptiorum. Modò in Vicecomitum Scuto, Anguis nil niſi *Iouem Ammonem*, ac proindè generis claritatem præſefert eximiá. In Borromæorum autem inſignibus non perindé; quandò ad id duntaxat excogitatus cenſetur, vt Vnicornis commendet excellentiam; qui putà ſibi indita virtute, toxica excindat & enecet; venenum ergo vnicé repreſentat. quemadmodum dilecto domini Apoſtolo & Euangeliſtæ, Calix ſolet appingi paſſim *Colubro* emergente, quia Lethiferum hauſtum epotauit, teſtibus Hipponenſi & Hiſpalenſi Doctoribus. *S. Auguſt. S. Iſid.* Non igitur ſplendorem aut radium emittens, ſed virus vndique ſpirans, neù in ſpeculo nitens, ſed in aquis merſus effingitur; licet quidam allucinati ſint, quia lymphæ diaphanum, inſtar ſpeculi pelluceret. Fortè igitur innuiſſe voluit Princeps, liuorem aulicorum, & malignantium inſidias, longè ſuperari: penituſque extingui Vitaliani Comitis virtute. Quod ſi mihi obijciatur (dicebam) Speculum cum Serpente in alto defixum, Monocerotemque non prono pectore fingi; ſed ſurſum erecta ſtatura, vix vnico pede ſolo innixum, ceruiceque ad cœlum eleuata, adducam pro reſpõſione celeberrimum Sicyonij Pauſonis Equum. Is cum non inter poſtremos ſui temporis pictores cenſeretur, aliquandó accepta mercede pro pingendo Equo pedibus in aera ſublatis, dorſo ſeſe per terram

volu-

volutante: Statuta die Equum puluerulentum excurrentemque protulit ac exhibuit; Aduentore autem conquerente, pictoremque incuſante quod pactis minimè ſtetiſſet; illico tabulam inuertit Faber, apparuitque Equus in terga humi proſtratus, quem dixiſſes ſolo dorſum affricare. ità præcisè, ſi Vnicornis tabula in latus declinetur, proculdubiò actus reſultabit pergentis, & aquis cornu immergentis. Hæc olim aliaque id genus non pauca, cũ Ducale priuilegium nondum vidiſſem, ſpontè meditatum nil refragor, ſcripto meo adhuc extãte, eadẽ verò huc referre operepretium duxi, qui audierim aſſertionem meam aliorſum pertrahi. Cæterum Monoceros re uera erectus aſſignatur per Ducale diploma, & Colubrũ radijs velut ſolaribus nitentẽ, nõ cornu petẽs aut feriẽti aſſimilis (quod pati nequibã, quodque calamũ meũ ad repugnandum armauit) ſed obtutu incõniuenter fixo: actuque intentè ſuſpicientis, amanter contemplantis, ac deſideranter admirantis: nonnulla etiã ornamẽta gerens, Vitaliani meritũ exaggerantia, qualia ſunt, *Diadema* collo ad pectus depẽdens: ac *Linea vitta*, eiuſdem guttur nectens, adq; bas in ceruice per aera ventilans. Quæ ſanè duo, tametſi procliue foret altiore ſenſu deguſtanda propinare; quia ſcilicet nemini non compertum, *Corona*, Regium ſignari decus: *Vittaſque* ad Sacerdotes potiſſimum pertinere, præcipiente Domino. Ezech. 44. Vittæ lineæ erunt in capitibus eorum; imò & apud




Ethni-

Ethnicos; nam de Heleno Priamide canit Poeta. Vit- Virg.
taſque reſoluit ſacrati capitis. & cæt. parco tamen nè affectatæ anxietatis reprehendar. Verum quod nec fortuitò, nec inaniter adiecta; ſed grauibus de cauſis, ac momentoſa omninò exiſtimari debent, cum Corona dicta ſit quaſi *Cor ornans*, & *Pectus*, pro animo, accipi ſoleat; (legimus enim *Apertum pectus*, & *ficto pectore*, & *corpus ſine pectore*, ideſt ſinè mente, inter Adagia) Linea autem faſciola, geſtamen ferè perhibetur virginis, ad cuiuſmodi gremiũ, pudicitiæ amantiſſimum Animal, deſcribitur accurrere conſueſſe: reclinatoque capite obdormiens ab ea vinciri; quod cęteroqui viuum nullatenus ſe comprehendi ſinit. Quid intellectus indè eliciendum, eruditus quiſque ſibi indagarit, mihi ſatis indicaſſe; qui putà nec perſonam ſcrutatoris hic ſuſtineo, ſed purè ac ſimpliciter narratoris. Non ob hoc tamen Vicecomitum *Anguis*, inter Borromæorum ſigna conſerendus, aut in Scutis compingendus; quod enim in eorum Aulis ſeù ambulacris nonnumqnam Coluber ſpectatur exilien te puero, id neceſſitudini tribuendum vel affinitati: & in gratiam vxorum, quas Vicecomitum domibus ſæpè contigit Borromæos eduxiſſe, cuiuſmodi videre eſt ex picturis Co. Philippi; nam in ſummitatibus ſin Fol. 504
gulorum arcuum, Coniugis ſtemma affigi voluit, à latere autem Maternum; nempè *Aquilam albam* Fagnanorum. & conſimiliter alij iuxta opportunitatem. aliàs nullatenus ad eos pertinet Coluber, quem nuſquam legerim Borromæis attributum. Porrò Magnus haud decorũ aſtruit, alieno ornatu redimiri, quẽ S. Baſil.
genuina

genuina veuuſtas reddit gratioſum. hæc ille. Tametſi nec inſolens viris Principibus, neque infrequens, ſibi ſubiectos nobiles proprijs inſignibus donare; quippè obuiam habemus non rarò *Aquilam*, atque *Lilia*, à Cæſaribus ac Francorum Regibus præclara nobilitatis teſtificatione, ſtudioſis partium ſuarũ & clientibus elargita. Quin & ſupramemoratis Cauacijs Comitibus à Somalia, præter reliquas imagines, *Tres viperas cæruleas*, Inſubrum Ducis indulto compertũ eſt fuiſſe adiectas: innumeraque recenſentur eiuſcemodi communicationum exempla:

Tres inſuper Adamantini Lapilli, annullaribus loculis inſerti, intrà vel iuxta veterum Borromæorum Scuta conſpiciuntur, vel potius *Tres aurei circuli* ſingulis Adamantibus coruſcantes: ijque ſic inuicem implexi, vt nullatenus diuelli aut explicari queant, dixi *intrà vel iuxtà*; ſiquidem ipſi Annuli in plerisque eorundem Scutis deſiderantur, eatenus à quibuſdam prætermiſſi, quia eos non Borromæis ſingulariter, ſed & alijs (illuſtribus tamen) impertiſſet magnanimus ac munificentiſſimus Sfortia, inter quos numerantur Biraghi, Sanſeuerini ac prædicti de Somalia, quibus aſſociari nequaquam inglorium. Eſt porrò Adamas ignis atque ferri contemptor, qui vel inter Gemmas adeò imperium exercet, vt vnamquamque affrictu ſcindat ac diſrumpat, priſcis extitit Emblema Belli ac vigoris hieroglyphicum inſuperabilis. Et Annulus Manus ornamentum, honoris indicium, arrha fidei,



liber-

libertatis inſigne, nuptiarum pignus, ſignaculum ſecretorum: nunquam non typum gerens eius Nobilitatis quæ infinitæ virtutis eſt, perindè atque orbicularis figuræ nullum eſt dare terminum. *Tres* autem potiſſimum iuncti; nimirum is numerus maſculus perhibetur: & primus impar: & omnipotentiſſimus ſacratiſſimuſque: & quo nullus vberior ad myſticas ſignificationes, aut ad arcana recondita: quod ex Philoſophis totum continet: ac in omnem partem ſe fundit. Didici Florentiæ id ſtemmatis olim geri ſolitum à nobilibus de Caroccijs, eius Reipublicæ Patritijs. Verum beneuolentiſſimus Princeps Sfortia, eius etiam ſigni collatione, inclytæ gentis dignitati adſtipulari viſus eſt, quod prudentes viri Co. Philippus Secundus & Ioannes Quintus tanti fecerunt, vt parietes vndequaque Annulis oppleuerint: nullatenus ergo omittendi.



Fo. 520.

Vltimo loco Fræni ſe nobis offert imago, quæ non tam ſubitò voranda, quam diutiuſculè rodenda, ſenſimque ruminãda videtur. In primis namque, quia de Comite Ioanne Quinto verba faciens, affirmaui quod illud inſigne ipſemet reuexit è memorãdo Domuſulano, vel potius Toſano conflictu; nimirum illi attributum conſtat Serti triumphalis vice, ob debellatos, ac velut infrenatos Valeſianos Heluetioſque, nonnulli perſpicaciam oſtentare, ſolertiam venditare, & famam ſibijpſis captare vel conciliare cupientes, aduerſantur mihi, obijciuntque Picturam (ea quippè

eodem fungitur munere penès ignaros, quo inter eruditos Scriptura) porrò arguunt taliter fermè. Qui fieri poteſt vt Ioanni primitus traditum credatur, cũ idipſum procliue ſit ad hanc diem expreſſum cernere in porticibus quos per Co. Philippum eius genitorem tu ipſe fateris pingi iuſſos? imò in ſtructuris Co. Vitaliani Octaui eius Aui, nempè circà eius Sarcophagum marmoreum, in Templo Minoritano, nec Mediolani ſolum, ſed & Mantuę in proſpectu domus quã idem coemit hęc iſti. Qui ſi detерſa oculorũ mentiſque acie Co. Philippi Imagines in veteri Palatio contuerentur, agnoſcerent proculdubiò, Fręnum ipſum poſterioris artificis induſtria additum, vel ſuperinductum Scuto; abraſa videlicet imagine præexiſtente; id enim tam euidens, vt vel Lippi animaduertant. Idem eſto iudicium de Sepulchro, ad Diui Franciſci; quis enim aſſerat picturam illam ipſi ſculpturæ coæuam? quin potius eam fulgor dudum recensque innouatam prodit. Quod & factitatum recolimus in Regijs inſignibus, cum immortalis memoriæ Philippus ſecundus ter Maximus, de anno ſalutari 1580. poſſeſſionem iniјt Regni Luſitaniæ, legitimè ad ſe diuino nutu deuoluti; tunc nimirum per ſingulas eius Monarchiæ Prouincias, vbicumque ipſius aut Caroli genitoris extarent Arma, Portugalliæ *Scutula quinque* appingi iuſſa ſunt, marmoreiſque inſeri opere teſſellato. Mantuanæ autem domui, palam eſt eiuſmodi characterem adiectum in ſolennibus Nuptijs Magdalenæ Brandeburgenſis, quam illic cum patre degentẽ ſibi deſponſauit Co. Gibertus Secundus (quem alij

Se-

Seniorem dicunt) Co. Ioannis Quinti primogenitus, Fo 548
de quo lib. 7. Magnifecerunt ſiquidem poſteri omnes Fo. 550
glorioſum inſigne virtutis bellicæ monumentum:
adeòque pretioſum illis extitit, vt non tam reliquis ip-
ſum coagmentarint, quam prioribus antetulerint: ac
in totius parmæ centro meditullioque collocarint, cę-
teris circumcircà diſpoſitis, ac velut aſſiſtentibus in
coronæ ſimilitudinem; imò & idem addi voluerint at-
que inſeri prioribus ac vetuſtis inſignibus Octaui Vi-
taliani, qui primus extitit *Cameli*, & eorum ſtirpis au-
ctor. Quinetiam ipſum Frenum plerunque videas
inſtar omnium ſingulariter efferri, aliarum imaginum
turba adempta vel prætemiſſa (quale notanter adhi-
bent D. Borromæi Vicecomites) quaſi virtute ac pote-
ſtate in eo cætera comprehendantur. Nec iccircò
quia nuper addita magis iucundent, (licet nil inficior,
quod oblectatur animus recens inuentis, & omnia
noua placent; nempè Nouitatem comitatur gratia pe
rindè atque auctoritas Vetuſtatem) ſed quia virtute
quæſitum & meritis partum, non fortuitò indeptum:
aut ſpontè excogitatum: gratiſuè appoſitum; quem-
admodum de Camelo, Monocerote, atque Annulis;
imò & de Repagulis, quæ mox retuli inter Vitalianas
Vndas à Co. Philippo ità cõſerta; [nempè ab antiquis Fo. 600
Patauinis exemplaribus decerpta] vt hęc illarum fœtũ
prorſus indicent. Non dico Vitalianum ipſum Iaco-
bo genitum quē refert Camelus, aut Monoceros, ſed
Bonromanos in vniuerſũ; Sueuos ſcilicet omnes. Mo-
dò Frænũ ſeiunctũ cernitur, cæteris velut obſequioſè
aſtantibus; illud quippè honorificè mercedem nempè

belli-potens promeruit Borromæorum Familia; quaſi cohibendæ ferociſſimæ gentis violentiæ, infrænandæque licentiæ, ipſa vnicè apta ac idonea haberetur. Verum quiddam adhuc ſublimius atque præſtantius portendebat Fræni illius nota; inſtemus igitur pulſando, ſi fortè ſecretius ſacratiuſque detur excutere ſenſum.

Origen. Eucher. Sacrarum litterarum interpretes Origenes, atque Eucherius, verba illa Prophetæ Abachuntis 3. *Qui aſcendis ſuper Equos tuos*. Perbellè ad Allegoriam trahunt, innuentes nimirum, per domini *Equos*, animas fideles, faciles ac obſequentes ſubaudiri; quæ Frenum diſciplinæ arctioris minimè reſpuunt: ſuaue domini iugum portant eiuſque ſe ſiſtunt ſpiritu regi, dorſum incuruant, & verbum Dei ſeſſorem accipiunt, cuius lora patiuntur, & quaquauerſum ille impulerit iter arripiunt: illius denique habenis moderatę, omninò ad eius nutum, proque ipſius arbitrio flectuntur: curſum ineunt & conſiſtunt, Huiuſmodi expoſitionis gratia (maximè cum & Eſaias 48. in verbo Dei ſcribat, *Infrænabo os tuum laude mea.* Dauidque precetur Pſ. 31. *In Camo & Fræno maxillas eorum conſtringe.*) eo adducor, vt exiſtimem Frænum iſtud non tam ad inclytam Co: Ioannis gloriam exprimendam, aut Borromeæ proſapiæ in vniuerſum collatum fuiſſe, quam diuino nutu inuentum, ad incomparabilem almi Cardinalis CAROLI præſignandam virtutem. Illudque magis ac magis perſuadet, quod cum omnia propter ſemetipſum operatus ſit dominus, quęcumque bona: quæcumque laudabilia, atque perfecta prædicantur,

ea conſtat analogia diſpoſita eſſe, vt prius ac verius referantur ad electos & ad populum appropinquantem Deo, quam ad profanos, & ad eos qui longè ſunt ab eo in regione diſſimilitudinis; nempè electi & ſancti membra ſunt: & cooperatores: & comparticipes illius, quem Deus conſtituit hæredem vniuerſorum; ijs enim apertè conteſtatus eſt Paulus 1. Cor. 3. omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei. Præter id etiam quod finis nobilior ac pręſtantior eſt: & concipitur prius: & expetitur vehementius, quam ea quæ in eum ordinantur ac tendunt. Pronum inſuper vnicuique intueri, bellicam Ioannis Quinti virtutem ac laudem, eximijs CAROLI præconijs minimè conferendam; potiſſimumque Fræni ſignum, ad magnalia iſtius geſta referri.

Quin & illud addere lubet, ad eiuſmodi conuenientiam latius adhuc & fuſius explicādam euincendamque. Inter Auctores ac Doctores qui in exaggerandis Sancti Cardinalis laudibus ingenij vires exerunt: colores ac ſimilitudines ſcrutantur: calamosque exacuunt, non pauci eum Apoſtolicæ memoriæ Ambroſio comparant, ſeu magis alterum prædicāt Ambroſium; nempè quia paribus ſtudijs in præſtantiſſimo quolibet virtutum genere ambo certare videntur. In his multus eſt Auguſtinus Valerius, necnon Cæſar Baronius, & Siluius Antonianus Cardinales ſcriptis, Pōtifex verò Gregorius XIV. idem confirmauit verbo ſæpius iterato, & alij. Sed eam collationem, duorum ſcilicet diuorum, ſtylo cothurnato & charactere grandiloquo, Bonifacius Fauſtus Franciſcanus, Orator, magni-

gni-

gnificè admodum de ſuggeſtu ſummi Templi proſecutus eſt, ampliauitque, ramis in multiplicem congruentiam, parilitatem atque conſonantiam elegantiſſimè ſicut eloquentiſſimè diductis; quemadmodum ex eius diſcurſu liquet inter Orationes annuas eius celebritatis. Horum autem teſtimonijs ipſo meridiano iubare clarioribus, vnum ipſe addere cupio, quod dudum ex veterum recentumque ſententijs ſimul collatis obſeruaui, idque ſtet vice Coronidis, Quia cum de ſacro Ambroſio penes Sozomenum, Theodoſius faſſus fuiſſe legatur Romanus Imperator, *Neſſe ſe ſolum Ambroſium dignum Epiſcopi nomine.* de CAROLO ne quid minus eſſet, conteſtatus eſt Pius Quintus Romanus Pontifex, *Antiſtitem diuini cultus & honoris ſtudioſiorem, aut in Eccleſiaſtico iure tuendo, ſanctæque Sedis auctoritate conſeruanda fortiorem noſſe ſe neminem.* Ex quo igitur CAROLVS non tam Sedis quam zeli ac ſpiritus Ambroſij ſucceſſor habetur & hæres, quemadmodum docti indoctique paſſim; imò & parietes noſtri propalam inclamant, Angelico præconio in Diſtichon ex arcubus erumpente.

Sozom.

Ambroſius renouat, renouat quoq; Carolus vrbẽ.
Vrbis vterque parens, Orbis vterque decus.

Ipſeque CAROLVS, pro inſignibus, ac vice Clariſſimorum Borromææ gentis ſtemmatum (de quibus nunc dicere inſtituimus) Ambroſij figuram litteris obfirmandis deputauit, quaſi Ambroſium ſibi pro ſigno propoſuiſſet præfixiſſetque, ad cuius metrum ſeu metam actuum vitæque ſuę lineam collimãdo dirigeret, quod Dei aſpirante gratia adeo pleniè

adeò exactè conſecutus eſt, vt inſtitutorum almi Ambroſij, ipſe ſignaculum & perfectio acclametur; in tantum (inquam) vt animam Ambroſij migraſſe in CAROLVM haud difficulter commiſcerentur Pythagorici; Et quod grandius adhuc exiſtimetur, cum eundem fermè ſpiritum Federico ſuo impetrarit. (non hic huius ſuauiloquentiam expendo, quæ Ambroſianam miro quodam modo dulcedinem refert, multiuaria eruditione reſperſam, ſenſiſque prægnantem præſertim Anagogicis; vterque enim in his multus eſt, nè dixerim totus; verum) de propenſione loquor, ac de flagranti in Sanctum Patronum affectu; Ecce enim hic quoque, ſimul ac Bibliothecam toto Chriſtiano orbe celeberrimam, publicæ commoditati expoſuit, *Ambroſianam* voluit nuncupari, titulo præ foribus conſpicuè marmori inſculpto, non ſecus atque CAROLVS, Collegio à ſe conſtituto, *Oblatorum Sancti Ambroſij* vocabulum indiderat. Nam ex ore veritatis habetur. Io. 8. Filius non poteſt facere niſi quod videt Patrem facientem. Itaque cum Ambroſio vbique *Flagellum* appingatur, quaſi ipſius nota, teſſera, ſiuè notionale ſignum. Idque vel ob reprehendendi libertatem, qua Maximum Gratiani interfectorem coercuit caſtigauitque: nec ipſi pepercit Theodoſio: vel quia perpetuus extiterit Arrianorum profligator & maſtyx: vel denique quia *Flagella* inſtructus miraculosè apparuerit in conflictu ad Parabiagum, mirum quam concinnè *Frænum* CAROLO apponatur pro ſtigmate diſtinctiuo, eiuſque conſtituatur ſymbolum; qui in ſubmouenda abuſuum cor-

ruptela: in ſacra œconomia reparanda; in ferenda tuendaque pietate: in cuſtodiendo, dirigendo, paſcendo dominico grege; tantum excelluit, vt Norma Præſulum; ſtimulus Paſtorum; vera dignitatis Epiſcopalis forma, innocentiæ ſimulacrum, reparator diuini cultus, promotor ſacri inſtituti, pię religionis propagator, reformator Cleri, pręſidium Eccleſię, reſtitutor antiquę puritatis, exemplar veteris diſciplinę obtorpeſcentium excitator, iuuenum inſtructor atque exhortator, afflictorum conſolator, Dux pœnitentium, Monachorum & Clericorum Speculum, ſpiculumque & framea aduerſus Hęreticos, Doctor Eccleſiaſticę reformationis, Spiritus ſancti receptaculū, habitaculum, domicilium ac diuerſorium, Patrator magnalium, excellentiſſimarum virtutum theatrum, & quemadmodum Ambroſius Catholicę Eccleſię Fulcrum, ſic CAROLVS Romanę Eccleſię Cardo. (hos quippè titulos à varijs Scriptoribus CAROLO attributos ſtudioſè collegi) Qua in re illud grata recordatione ſuſpiciendum, quantoperè dilexerit dominus plebem ſuam Mediolanenſem, quam per Apoſtolum ſuum Barnabam fidei Sacramento primitus ſubarrhatam, Ambroſij Flagello CAROLIque Fręno potiſſimum direxit in ſalutis iter, hoc tenens, illo terrens; quatenus declinaret à malo & faceret bonū, Fręno inquam cohibens, compeſcens, coherćens, vt quieſceret agere peruersè: excitans Flagello; extimulans vrgensque, vt diſceret benefacere. Sed fortaſſe Flagellum minus vſui eſt impręſentiarum; namque Deo benè volente ad tantum religionis, obſeruantię

atque adeò ſanctitatis prouecta noſcitur Regia hæc Vrbs ac ditio, vt pietatis acceſſione in templum quoddam ingens euaſiſſe prædicetur, terraque effecta viuentium; nimirum imbre diuinæ gratiæ madida, & fœcunda cæleſtibus influentijs; imò in illa impletum quod de æterna Ciuitate illuminatus vaticinatus eſt maior Tobias 13. *Per omnes vias eius cantabitur Alleluia.* Id quippè de ſcientiæ plenitudine Sanctiſſimus Pontifex Paulus Quintus Apoſtolico ore conteſtatus eſt (vt eſt in Decretali Canonizationis ipſius Sancti Cardinalis) ſcilicet, Eccleſiam Mediolanenſem alias velut agrum vepribus turpiter deformem ac ſilueſcentem, nunc *præclarum exemplar Eccleſiaſticæ diſciplinæ*: ea planè vis ſacroſancti vnguenti, vt Sacerdotis vertici diuinitus infuſum, in myſtica illius membra ſenſim fluat, & ad oram vſque veſtimenti. Ergo Flagellum miſſum faciamus, vix enim iam impellente opus eſſe exiſtimatur, Fræno autem maximè, cum magiſtram hanc Reginamque Ciuitatum, Italiæ Emporium latè patens, Pagis hæreſi infectis finitimam animaduertamus; impura autem hæreſeon radix flore toxico pullulans, celeberrimas Europæ Prouincias peruaſerit contaminaritque, improbam viuendi licentiam in calice velut Babylonico circumferens ac propinans: magis verò quia Ciuitas ipſa in vberrimo ſolo plantata, rebus omnibus ad vſum & ad voluptatem circumfluit; nihil autem moderatu difficilius, eo populo quem proſpera pluſculum extulerint, comprobante experientia. Memini me aliquandò legiſſe penes Plutarchũ, quod Cyrenæis (cum omni diuitiarum genere & lautitia *Plut. in Lucull.*

abũdarent) Platonem accerſentibus, vt leges ſibi conſcriberet: eorumque Vrbem in optimæ cuiuſpiã Reipublicæ formam inſtitueret, reſpondit ille, difficillimũ eſſe Cyrenæos, ampliſſima fortuna diſſolutos, legibus continere. De Fræno autem verba faciens, non quidẽ fabulam mihi aſſumendam exiſtimo, ad inſinuandum quod *Sapientiæ* monimentum ſit, ex eo quod cum Neptunus Equum ad rei militaris vſum è terræ faucibus euocaſſet, Minerua Corinthi exiſtens Frænum excogitauit illi compeſcendo, quod Pelopi largita eſt & ab Equo domito eidem *Palladis* nomen inditum, quæ Græci olim commenti ſunt, vt ex Pindaro liquet. *Pindar.* Talia inquam omninò mihi prætereunda; qui probè nouerim cordatos viros nauſeare ad eiuſmodi neptias; quamuis ſalibus ſuis minimè deſtituantur. ad grauiora igitur ac veriora & quæ magis in re noſtra ſint me conuertens, illud præmitto, quod Deus qui prædifinitionem ſuam circa electos, nedum tantæ firmitudinis eſſe voluit vt irritari non poſſet, ſed & eius pariter efficaciæ atque ſolicitudinis, vt ei quod ab æterno ſtatuit nunquam non proſpiceret, excitaret, dirigeret, impelleret; & ad munus vſque ſupremum deduceret, quemadmodum tempore ſibi placito, Temporalis (quod aiunt) ſeu ſecularis Inſubrum Principatus, dedit pro inſigni *Serpentem*, (fortè quia nemo ritè valeat imperare, niſi imperitiori vel imperfectiori; Serpẽtem autem Sapientes eſſe voluerunt perſpicacitatis ſymbolum, prudentiæ hieroglyphicum) Ita ſpiritali ſacroque Eccleſiæ huius principatui Frenum parauit; nimirum populo inſtar acris ſiuè indomiti Equi mo-

clarando ac deducendo. Vtrumque porrò (vt mea conſequitur imbecillitas) multò ante preſignarat; alterum videlicet mittendo ad nos Æneum Serpentem illum quem Dux populi Iſraelitici Moyſes quondam exaltarat in deſerto. Num. 21 à Nicephoro Grecorũ Imperatore, Antiſtiti noſtro Arnulpho dono datum, alterum verò cum ſacroſanctum Dominicum Clauũ aliquandò humanæ redemptionis miniſtrum, ſed procedente tempore in Fræni ſimilitudinem & vſum à magno Conſtantino efformatum; opera Sancti Patroni Ambroſij recepimus, hęc quippè non caſu aut fortuitò eueniſſe putanda ſunt, ſed ordinata ac diſpoſita ex omni æternitate, quæ ſanè ambit omnia tempora, & quæcumque in eis continentur, cum ſuis differẽtijs nedum ſpecificis, ſed ſingularibus & indiuidualibus, & de ijs profectó neminem tenebit ſcrupulus, qui modo cogitet quod tantum ſe extendit diuina prouidentia quantum eius cauſalitas, cuius ſimplicitati videre, ordinare, & eſſe, ſimul & idem ſunt: quodque Deus omnium rerum rationes ac ideas in ſe cõtinet, vſqueadeò capillos & athomos dinumerans, quanto magis ea quæ ſtatum reſpiciunt ac ſalutem electę gentis, & populi de quo tam multos aſſumpſit in Ciues ſanctorũ, & domeſticos ſuos? Serpentis vexillum qualiter è bello Aſiatico Otho armipotens aduexerit, iam oſtendimus libro poſtremo, *Fo. 459* Frenum autem inter Borromæorum inſignia (quæ ad magnum Sacerdotem referri luculenter diſſerit Farneſius in de Republica) nõ *Henric. Ebur.* alia, ritè de cauſa præcipuum, quin & ſingulare interdum haberi opinati ſumus; niſi quia virtutem & acta

potiſſimum denotaret almi CAROLI, quem grauiſſimi quique Scriptores coruſco aſſimilant Solis fulgori, cęteros veró Præſules ſyderum nitori, aut ſi Solis titulum vnicè ſibi vendicet ipſe fons luminis Dominus Ieſus, ſtellam extitiſſe prędicant veré cęleſti lumine rutilantem, à multis quę pariter emicuerunt differentem in claritate, oleoque Spiritus ſancti delibutum prę participibus. Tametſi ergo apud eum omnia vincebat HVMILITAS, quam coluit impensé, in qua & triumphauit mirificè; nihil tamen æquè ac Frænum magnalia ipſius connotat geſta, cui iuremeritò competat illud Encomij, *Currus Iſrael, & Auriga eius*: Qui vtinam manus, linguæ, ac mentis meę habenas amodò moderetur, quatenus ipſo Ductore per rectas domini ſemitas incedam.

Eia ergo pater mi, pater mi, ex quo te vidi cum à
nobis ſublatus es, obſecro vt fiat in me ſpiritus
tuus duplex, ſpiritus inquam ſciētię & pie-
tatis, neque enim quid amplius pe-
tere audeo, etsi aueo, & donec
ſtatuam ſuper hanc pe-
tram pedes tuos,
tu dirige
greſſus meos.

✠

FINIS.

A

AAron in Rationali nomina geſtabat Patriarcharum quare. pag. 119
Abdalam Saracenus de Homine. 236
Abdua Mediolani flumen. 296
Abduarum familia. 558
Aborigines quinam. 260
Abrā auctus nomine in circuncisione. 40
Abrenunciatio vera quid. 132
Abſalonis Cæſaries. 113
Abundantia noxia. 617
Abyſſini Reges Dauides. 46
Acatius quid de cælo. 52
Achilles & Franciſcus Borr. Maximiliani Auſtriaci fautores. 424. 25
Achillis arma rixas excitant. 186
Actionum humanarum diuerſitas. 433
Actus virtutum ex fide. 37
Adamantis vis. 608
Adamus Sapientiſſimus. 38
Adoleſcentiæ pericula. 254
Adoptatus à Ioanne Vitalianus. 442
Adriana Gradenica. 214
Adriana Ioannis Regis coniux. 138
Adriatici Venetis infenſi. 224
Adriaticum Mare. 252
Aduenæ Nobiles. 443
Aduentus Maximi Patauium. 64
Adulas vndè Ticinus. 103
Adulatio quid. 159
Adulas Mons inter Alpes. 297
Aedificia Magnanimitatis inditia. 535. 539. 542.
Ænobarbus eruditus. 324. Imperator. 325. eius pietas 326. Geſta 327. collatus Carolo Magno 327. doctrina eius. 328. Afflictis ſuccurrit. 332. Mediolano ritè dignatus. 332. Ignorans peccauit. 338
Ænobarbi ſignum vt Mediolani eleuatum. 602
Æneus Moyſi Serpens. 619
Ænigmata Philoſophorum. 30
Ægritudo Vitaliani Vtilic. 36
Affectionum expers cogum. 57
Affinitates Borromæorum. 566
Ægritudo Vitaliani. 36
Ægyptij Paſtores deteſtantur. 514
Æqualit. Iuſtitia quid. 48
Aetatibus 3. Nobilitas præſcribitur. 20
Æternitas incommunicabilis. 41
Affectibus ſeruiuit Gentilitas. 32
Ageſilai forte dictum. 167
Agnes Henrici Imp. filia. 312
Aggreditur pericuſoſa Fortitudo. 195
Agricola Aenobarbus. 335
Agricolarum ſcientia. 201
Aiax Telamonius. 22. 175
Albertus Magn. de colore. 51
Alboinus Gothorum Rex. 188
Alcimus de origine Mundi. 100
Aer inſalubris ex lacuna. 213
Aioth Saluator dictus. 305
Alexander Matthæi ſolers. 223
Alcinoi Pometum. 44
Alemani vndè dicti. 308
Alexander Achilli inuidit. 87
Alexander Borrom. Piſis. 376
Alexander III. Pontif. profugus. 352
Alexan. Seuerus Chriſtianis fauit. 125
Alexander Venetijs moratus. 478
Alexandri Telonium. 313. 515
Alexandria Ciuitas. 337
Alexius Serenius Epiſcopus Placent. pag. 452
Alia vita quid. 43
Alienigenæ Italiam ingreſſi. 315
Alieno periculo doceri. 211
Alimenta aquæ mixta. 59
Aloyſius Arconatus Co. 513

Alphonſus

Alphonſus Serenius. 191
Altè ſapiunt in alto poſiti. 344
Altinum à quo conſtruct m. 117
Amantes norunt de re amata. Ad lect. pag. 1.
Ambitio Ludouici Sfortiæ. 521
Ambroſius de Abdua Marchio. 295. 315
S. Ambroſius quid de cælo. 53
S. Ambr. Patronus Mediolani. 403
Ambroſius vndè dicitur. 298
Ambroſio Carolus comparatus. 613. 615
Ambroſina Borr. Rubea. 226
Ambrus agri Mediolani Torrens. 296
Amici veri ex Phalereo. 268
Amicus vſque ad Aras. 288
Aminadab Mare ingreſſus. 429
Amittendo lucrari. 389
Amnes vndè dicti. 290
Amnis curſum retinere. 291
Amnis retrorſum fluens. 570
Amor ſcientiam perficit. Ad lect. p. 1.
Analogia Mundi maioris ad minorem. 245.
Anaſtaſio Imp. carus Vitalianus Tertius. 151.
Anaſtaſius & Gaſpar Germanus gratioſi. 191
Anaſtaſius Pauli ſigniam profectus. 195
Anaſtaſius PP. Patau. 325
Ancona direpta à Saracenis. 218
Anglus Angleriæ Auctor. 523
Angeli perduelles. 511
Angelus pacis Federicus. 320
Animam mori quomodo. 45
Anima Entelechia. 227
Anima immortalis. 42
Animalia Ezechielis. 240
Anima Pythagoricis. 243
Anima rationalis quid. 386
Animas Deo lucrari. 74
Anna Arconata Co. 533
Anna Columnenſis. 564
Animi vires validiores quam corporis. 202.
Annuli tres quid. 608
Anſeribus honos Romæ. 49
Antenor, an à Dardano. 27
Antinoridæ Romani. 62
Antenor Patauij fundator, idemque Vitalianorum Sator. 26
Anterius aut poſterius in Orbe quid. 246
Anterius Candidi pugnaciſſimus. 126
Antigonus de Principe. 72
Antiochus Soter. 242
Antiochus Achios *ibidem.*
Antiqua Nobilitas. 20
Antiquitas impura reijcitur. 33
Antiquitas Borromæorum. 23
Antiquitatum notitia. 89
Antiquius, pro digniori. 20
Antonius Borromæi propagator. 422
Antonius Sigifredi. 258
Antiſtenis ſententia. 27
Appellationes quædam frequentes in hac familia. 118
Apes è floſculis mella colligunt. 27
Apologia Caſteluetrij. Ad lect. pag. 3
Apologus Ioathanis de vite. 46
Applicatio Nili ad Bonromanos. 317
Aqua cælorum materia. 51
Aqua ſpiſſata Dei iuſſu. 100
Apulei ſententia de antiquis Scriptoribus. 466
Aqua, Vitalianorum inſigne. 57
Aqua ſupernatans Terræ. 58
Aquæ concretæ deſuper. 56
Aquea omnia liquefactibilia. 54
Aquæ in locum v um quomodo. 106
Aquæ Niloticæ fecundant. 315
Aquæ, typo multa continent. 296
Aquilam Romani Mediolanenſibus tradiderunt. 395. 397

Aquila

Aquila prudentiæ ſymbolum. 380
Aquilo à ſiniſtris. 248
Aquilo nequaquam malus. 301
Arbiæ conflictus. 371
Arbor familiæ. 571
Arbores Vital. & Bor. famil. 87. 672
Arbores translatæ. 389
Arcadum inſania de antiquitate. 444
Arce rationis deijcit Deus impios. 276
Archit. Columba Ep. dic. 2
Archiflamen Mediolani. 401
Archimedes Ep. dic. 2
Arcimboldia familia. 509
Arconatorum familia. 533
Arcticus polus Europæ imminet. 304
Argumentum Brunſuicenſis. 561
Ariſtocratia in Democratiam. 497
Ariſtonis Chij ſententia. 91
Ariſtot. errauit de Galaxi Ad. lect. 5.
Armæ familiarum. 593. eorum ſcopus ibid. vſus antiquis ibid. totam familiam connotant. 594
Ars naturam imitatur. Ep. dic. 1
Arx Iouis omnium præcipua Mediolani 297. 543.
Arx pranduina. 130
Arx Vitaliana ad verbanum. 24
Aſcanius Caroli Don Carolus. C. R. 426
Aſcendentes omnes patres dicti. 155
Aſſur virga furoris domini. 219
Attalus Rex gratus. 49
Atteſtatio ex Principũ litteris. 491. 503 529. 530 144. 544. 549. 550. 551. 555. 562.
Atteſtatur Paulus P. P. V. Mediolani pietati. 517
Athenæ Patauium immigrarunt. 413
Athila Italiam attriuit. 133. 147
Attractio corrupti aeris noxia. 214
Athlas Aſtrologiæ inuentor. 30
Auaritia deteſtanda. 439
Auaritia mercatusæ admixta. 512
Auis in ouo inſenſatus. 42
Auctoribus plurimum debemus. 87
Auctor familiæ Vitalianus. 69
Auctoris labor in conquirendo. 89
Auctor vtitur ſententijs, tamquam lapidibus viuis in hac fabrica. 25
Auctoritati aliorum addici miſerrimũ. Ad lect. 3
Auguria Aruſpices. 66
Auguſtinus de Homero. 29
S. Auguſtinus quid de cælo. 53
Auguſtinus Steuchus. 105
Aulus Vitellius Cæſar. 59
eius prodigalitas. 435
Aurum terra eruere. 31
Aurum vnde dictum. 109
Auſonius de Mediolano. 21
Auſtralis proſpectus. 162
Auſtriacæ familiæ origo. 310. 318
Auſtriacis Borromæi impenſè addicti 424. 25. 544. 45. 49. 51. 55. 263.

B

BAlbus Ezelinus. 263
Bachilio Timauus Brenta. 258
Bachilionis diuerſio. 270
Baptizatis nomen aſsignatur. 39
Baronis titulus quid. 311
Baruabas Apoſt. Inſubrum Patriarcha 54. Eius Epiſtola de Mediol. 401.
Barnabos Vic. Imper. 376
Bartholamæus Vitaliani, Neapolim pergit. 282
B. Baſilius Borrom. 448
Baſtardi etiam honorandi. 142
Baſſanum oppidum à Laudēſibus extructum. 277
Baſſianus Epiſcopus, Laudæ Patronus. 299.
Basylian, vnius principatum. 405
Beatitudo immortalitas. 42. 44
Beatitudo in patria ſolum. 45

Beatrix Burgunda vxor Feder. 326
Beatrix venda Ducissa. 434
Beliſarius eximius. 185
inique exceptus. ibidem.
Bellicoſi Hiſpani. 176
Benedictio multiplicat. 483
Beniamin Benoni. 443
Berengarius Hunnos Italia amandauit. pag. 221
Bernardinus Baldinus. 441
Bernardinus Scardeonius Chroniſta. 25
Bertoldus Patriarcha. 263
Biantis ſententia. 15
Bibliotheca Ambroſiana. 615
Biragorum familia. 509
Binium adoleſcentiæ. 253
Blondus, de Mediolano. 402
Bona ſunt quæ pulchra. 12
Bona, virtutes ſolæ. 379
Boninus Mombritius. 75
Bonitas e nobis non à natura. 15
Bononienſes Borromæi. 407
Bononiæ Gubernator Borromæus. 416
Bonromani Gaſpar & Anaſtaſius Patanio diſcedunt 308 eorum proles. 308
Vitalianorum filij. 610. 611.
Nilo comparati 317. Quidam eos non recolunt & cur. 192
Bonromanus Ioannes. 300. 183
Borromęi vocabulum quid. 24
Borromæus Lazari. 374
Bonum etiam à malis. 290
Bonum fundatur in rebus. Ad lect. 1
Voluntatis obiectum ibid.
Bonum quid. 13.
Boreales homines faciles. 304
Borealis Regio vberrima. 298
Borromea gens fęcunda Illuſtribus. 3
Olim Vitaliana. 24
Antiquitus celebris. 89
Inſubrici paterna origine Vital. 465
Omninò Patauio oriundi. 63
Vocabulum quid. 24
Opes vndè. 517
Ciuitate Mediolani donati. 415
Vt Senatores. 546
Borromæi fratres Ciues Mediol. 415
Borromæus Philippi Comes. 405. 417
Bruta Humanitas. 68
Buccinę varij effectus. 218
Buzzij olim Albutij. 445
Bynomius Vitalianus. 69
Byreum clericale quid. 306

C

Cabaliſtę Deum vocant Elaii. 41
Cæcilia Baonia. 203
Cæruleum Mare. 50
Cæſaris fortuna. 216
Cæſar Reggi s titulus. 159
Calphurnij nunc Gafurij. 445
Campoſanpetria familia. 265
Campus Martius. 76
Candianis ac Vitalianis vna origo. 222
Candidus Prandi magnanimus. 124
Cantonij vndè dicti. 400
Carinus id quod Ioannes. 159
Cardinales virtutes. 379
S. Carolus Borromæorum cognomento abdicat. 4. eius tituli, 620. Aedificator. 542.
Carolus Bor. C. R. egregiè doctus. 426
Auctorem padana vnda eripit. 432
Carolus Mag. Longobardos fudit. 206. 213.
Carolus Renati Bor. 79
Carolus Vicecomes Aedificator. 540
Caſatorum familia. 496
Caſtrum Arquati Borromæi. 416
Caſus Vitalianorum. 137
Cato ſe interfecit. 41
Cauſæ Belli quatuor. 167
Ceretum Guidi Borr. 369
Celſus Cittadinus. 407
Ciaconis error de Vitaliano PP. 197

Chri-

Chriſtus vita & vitis. 47
Chriſtiani, ipſi Ieſu ſuperadificati. 34
Chriſtianis ſcripturæ Medullæ. 141
Cibos Aqua ſubigit. 59
Cicero mirandus. Ad lect. 3
Sed non ſolus. ibid.
Quidam eum reprehendunt. 4
Circulus Aquarum. 105.106
Circulus humidus. 99
Ciuilis poteſtas a Deo. 329
Claudius Victor quid de cælo. 52
Claritas ex factis, non ex genere. 5
Claſsis chriſtianorum clades. 218
Clauus domini Saluatoris Frænum. 619
Clem. Alex. quid de cælo. 52
Clerici Canonici S. Iuſtinæ. 76
Clericorum filij inhabiles cur. 143
Cælum ex Aqua. 240
Cælum cæruleum. 50
Cęlum nobis patria. 386
Cæleſtis origo hominibus. 42. 571
Cęlo ſimilis Anima. 238
Cęlum quieſcit. 54
Cęlum viciſſitudinibus minimè obnoxium. 57
Cognitio Animæ ex functionibus. 244
Color quid. 50
Colore an præditum Cęlum. 50
Coluber nuſquam Bor. attributus. 607
Comprehenditur Iuſtina. 75
Concordiæ bonum. 123
Concretus humor cælum. 52
Coni Impreſe 594 antiquitus inuentæ 595.
Coniugium Baronis Federici. 318
Conus, & ſtemma Federici. 345
Conus S. Cardinalis Galaxis. 598
Conradus totius Imperator. 321
Conſcripti Romanis R. ecur. 166
Conſilia Dei non inquirenda. 281
Conſpiſſatio Aeris in aquam. 103
Contemptus diuitiarum. 4
Copulantur denuò Vitalianis Bor. 411
Cornelius Muſſus Ep. 373
Coronari vitę. 46
Corripere caueas, quod corrigere neſcis Ad lect. 3
Corteſius de Corteſijs Poeta. 35
Creator tetragrammaton. 234
Cubus vndique ſtabilis. 232
Cultus diuini ſatagens Vitalianus. PP. 199.
Curſus Maris. 55
Equilius quid de cælo. 52
Cyrus in exemplar. 2

D

Dare nomen, quid. 40
Dato vno inconuenienti multa ſequuntur. 198
Deceptus Rubrobarbus aliorum fraude. 339.
Decurſus rerum ad finem & recurſus ad initia. 592
Deffinitio ex dictionibus. 158
Demetrius Phaler. de amicis. 268
Dentes per Cadmum ſeminati. 335
Deprecatio Auctoris. 620
Deorum receptio Senatui populoque reſeruata. 125
Deus viuus. 41. fons à quo omnia & finis ad quem omnia. 552. Eius imitationi Natura inſufficiens. 592
Dextræ bonum omen. 248
Dextrum ac ſiniſtrũ in Orbe. 246
Diadema quid. 607
Diagoras Atheus cur. 219
Diametri ad circulum proportio. 97
Didius Iulianus Cæſar iners. 122. 560
Dij Gentium Dæmonia. 32
Dij Gentium armati cur. 165
Dij cum crumenis nummarijs cur. 484. 512.
Dij otioſi Epicuro. 41
Sempiterni ibid.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. 196
Diogenis iudicium de Nobilitate. 5
Diſceptatio de vnicorni. 604
Diſciplinis excellentes Mediol. 335
Diuinitus diſpoſita, immutabilia. 618
Diuitiæ Borromæorum. 421
Diuitijs fortunarum vocabulum. 217
Dominatu inſolenter vti. 344
Domitianus Cæſar impius. 74
Dotes Iannusij. 136. 138
Ducatus ad Bonromanos. 320

E

Edictum aduerſus Chriſtianos. 74
Eccleſias ſeruauit Federicus. 339
Elementa nec grauia nec leuia. 106
Elementum quintum inane. 237
Emopoliate Iuſtinus Imp. 156
Emblema Maria ſeparans. 101
Encyclopedia in ſcientijs. 592
Enigmatica Rota Ezech. 240
Ennij effigies inter Cornelios. 49
Entia nolunt aboleri. 41
Nolunt malè diſponi. 310
Epicurus quid de Dijs. 41
Epitome Mundi Homo. 105
Epitome Chronicorum de Mediol. 401
Equi Domini pij homines. 612
Equilinus Epiſcopus. 35
Equitum Geſtamina. 382
Erratum fabrile. 375
Eſſentia Rei ſub verbis. 158
Eſſentia rei per nomen. 38
Eſſe viuentibus vita. 40.
Eſtenſium propago. 139
Etymon Vitaliani. 40
Ethnicorum improbitas. 32
Eua mater cunctorum viuentium. 42
Eximij viri quidam illegitimi. 144
Extenſes Vitalianis iuncti. 279
Ezelinus Monachus. 263
Ezelinus Tertius de Romano. 271
Eius immanitas. 273

F

Fabulæ ſenſatæ. 137
Factiones Hetruriam ſubuertunt. 374.
Facultates Animi præcipuæ. 434
Fagonianus vicus. 369
Familia Federicorum. 368
Familiæ initium à Vitaliano. 38
Familiæ Romanorum Mediolani. 399
Faſcia tranſuerſa quid. 364
Fata an regant homines. 280
Federici nomen. 119
Federicus Monoculus. 321
Federicus Barbaruſſa vide Ænobarbus
Federici Pœnitentia. 341
Federicus Federici Dux. 358
Federicus Philippi Bonrom. 368
Federicus Cardin. 559. 319. 327
Federicus de Rubeis. 10. 225
Federicus Iulij Cæſaris. 160
Felicitas in quo. 592
Felicitas hic nulla. 45
Fideli nulla pars cum infideli. 33
Fides Dei donum. 37
Figmenta de conculcato Imper. 347
Figura Arboris gentilitiæ. 572
Figura ſpherica omnium perfectiſs. 246
Filius vndè dictus. 340
Finis præſtantior his quæ in eum tendunt. 616
Firmamentum quid. 52. 53
Flagellum S. Ambroſij quid. 613. 615
Fluctus Maris inſigne. 49
Florentini Philippum obtruncant. 376
Fluxus Maris. 55
Fœnus gratiæ ingens. 50
Fons aſcendens irrigans. 59. 240
Fons viuentibus vita. 40
Forma de potentia Materiæ. 43
Fortitudo virtus. 163. 165
Fortitudo quid. 195

For-

Fortunæ ſedens. 233
Fortu æ ſuæ quiſque faber. 145
Fortunæ varietas. 215
Fortunæ inconſtantia. 377
Fortunati Negotiatores Borr. 569
Fortunatus Vlmus ſcriptor. 35
Foſſulæ genuum in petra. 76
Framea Martis i 212
Franciſci miraculum. 76
Franciſcus Sfortia laudatur. 317
Franciſcus Gallius Alberti Dux. 378
Francorum Reges à Troianis. 319
Fratribus caruit Io. Bonromanus. 169
Friſegenſis actũ Conradi cõmendat. 323
Fumoſi vultus, veteres ceræ. 594
Frænum 519. 609. obiectio de Fræna 610. Carolo paratũ. 612. fabula. 618

G

GAboardus Vitaliani Quinti eminentiſſimus. 265
Galaxis Auctoris inſigne Ad lect. 4
Galeacius, prò Lazarus. 373
Galeratorum familia. 508
Galli Gallinacei proprietates. 383
Galli gens ferociſſima. 175
Ganges, phiſon. 316
Gaſpar Borromæus Patauin. 367
Gemini cæleſtia ſydera quid. 266
Gennadius quid de cælo. 52
Gentes adoptatæ à Deo. 342
Gentilitas data in reprobum ſenſum. 32.
Gerardus Campoſanpetrius. 263
Gerardus Vitaliani Quinti. 266
Gerere bifariam ſumptum. 273
Geſta Vitaliani Papæ. 199
Gibellini Girelphique. 369
Gloria Mundi fallax. 215
Gloriæ humanæ contemptus. 4
Gloria ratione æternitatis. 41
Gradus vitæ quatuor. 239
Gratiarum Templum. 50
Gregorius Decimus Vicecomes. 198
Gratioſus, idem quod Ioannes.
Guido Ant. Arcimboldus ædificator. 509.
Guido de Rubeis Berzeti Comes. 226
Guſtus omnium non idem. Ad lect. 4
Gyon, Nilus. 316

H

HAbitauit lupus cum Agno. 443
Hadrianus Cæſar de Christo adorando cogitauit. 125
Hadrianus PP. Quartus. 326
Harmonia Anima. 237
Haſta palladis. 212
Haſta pellia. 692
Hæreſum virus. 617
Hebræi ad occidentem adorant. 249
Hebræi in circunciſione nomen tradere conſueuerunt. 40
Helenæ S. Fanum. 419
Henricus VII. Cæſar Turrianos vexat. 375.
Heraclio Anima lux. 237
Herbarum productio. 102
Herculis claua virtutis typus. 164
Hæreditas ad vnum. 261
Hermes quid de Homine. 236
Herodes Aſcalonita. 34
Hetruriæ diuiſio. 367
Hetruſci Borromæi. 407
S. Hieronymus quid de cælo. 53
Hiſpanoram prudentia. 175
Hiſpanorum ſubditi, Gibellinis ſimiles. 371.
Homini vita id quod mundo lumen. 40
Homo Antropos Arbor euerſa. 571
Homo ciuile animal 48. 330
Homo ex diuerſis compactus. 433
Homo iumentis comparatus. 32
Homo ab Humo. 58
Homo tetragonus. 253
Honeſta nomina filijs tribuenda. 38
Honor ac vita æquiparantur. 376

Ho-

Honoratur Deus quatenus. 41
Honores ſæpè immeritis tribui. 162
Honor virtutis proles. 164
Honorum reiectio. 4
Hugutius Borrom. Epiſ. Nouar. 408
Humilitas nobilitat. 4
Humilè & abiecti exaltati. 317
Humiles Ænobarbus. 344
Humilitatis inſigne. 345
Humilitatis præconium. 347

I

Iacobinus Petri delicatus. 269
Iacobus Vitalianus egregius. 409
435.
Ianus biceps & quadrigeminus. 225
Ianus & Gaboardus Alexandri. 224
Iannuſins Valerij, Rex. 135
Iapygia Iſtria liberata. 222
Idæa, Anima poſſidonio. 237
Ieſus Pethagramaton. 241
Ignari ſæpè, Sapientum filij cur. 168
Ignis interni vis. 75
Ignis ſurſum fertur. 55
Illuminat Deus Ethnicos. 37
Immortalitas dupliciter. 42
Imperatores Auſtriaci. 371
Imperatores Cæſares, & Auguſti. 45
Imperatores patria Mediolanen. 401
Imperij Sueuorum finis. 363
Imperatoris conſanguinea Ioanni deſpõſata. 170
Impij in genealogia Domini non memorantur. 34
Inalterabile cœlum. 57
Infames nequaquam, Nothi. 143
Iniuria Vltionis mater. 264
Iniurioſi in ſexum fœmineum. 140
Innocentius II. PP. 322
Inſcrutabilia Dei iudicia. 220
Inſigne idem Vitellijs ac Vitalianis. 49
Inſignia cognominibus ſimilia. 57
Inſignia ex facinoribus. 594
Inſignia Sueuorum. 326
Inſubrici principatus ſecularis, Serpens inſigne. Eccleſiaſtici Frenum. 618
Interitus Ezelini. 277
Interpretatio nominum. 39
Inuidi detractores. 341
Inuocatio Sancti. 620
Ioanna Cæſia Clariſs. 159
Ioannes Bonromanus inſignis. 160. 169. 170. *& deinceps.*
Io. Galeacius Carrarienſem ſuperat. 406
Ioannes Gradenicus Ducis filius. 214
Io. Baptiſta Marinus Ædificator. 540
Ioannes quartus inſidijs petitus. 279
Ioannes quintus Illuſtris 502. *eius locus inter primates.* 506. *legatus miſſus Venetias.* 406. *eum Dulcinius admiratur.* 510. *perpetuò ingenuus ibidẽ. Mediolan. Gubernator* 518. *Heluetios fudit.* 119. *Frænum eius inſignibus additum.* 520
Io. Paulus Cuſanus Ædificator. 540
Ioannes de Tarſis Aretinus ſcriptor. 372
Ioannes primogenitus Co. Iul. Cæſ. B 159.
Iob, cuius filius. 33
Irrigatio terræ. 102. 107
Iter Antenoris. 95
Iucunda Eſtenſis. 139
Iudicia Dei inſcrutabilia. 196
Iulius Cæſar Renati. 158
Iulius Foſſatus Ædificator. 540
Iul. Solinus de figura Hominis. 238
Iuris ſtatera. 376
Iuſta Dei iudicia. 219
S. Iuſtinæ Martyrium. 35
Iuſtina Campoſanpetria. 264
Iuſtinianus Cæſar Ioannem plurimi fecit. 169
Iuſtinus Iuſtitiæ alumnus. 47
Iuſtinus Secundus pius. 273
Iuſtis inhærendum. 33

Iuſtitia legalis quid. 48
Iuſtitiæ encomia. 47
Iuſtitiæ munimine certandum. 169
Iuſtitię nomen, ac vitę. 40
Iuuenis vnde dictus. 169
L.
LAmpades Muſarum Fabulę. 29. 137.
Landrianorum familia. 508
Laus Federici. 20
Lauda à Laudo extructa. 337
Laudenſes auxilia implorant. 332
Laurentius Medicęus Ædificator. 422
Laus Vitaliani priſci. 36
Lazarus pijſſimus, Bonus Romęus. 372
Lętificant nomina ſuauia. 39
Legalis Iuſtitia & ęqualis. 48
Legislatoris eſt nomen imponere. 38
Leo Aretini Ædificator. 540
Leo intrepidum Animal. 227
Liber vitę. 45
Liberalitas Principum Vicecom. 377
Libido Fortunę. 163
Linea vitta vel faſciola. 606
Liſandri forte dictum. 167
Littera addita nomini Jehouah. 232
Litteris ſingulis Romani vſi. 142
Littora circundant Mare. 100
Luce nil carius. 40
Lucis ac tenebrarum nulla ſocietas. 33
Luci orbis, reſpondet Anima hominis. 237.
Lucis natura. 51
Ludouicus Acerbus Ædificator. 541
Lumen orbi, id quod homini vita. 40
Lunę comparata poteſtas ciuilis. 331
Lunę à terra diſtantia. 99
Luparelius proditor. 376
Lupa Romę inſigne. 49
Lupus rapax Federicus. 443
Luſtratici dies Gentilium. 40
Lux, Chaos diſtinxit. 40
Lux color clarus. 51
Lychnus Nobilitatis opibus nutriendus. 438. 484
Lycus terram ſubintrat. 316
Lyrę exemplum. 56
M.
MAchabęi infeliciter pugnarunt. 175.
Magnanimitas quid. 162
Magna proxima maximis. Ad lect. 5
Magnes trahi ferrum cur. 56
Magnorum filij degenerant. 167
Magorum virgę. 4
Maieſtatis crimen grauiſſimum. 170
Malorum pergeſſio fortitudo. 273
Mare cęlum repreſentat. 51
Mare cur non redundat. 103
Mare omnium parens. 59
Mare quantum demergitur. 95
Margaritę vocabulum. 4119
Margaritę pretioſę tres. 565
Maris impetus. 55
Mars bella pręfectus. 160
Martinus Turrianus Dux. 276
Matthęus Philippi Validus. 222
Matthęus Vitaliani conſeruator Ciuitatis. 271
Maumethici in circunciſione nomen aſſignant. 40
Maximilianus Proconſul. 74
Medicus cœleſtis. 36
Mediolani graſſata perſecutio Chriſtianorum. 74
Mediolani dominium expetijt Ezelinus. 276.
Mediolanum 332. 355. 390.
Membra Hominis perfecta. 238
Mentis humanę vis. 144
Mercurio quaternarium. 232. 243.
Meretricis natus quis. 141
Meridionalis facies. 162
Meſſię in Ioannem odium. 172

Mi-

Microcoſmon Homo. 237
Millenarius numerorũ periodus. 245
Miles vndè dictus. 166
Minerua armata cur. 165
Miraculum in ſilice. 75
Mites quomodo beati. 45
Monachi Caſſin. religioſiſſimi. 77
Monaſterium S. Hilarij. 213
Moneta lucenſis. 367
Monoculus Sueuię Dux. 323
Montes minimũ quid, reſpectu vaſtę ſuperficiei. 97
Montis Galdę latrones. 269
Montium altitudo ſumma. 98
Morales virtutes. 379
Mores Nobilitatem maculant. 5
Moyſes diuitias contempſit. 5
Muli apud Athenienſes. 49
Mulieres Vitalianę caſtę. 139
Multiplicis naturę Homo. 238
Moyſis ſchemma. 99

N

Natalibus reſtituti quidam optimi. pag. 144
Natura, Diuini operis imitatrix Ep. dicat. pag. 1. 470
Natura rei per nomen. 38
Neptuni oculi cærulei. 51
Nobilitas quid. 593
Nomen à noſcendo. 411
Quaſi omen. 412
Nomen imponere cuius ſit. 38
Nominis momentoſa obſeruatio. 231
Nominum immutatio in Pontificatu. 198.
Nominum ſignificata. 38
Non omnia Sapientes ſcripſerunt. Ad lect. pag. 7
Nothi non aſpernandi. 141
Nouiſſimi primi. 231
Nouatianus quid de cælo. 52
Nuptialis veſtis. 3
Nutrimentum ab Aqua. 59

O

Obiectioni de Barbaruſcio ſatisfit. 328.
Obitus ac ſepultura Alexandri. 419
Oblatorum Collegium. 615
Obſcuri, qui inſignibus carent. 594
Obſolet vocabula. Ad lect. pag. 3.
Oceanus mouet ur inſtar cæli. 54
Oceanus num terram ambiat. 96
Occidentalis facies. 231
Omina ſub nominibus. 158
Omne quantũ additum quanto, facit illud maius. 103
Omnipotentia incommunicabilis. 41
Omnis Aqua ſimilaris. 106
Omnis caro fœnum. 571
Opem tulit Beliſario Ioan. 171
Operationis ſymbolũ cælum. 50
Opes ingentes Borromæorum. 421
Opificis ingenium ex opere. 236
Opiniones falſę Animarũ Venena. 169
Oppoſita iuxta poſita. 274
Opum reiectio. 4
Orandum ad orientem. 249
Orbes duo. 58
Orbis nihil ſub vel ſupra, nil dextrum, aut ſiniſtrum. 246
Orbis terrarum diametra. 97
Ordinatio Dei cogit Naturam. 101
Ordo Humiliatorum. 346
Organum vndè dictum. 199
Orientale latus. 83
Originis preſtantiam quanti fecerit S. Cardinalis. 5
Origo & Diſtinctio rerum a Deo. 378
Origo Nili ignota. 316
Orlandus Rubens ſtrenuus. 227
Othomanni vndè. 317

Pa-

P

Palauicinorum familia. 507
Paladinis comparatus Paul. 194
Papiſſæ commentum. 348
Parentes CAROLI pijſſimi. 569
Parentum in filios dilectio. 340
Partes ad totius perfectionem. 99
Partes Hominis vndè. 237
Patauij nata Arbor Vital. & Bor. 452
Patauinæ Mulieres pudicæ. 139
Patauium nouæ Athenæ. 413
Euangelio illuminatum. 35
Patauina ciuilitas quanti. 262
Patauinorum Borrom. ſeries. 423
Patauinus Papa Vitalianus. 198
Patres, Romanis qui. 166
Patriæ nobilitas prodeſt. 393
Patrium ſolum carum. 332
Pauli V. atteſtatio de Mediolani ſanctitate. 617
Paulus Ioannis pugnax. 194
Paupertas nobilitat. 40
Pauſonis Equus. 373. 605
Pax Iucunda. 389
Pecuniæ Borromæi. 416
Pedibus Pontificis ſubſtratus Aenobarb. 346
Pelagus Autenori perfugium. 49
Penelopes quid. 137
Peregrinari vtile. 387
Perfectio non omnibus eadem. 378
Perfectio rerum. 592
Perſonalia, in Gentilia traducta. 596
Petrus Gerardi Equitum Ductor Mediolani auxiliator. 268
Petrus Maria ac Troilus Rubei. 228
Philippus Cæſarum primus Chriſtianus. 124
Philippus Lazarini Sanminiatum recipit. 375
Philippus Vitalis prouidus. 220
Philippus Federici Ducis. 363
Philippus Federici Borrom. 379
Philo de Nobilitate quid ſenſerit. 5
Philoſophi excuſantur. 107
Philoſophi variè de Deo obloquuti. 281
Phiſon, Ganges. 316
Pictura, muta poeſis. 414
Pietas quid. 374
Piſcinæ figura. 242
Pius V. de S. Carolo. 614
Pluralitas Deorum exſibilatur. 125
Pœnitentiæ vis. 342
Poeſis vndè dicta. 414
Poetarum figmenta. 98
Poetis non omninò fidendum. 137
Pondere ſuo nititur Terra. 97
Pons curuus Patauij. 75
Pontificis Maieſtas. 346
Pontifices veneratus Aenobarbus. 338.
Pontifices patria Mediolanen. 402
Porta Vitaliana Atteſtis oppidi. 279
Poſsidere quid. 388
Prandus Zilij fortis. 123
Praui mores Animæ morbi. 169
Præda Demonum Gentiles. 32
Præſagiuit Iuſtinus. 95
Præſumptio ex nomine. 38
Primogenitorum ius. 261
Principes venerantur Federicum. 326
Principium rerum ex Aqua. 240
Principum ſigna vaſallis conceſſa. 608
Priuilegium Ducale pro Co. Borr. 419
Profana Gentilitas turbæ Deorum ſeruiebat. 125
Profanum ius inductum. 338
Proſdocimus Petri diſcipulus. 35
Prouidentia Dei æterna. 619
Prouidentia Dei in omnes. 28
Prouinciæ Venetæ commotio. 263
Prouocatio ad Imperatorem. 33
Ptolemæi vocabulum quid. 382
Pyramidalis minimè Terra. 97

Pyrahi fortè reſpoſiſum. 167
Pythagorici de Homine. 236

Q

QVinta eſſentia cęlum. 51
Qui ſe Regem facit contradicit Cæſari. 34
34.
Qui per alium facit. 174

R

RAdix minus ſpectanda ſi fructus adſint. 3
Ramus ad læuam vergens. 193
Ratione viuentes illuminantur. 37
Rauenna Exarchis munita. 197
Recantat Auctor de Monocerote. 604
Reges præcellit Imperator. 331
Regij tituli abuſus. 35
Regina Viduæ Iuſtina. 74
Regius titulus Romanis inuiſus. 34
Regnicolarum Vitalianorum ac Palauicinorum eadem origo. 283
Reparatio aliud à creatione. 241
Reprehendere alios facile. Ad lect. 5
Reſponſum Dæmonis Ezelino. 277
Reſignatio bonorum. 4
Reſipuit Barbaroſsius. 339
Reſolutio in principia. 592
Reſolutiones Aquæ in aerem. 103
Reptilia ex Aqua. 58
Reſpiratio noxia ob aerem corruptum. pag. 214
Rex à Regendo. 35
Roboaldus Archiep. Mediol. 312
Robuſto Fortis præſtantior. 163
Rodulphus Cæſar Auſtriac. 371
Romæ felicitas. 216
Roma Vrbs fatalis. 272
Romana iuuentus laboribus durata. pag. 123
Roma ſecunda Mediolanum. 394 403
Romanorum Inſignia. 398
Romæ via publica. 372
Rhomulus ac Rhomaa à lupa lactati. 49
Rotæ innixa fortuna. 231
Rubei fortes ac magnanimi. 226
Cognomen vndè ibidem.
Ruſcarum familia. 504
Rus Vitellianum. 75
Ruthenus Valerius. 135

S

SAba pyrata Saracenus. 217
Sacræ Scripturæ auctoritas. 98
Sacrificare Deo eſt à Natura. 249
Salis virtus. 334
Saluatoris cicatrices. 241
Salſedo Maris vndè. 105
Sanabiles fecit nationes Deus. 341
Sancti Mediolanenſes alibi. 597
Sanitati reſtitutus Vitalianus. 36
Sanminiatum Oppidum. 368
Sapiẽs dominabit Aſtris, quomodo. 145
Sara & Agar quid. 342
Sarcophagum Borromæi Co. 420
Satanæ addicta Gentilatas. 37
Scala ex vitijs. 4
Scientia Dei ad omnia ſe extendit. 619
Scientia militaris quam digna. 165
Scutum correxit Iuſtinus. 96
Senatores Romanis, quid. 166
Septimij Seueri exemplum. 218
Sereniorum familia. 57
Serpens varia notat. 600
Seuerianus quid de Cælo. 52
Sextus Empericus. 43
Sicarij Montiſgaldę deuicti. 279
Sicophantæ Mulierum. 140
Signa extrinſeca Nobilitatis. 593
Signia oppidum nobile. 195
Simile à ſimili trahitur. 56
Similitudo Conum conſtituit. 597
Simulacro Baſis congruens. 3
Simulacrum Mundi Homo. 236
Singulis Heroibus ſingula excellentia. 165.

Socratis ars. 23
Socratis diſputationes. 231
Socratis lethale poculum. 42
Solaris quadrigæ vectores. 167
Sol imago Dei. 245
Sol iuſtitiæ radios diffudit. 36
Soliditas firmamenti. 5
Soliditas quaternarij. 232
Spiraculum vitarum. 239
Spiritus ſuper aquas. 58
Spiritus vitæ in Rotis. 240
Spurij virtute præditi. 141
Stare bifariam ſumitur. 233
Statera Nobilitatis. 376
Statua S. Caroli grandis. 2
Statuæ altè locantur. 1
Stella à ſtella differens. Ad lect. 3
Stylobates, vocabulum probatum. Ad lect. 3
Stylobates quadrata. 232
Strages factioſorum. 375
Succinum feſtucas trahit. 56
Sueuia extradempta Philippo Bonromæo. 565
Suis proprietates. 396
Superbia iniquorum aſcendit. 276
Sus Aper olim inſigne Mediol. 395
Suſpicere eſt admirari. 1
Sydera quid. 51

T

TAlda Philippi vxor. 377
Eius Obitus. 418
Temeritas non congruit Sapientiæ. 196
Temperantia. 381. 163
Theodoſius de Ambroſio. 614
Ternarius numerus. 380. 609
Terra Hus improborum. 33
Terra inſtar labri continet Aquas. 100
Terra propria grauitate nixa. 101
Terræ Etymon. 58
Tertullianus quid de Cælo. 32
Teſtudo prudentiæ Symbolum. 164
Tetragrammaton Deus. 234
Tiberius de Chriſti diuinitate inſtructus. 124
Theſauri Barbaruſsij. 364
Tibur Eccl. reſtituit Feder. 326
Ticinus, Mediolani Amnis. 103. 296
Ticinum Ciuitas, nunc Papia. 297
Tituli S. Cardinalis. 616
Titulus, Inſcriptio, Anima. 596
Titulus operis probatus. Ad lect. 2
D. Thomas de colore. 51
Turpe nomen, noxium. 38
Tuſcia Riccardo Dotis nomine. 366
Transfigitur, Iuſtina. 76
Tres Margaritæ pretioſæ. 569
Triangulus triplex Pentagonus. 242
Triumphus S. Card. in humilitate. 620

V

VAlerius Galieni bello inclytus. 135.
Vectes, oſtia, termini Maris. 101
Venæ præcipuæ corporis. 105
Venetiarum origo. 137
Venetorum Ducum Maieſtas. 217
Venetorum patrona Iuſtina. 77
Venetorum victoria de Federico. 348
Verba Federici in Reconciliatione. 3
Veſtis nuptialis. 3
Via lactea cæleſtis. Ad lect. 4
Vicecomitum domus, Hoſpitum domicilium. 376
Vicentinum bellum. 269
Victoria, bellicus Agger. 227
Vinum iocundum. 46
Virgæ Magorum. 4
Virginitatem vouit Iuſtina. 73
Virtutes Hæreditariæ. 37
Virtutis imago. 164
Virtuti ſoli honor. 32
Viſitatio domini non ad interitum. 157
Viſus ad inueſtigationem, Auditus ad doctrinam. 157

Vitales nobiles. 46
Vitalianus apud Henetos præcipuus. 35.
Vitalianus ex Vitelliano. 39
Rex ſeu Princeps. 34
Eius Baptiſmus. 36
Nomen Vitaliani quid. 41
Vitalianus Papa Signiæ ortus. 196
Vitalianus Tertius ingenuus. 156
Vitalianus *Quintus Ædificator*. 262
Vitalianus ſextus eximius. 269
Vitalianus ſeptimus. 272
Vitalianus Octauus origo Borrom. Inſubricorum. 520
Vitalianus Co. *Philippi*. 522
Adoptat Ludouicum vicemit. 512
Vita quid 40. 45. *Nil ea Carius*. 41
Vita ab Humore. 57
V*itam nemo odit*. 41
Vitæ ac iuſtitiæ titulus. 40
Vitalis Juſtini 2. caſus. 215
Vitellij olim, qui poſt Vitaliani. 48
Vitia calcanda. 4
Vitijs nobilitas maculatur. 5
V*itis proprietates*. 46
Vnicornis proprietas. 605. 607
V*ltores Vitaliani* 7. *Mediolanenſes*. 278.
Vnctio ſpiritalis efficax. 617
Vnda ab eundo. 54
Vndæ Maris ſtemma. 49
Vnicis litteris dictiones expreſſæ. 400.
Uniones, Margaritæ. 412
Uniuerſitas Hominum miranda. 432
Unus Deus. 125
Vnus Princeps. 261
Vocabulum ſpuriorum vnde. 142
Volucres ex Aqua. 58
Vſus virtutis multiplex. 165

X

Xenocrati Anima quid. 237
Xenophontis pędia. 2

Z

Zenobia Ludouici Tolentini filia *Zilius Vitalian*. 11
Co. Franciſ. Borr. vxor. 551

Finis Tabulæ.

Auctoris Errata.

EGregius Propheta dilectus Deo & hominibus Moyſes, in Cantico illo quod Cloris inſtar morti iam proximus Omnipotentis magnificentiæ modulatus eſt, illud ſumme perpendendum expreſſit; Videlicet *Dei perfecta ſunt opera*, ac diceret, Quicquid eſt hominum labuntur, falluntur, allucinantur: ipſaque Natura tametſi ad ſupremi Opificis amuſſim exactiſſime concinnata interdum peccare deprehenditur; nimirum Monſtra gignit, quæ nemo ambigat per errorem prodire. Nil ergo mirum ſi homunculi plerunque conniuentes decipiantur. Demoſthene ob id atteſtante, quod omnia perficere, & in nullo falli Deorum eſt. Ego autem cum in multis facilè offendiſſe nequaquam diffitear; maximè quod aliorum monumentis antiquorumque traditionibus omninò inniti debui, illius excuſationem mihi vſurpare auſim.

Scribo quod inuenio, ſcriptum ſeducta fefellit
Me mea credulitas, & malè cauta fides.

Verum labilis memoriæ vitio pag. 15. conſilium de ſpeculo conſulendo aſcripſi Senecæ; cum Bianti acceptum referre debuiſſem; igitur vice *[illegible]* Scribe *Biantis*, & in margine pro *Seneca* appone *Bias*. Sed quod grauius cenſeatur, pag. 220. retuli Vitalem Iuſtiuo ſecundo natum, Vnicum filium ſuſcepiſſe nomine *Philippum*, ſolicitius autem perſcrutatus, didici ex alia ſchedula, ipſi Vitali præter Philippũ *Laurentium* quoque enatum, qui ſacræ militiæ aſcriptus Epiſcopali etiam infula ornatus traditur, quamobrem p. 220. lin. 19. expunge ly *Vnigenitum*, ſupple vero *Primogenitum*, Nam lib. 7. pag. 502. ipſius Laurentij habetur mentio. porrò deliquia impreſſorum præcipua, ſubſcripta cenſura corrigas.

Errata Calcographi.

In facultate Abb. Gen. pag. 2. lin. 8. abbrobatum. leg. approbatum.
Ad lector. pag. 5. lin. 17. nentiquam. lega, neutiquam.
pag. 2. lin. 17. videtut. lege videtur.
F. 19. l. prima vnicuque, vnicuiq.
F. 22. l. 4. proſequtus, proſequutus.
F. 22. l. 7. notatue, notatur.
F. 22. l. 23. efert, effert.
F. 25. l. 19. compigens, compingens.
F. 39. l. 15. Ad hoc, ad hunc.
F. 42. l. 27. ſenſo, ſenſu.
F. 47. l. 20. appellant, appellat.
F. 58 Geneos, geneſeos.
F. 60. l. 3. ec, &c,
F. 62. l. 15, incunabila, incunabula.
F. 65. ferræ, pro feræ.
F. 87. l. 14, Derimenti, detrimenti.
F. 88. l. 16. expoſiebantur, expoliebantur.
F. 89. l. penultima profligatibus, profligatis
F. 100. l. 5. cauernoſi, cauernoſis.
F. 102. l. 14. germinat, germinet.
F. 102. l. 22. humilioſa, humiliora.
F. 106. l. 11. interpunge poſt aſſeritur.
Fo. 120. l. 23. deducore, dedecore.
F. 140. l. 7. exornaretur, exornarentur.
F. 150. l. 11. vacta, vaſta
F. 152. l. 1. dedeerat, deerat.
F. 156. l. 9. inintia, iniuria.
F. 157. l. vltima, ſed, ſatis.
F. 173. l. 23. laudadabilia, laudabilia.
F. 175. l. 15. peruſpidi, percupidi.
F. 194. l. 7. foceſſerent negolij, faceſſeret negotij.
F. 187. l. 26 italiani, italiam.
F. 198. l. 4 percipitij, præcipitij.
F. 223. l. 17. ſues ſuas,
F. 231. l. 5. ſingulati, ſingulari.
F. 248. l. 9. Patauinus, Patauinus.
F. 260. l. penultima fuliciretur, fulciretur.
F. 269. l. 5. iauenitur, inuenitur.
F. 270. l. 10. magigratus, magiſtratus.
F. 270. fulniminea, fulminea.
F. 275. auidati, auiditati.
F. 286. l. 14. tem, autem.
F. 290. l. 15. peperam, perperam.
F. 296. l. 8. pur, per.
l. 26. mancipio, municipio.
F. 304. l. 9. amplituine, amplitudine.
F. 292. l. penultima haberet, haberent.
F. 316. l. 15. rapiſſimum, rapidiſſimum.
F. 323. l. 6. mano, manu:
F. 331. l. 21. Aprehendn, Aprehende.
F. 331. l. 19. ie, id.
F. 234. l. 25. marnaſſe, manaſſe.
F. 336. l. 16. Philoſophus, Philoſophos
F. 337. l. 15. amurnitate, amænitate.
F. 345. l. 13. alioque, alioqui.
F. 347. l. 25. incurabile, incurabilem.
F. 351. l. 12. dotoribus, tortoribus.
F. 352. l. 27. profiſci. proficiſci.
F. 360 l. 19. liberi, liberis.
F. 321. l. 4. indeſoienter, indeſinenter.
F. 371. l. 6. ſubtraxerunt, ſubtraxerant.
F. 376. l. 19. vnum, vnam.
F. 376. l. 26 Vicecomitem, Vicecomitum.
F. 377. l. 5. feruto, ſtructo.
F. 381. l. 7. cogromentum, cognementum.
Fo. 378. l. 22. probantur, probetur.
F. 408. l. 12. Andræ, Andreæ,
F. 427. l. 17. exoraræ, exaratæ.
F. 425. l. 14. Inſephi, Ioſephi.
F. 428. l. ſuppereot, ſuppeterent.
F. 430. l. 22. diuma, diuinam.
F. 431. l. 7. leculare, ſeculare.
F. 445. l. 7. Calpharnij, Calphurnij.
F. 491. l. 12. 1331. 1431.
F. 503. l. 26. equeſqus, equeſque.
F. 532. l. 16. Stampæ, Stangæ.
F. 555. l. 13. exerciatiomibus, exercitationibus.

MEDIOLANI,

Ex Typographia Io. Angeli Nauæ. M. DC. XVIII.

MEDIOLANI.

Ex Typographia Angeli [illegible] [illegible]

10 f

SPECIAL 88-B
3071

THE GETTY CENTER
LIBRARY